


VALLESI

Enarratio

Medicina

# ENARRATIONVM MEDICINALIVM LIBRI SEX.







ITEM,

RESPONSIONVM LIBER VNVS.

FRANCISCO VALLERIOLA MEDICO AVTORE.

*Cum indice rerum notatu dignarum locupletissimo.*




LVGDVNI APVD SEBASTIANVM GRYPHIVM,

M. D. LIIII.

## *Errata quæ operarum incuria admissa sunt, Lector candide, sic corrigito.*

Pagina 3. linea 20. in margine. Lege 3. Methodi.
Pagina 12. Linea 9. Lege, tanta morb.
pag. 15. lin. 10. eumq́;.
pag. 19. lin. 21. per sensiles. Et rursus lin. 37. illic. Et lin. 41. eos horrere.
pag. 20. lin. 38. qui rigorem pa.
pag. 27. lin. ultima. tumor aliquis.
pag. 31. lin. 30. effracta uasa.
pag. 43. lin. 14. hac mea. Et lin. 19. quos ἀπορᾴδες.
pag. 45. lin. 34. acrem biliosamq́;.
pag. 48. lin. 38. ob id quantum. Dele, ad.
pag. 49. lin. 36. consistunt.
pag. 51. lin. 5. qua sanè.
pag. 53. lin. 13. acutorum scriptus est.
pag. 58. lin. 14. uerum id esse. Et lin. 24. ni id fat.
pag. 59. li. 5. necare omnibus. Et li. 29. color niger.
pag. 60. lin. 10. nō cicuta. Et lin. 19. Lege, id quod amarum sit. Et lin. 40. acria sint.
pag. 63. lin. 28. qua quidem transmiss.
pag 67. lin. 25. concoquitur panis cum far.
pag. 68. lin. 3. quarundam partium.
pag. 70. lin. 17. terrearum partium. Et lin. 43. acida apparet.
pag. 74. lin. 15. non enim prof.
pag. 77. lin. 35. Sic Hippocrates.
pag. 78. lin. 40. possim.
pag. 79. lin. 21. quin interni.
pag. 83. lin. 34. non conueniat.
pag. 85. lin. 26. meditatò. Et lin. 40. earum speciē.
pag. 93. lin. 6. Hippocrates. Et lin. 37. indicare uidetur.
pag. 94. lin. 29. ardente.
pag. 98. lin. 5. quamuis. Et lin. 24. saluum. Et lin. 26. causo unius tam.
pag. 99. lin. 9. uerius dictum.
pag. 101. lin. 43. imprimis. Et lin. 45. lethalia dici.
pag. 104. lin. 15. qui si nat.
pag. 113. lin. ultima. calceare.
pag. 117. lin. 8. Habes itaque.
pag. 119. lin. 34. Nunc uerò.
pag. 122. lin. 31. quid portendant.
pag. 124. lin. 10. transpiratu.
pag. 125. lin. 19. refrigerationem recipiens. Et lin. 33. sopor potiss.
pag. 127. lin. 22. usus est loq.
pag. 130. lin. 22. frigidioribus.
pag. 131. lin. 2. intempestiuè.
pag. 133. lin. 34. ut dicitur.
pag. 142. lin. 18. pane puro.
pag. 147. lin. ultima, pestilentes.
pag. 149. lin. 16. quum & soli.
pag. 153. lin. 13. atque eæ.
pag. 154. lin. 14. istericis sympt.
pag. 157. lin. 32. antidotum excogitauit.
pag. 158. lin. 35. cinnamomum, rapam.
pag. 159. lin. 11. chamepitis, cuiusque.
pag. 167. lin. 27. uigilantes nimium.
pag. 170. lin. 13. uoluptati.
pag. 176. lin. 35. pro mitiorem, lege miliarem.
pag. 181. lin. 7. candicans. Et lin. 34. &.
pag. 187. lin. 37. totam medic.
pag. 193. lin. 15. possunt.
pag. 199. lin. 24. molestias eas, quæ percipi.
pag. 200. lin. 3. problematis.
pag. 205. lin. 37. indicationem.
pag. 214. lin. 17. Auicenna.
pag. 215. lin. 6. in margine, 5. Metaphys. Et lin. 28. internos.
pag. 216. lin. 1. afferunt. Et lin. 29. tremor quidam.
pag. 226. lin. 25. nullius alterius.
pag. 230. lin. 35. apud nos.
pag. 233. lin. 20. horum nempe omnium.
pag. 237. lin. 43. non pessimus hic autor.
pag. 244. lin. 5. uetustissimus autor.
pag. 253. lin. 41. myrtiq́; aquam.
pag. 255. lin. 21. intemperatis naturis.
pag. 260. lin. 23. eruca.
pag. 261. lin. 39. cæteræ.
pag. 267. lin. 6. cum nihil non in medicina graue.
pag. 274. lin. 44. uentriculus.
pag. 276. lin. 11. enematis.
pag. 277. lin. 9. publicè.
pag. 282. lin. 17. faciant.
pag. 285. lin. 3. secum ipsa pugn.
pag. 296. lin. 16. apparatuq́;.
pag. 302. lin. 41. cærulea glacie.
pag. 320. lin. 13. solutiuum sequatur.
pag. 321. lin. 8. sumac. Et lin. 9. ligati.
pag. 322. lin. ulti. nostri.
pag. 324. lin. 31. pisciculi saxatiles.
pap. 327. lin. 12. cochiarum.
pag. 330. lin. 19. modo tensiui. Et lin. 26. fundus ipsius est.
pag. 334. lin. 25. chamemeli.
pag. 339. lin. 15. complectar quæ de affectione. Et lin. 30. ipsa.
pag. 341. lin. 12. pinguium. Et lin. 31. eglecmata.
pag. 365. lin. 28. auferri.
pag. 367. lin. 39. maximè.
pag. 370. lin. 20. hos syderum curs.
pag. 376. lin. 43. eadem ferè fu.
pag. 387. lin. 33. Archigene. Et lin. 39. Crateuam.
pag. 389. lin. 12. huic uerò.
pag. 390. lin. 23. exercenda.
pag. 397. lin. 6. à colore.
pag. 403. lin. 11. tum fuerit.
pag. 417. lin. 22. abundantia.
pag. 419. lin. 31. curemus.
pag. 437. lin. 43. Meth. II.
pag. 441. lin. 20. quod VII. & X. Et lin. 27. & I. de Gener. & corr. Et lin. ulti. II. ad.
pag. 442. lin. 2. Galen. II. Therap.
pag. 444. lin. 9. utrisque.
pag. 446. lin. 37. Mundinus.
pag. 457. lin. 33. effluat.

# NOBILISSIMIS ATQVE PRVDENTISSIMIS INCLYTAE VRBIS ARELATAE CONSVLIBVS, SENATVIQ; Vniuerso Amplißimo Franciscus Valleriola Medicus S. P. D.





MNIS, CONSVLES ac SENATORES, quæ ad bene beateq; uiuendum pertinet animi institutio, ducta primum mihi quidem ab actione, & rerum magnarum meditatione uidetur esse. Nam quod Aristotelis sententia proditum est, cùm ad intelligendum & agendum natum esse hominem constans assertio sit, eum qui se hominis uocabulo dignum haberi uelit, hisce duobus omnino intentũ esse debere (actioni dico & contemplationi) oportet: ut in quibus (rectè ambo si excolantur) boni uiri, & ad omnem uirtutem facti, omnis sita esse ratio maximè uideatur. Consideratio enim contemplatioq; abstrusarũ in natura rerum, cùm sit animorũ nostrorum quoddam quasi pabulũ, mirè nos detinet, & arctißima cum Deo nos societate coniungit. Erigimur, latiores tum fieri profectò uidemur, cogitantes abstrusa, & in naturæ intimis receßibus recondita atq; conclusa: quod cùm meditatò facimus, reliqua omnia ut exigua, caduca, fluxa, ut nihili ducenda cõtemnimus. Indagatio enim ipsa rerum tum maximarũ, tum etiam occultißimarum, habet oblectationem: & eam quidem, qua nulla maior alia, nulla uberior, nulla plenior, ulla ex re percipi usquam ab homine poßit. Siquidẽ cùm aliquid meditando occurrit, quod rei quæsitæ ueritatem nobis explicet & aperiat, amœnißima tum certè completur animus uoluptate. Nec uoluptatẽ solùm meditando animus capit: sed qui fructus ex maximarũ rerum intelligentia speratur, inde certè uberrimus prouenit. Magnum id profectò & arduũ, hominem unum altißimo in seceßu positum, ab externis omnibus quasi in mentis domicilium seuocatũ, rerum naturæ arcana rimari, effectorum causas inuestigare, difficilia explicare, inuoluta dissoluere, ueritatẽ in rebus inuenire, ignorata incompertaq; illustrare & prodere: in summa, rebus omnibus lucem dare. Hac certè una re quasi prærogatiua quadam singulari à cæteris nos animantibus natura seiunxit, dum quæ cognitionẽ nostram fugere, & ab omni perpẽsione alienißima esse uiderentur, ea mentis intentione cognobilia nobis ac perspectißima fiunt. At hoc, si quis id rectè consideret, eiusmodi est, ut eo omnia quæ in hominum cognitionem cadere

possunt, comprehendantur. Id uerò quàm homini congruens sit, quàm etiam insitū & proprium, uel ex eo facillimè intelligi potest, quòd omnes natura ad ueri cognitionem impellimur, quod scientiæ cupiditate trahamur. Siquidem (quod rectè ab Aristotele dictū est) omnes homines natura scire desiderant. Ac proinde, cùm nemo unquam fuerit, qui non hanc sibi sciendi & intelligendi gloriam summopere appetendam duxerit, permultos acerrimo ingenio homines, nihil aliud summo studio tota uita egisse compertū sit. Quod quanquam laudabile quadam ex parte haberi posit, non ita tamen omnino probandū. Rerum enim hæc in natura abditarum contemplatio, & in meditationē secesio, & si maxima est, ut certè est, necesse est tamen id quod ab honesta & necessaria ducitur actione officium, id esse maximū: cùm uirtutis laus omnis in actione (ut rectè Cicero tradit) posita sit. Etenim tacita illa altisimarū rerum meditatio atcꝙ cognitio, manca quodammodo & inutilis sit, si nulla actio rerum, si commoditas nulla, si fructus aliquis non accedat ac consequatur. In id enim attentè rerum ueluti fontes perspicimus ac contemplando inuestigamus, ut rerum omni natura ueritatecꝙ perspecta, in usum hominum utilitatemcꝙ traducamus, ac proinde in hominum cōmodis tuendis positam esse actionem eam quæ honesta sit, in ijscꝙ maximè cerni, ab omnibus certè est Philosophis cōprobatum. Quòd scilicet ad generis humani societatem incolumitatemcꝙ tuendā pertineat. Actionum porrò humanarum omnium, duas ego tantū pręstantisimas, maximecꝙ salutares esse iudico: Reipublicæ curā, & Vitæ ualetudiniscꝙ seruandæ studium. Priore illa efficitur, rectis ut consilijs, legum obseruantia, morū rectitudine (quod magistratus proprium munus esse Philosophi omnes censent) publicæ hominū saluti tranquillitaticꝙ consulatur. Postrema (quę ad hominum uitam ualetudinemcꝙ tuendam propriè pertinet) ut quod in uita iucundisimum atcꝙ utilisimum homines arbitrantur: ut uitam inquam sine ulla corporis molestia, sine ullo dolore feliciter iucundecꝙ traducamus, id planè cōsequi præclara hac medendi actione posimus. Quam ego profectò omnium maximam maximecꝙ necessariam esse habendā iudico, ut qua neglecta nulla sit reliquarum rerū omnium (ut rectè uetustisimus Hippocrates dixit) aut uoluptas aut fructus. At uerò, hæc quæ à medēdi arte instructis, ad hominum salutē proficiscitur actio, non medendo solùm, hoc est morbo profligando, sed multò magis cōmentando, docendo, atcꝙ scriptis rem medicā illustrando cōmuni, omnium saluti ac uitę prodest. Qui enim medetur, id tantum pręstat, ut medica methodo morbū pellat, hominemcꝙ sanitati restituat: magnum mehercule opus. Verùm qui docet, qui monumētis atcꝙ scriptis suis artem ornat atcꝙ amplificat, id amplius efficere mihi uidetur, quòd uiam qua id præstare cōmodè medicus queat, præstruit. Quæ non satis explanata sunt, quę abstrusa, quæ difficilia, illustrat & cognobilia facit: quæ impolita sunt & rudia, uixcꝙ inchoata, perpolit ipse ac complet. Hæc profectò ea sunt, quibus augeri artes ipsæ & lucem accipere, ornaricꝙ maximè solent. His præclaris actionibus niti optimus quiscꝙ debet. In ijs seriò & intentè uersari, ut non solùm negotij, sed & ocij (quod ab optimo

quocꝙ

quoq; ac præstantissimo Marcus Cato originum suarum libro exigit) reddere rationē queat. Atq; ita ego temperandam studiosi hominis uitam censeo, ut ab actuosa uita, in quietā se & literarum studijs contemplationiq; deditam, ceu in tutissimum quendā portum conferat: ab hac rursus in illam, ceu in amœnam quandam & fructuosam peregrinationē deflectat: ut alternatione hac, omnes perfectæ uitæ numeros implere pro ueri Philosophi more possit. Etenim ab actione sæpe fieri intermissionem, dariq; magnos ad studia reditus est omnino necesse: ut ea agitatione mentis, quā in studijs adhibemus, illustrari ueritate animus, & ueri cognitione satiari uberrimè queat: cuius tamē studio nimio à rebus agendis abduci, & profutura deserere, contra officium est. Tantam ego profectò agendarum rerum honestæq; actionis atq; officij uim, in bene constitutis hominū mentibus esse planè arbitror, ut ad ea etiā quæ non nisi summo labore atq; difficultate confici ipsa possint, ultrò animū impellat, ut etiam detracta omni utilitate, sine ullis præmijs fructibus'ue, in id quod agi oporteat, & in quo officij ratio posita sit, sponte sua homines ferantur. Quod & ipsum quale sit, non tam ex ipsius honesti ratione atq; natura, quàm communi hominum iudicio, & optimi cuiusq; studijs atq; factis intelligi potest: qui permulta ob eam unam tantum causam faciunt, quia decet, quia rectum, quia honestum est, & reipublicæ profuturū: & si nullum consequuturum emolumentum uident. Vnde id? Quòd rationē mentemq; habeamus nobis à summo Deo datam, & insertā naturæ nostræ, acrem, uigentem, pulcherrima spectantem, celerrimeq; multa simul eademq; optima agitantem, in quæ suapte sponte feratur, quæ appetat, & appetita, omni studio, contentione, labore, adipisci contendat. Hæc in nobis profectò efficit, ut honesti facie ualde moueamur: ut uirtutem ipsam, ceu honesti finem quendam amplectamur: ut ueritatem, cognitionem, intelligentiam colamus: & quæ uera sunt, id est, fidelia, simplicia, constantia, omnia diligamus: contrà uana, falsa, fallētia, deprauata, ut errorem ignorationemq;, & horreamus, & despicatui odioq; habeamus. Eadem insuper in nobis bene instituta mens facit, ut rerum magnarum, ut proferendæ uirtutis, ut præstandi officij, appetentes & cupidi simus: ut nos ipsos exeramus, & ad communem hominum utilitatem conatus nostros omnes, studia, facta, consilia dirigamus: & patria quadam charitate latius nostra fundentes, magnis nos & reipublicæ salutaribus actionibus atq; curis implicemus; quà possumus hominum commodis & saluti consulentes, ut quod ad Archytam Tarentinū scripsit Plato, non nobis solùm, sed patriæ, sed amicis nati simus. Ab hoc fonte CONSVLES, quicquid usquam in quoquam præclarum, eximium, excelsum: quicquid præstans & laudabile inuentum fuit, quo iuuare se posse cōmunem hominum societatem quisquam est arbitratus, profluxit. Hinc à Socrate, Platone, Aristotele, Theophrasto, cæterisq; summis Philosophis, tot ad iuuandos mortales exhausti labores, tot perpessæ difficultates, tam ingentes rerum magnarū inquisitiones & explicationes, ut qua erant ipsi animi uirtute atq; excellentia præditi, & ad bona sua alijs cōmunicandum parati, ea re mortalibus ne deessent: officioq; suo

probè functi, magnam apud Deum gratiam, apud homines gloriam mererentur: ac proinde frugi homines, hominibus secundum Deum maximè utiles esse, omnium est assertionibus cõprobatum. Ego uerò CONSVLES, illud tacitus apud me cùm cogitarem, omnem uitæ nostræ cursum, magnis negotiorũ ueluti tempestatibus agi, ac uarios in se casus, dubios euētus, incertamq́ quandam pulcherrimarum actionum nostrarum omnium opinionem habere: multa etiam quæ uel illustrare uniuersum uitæ cursum recta existimatione, uel eundē turpitudine dedecorare possent, ponendam nobis cum his quibus cum uiuimus rationem sum arbitratus: qua nos non modò in negocio, sine culpa: sed etiã in ocio cum dignitate uixisse testari plena fide possemus: ne, quam laudem honestarum actionũ perfunctione adepti sumus, eam omnem ocij iniquioris ac malè positi labe perderemus. Ac proinde ut omnis uitæ meæ ratio apud uos quasi in tabula expressa constaret, posteaquã in uestram hanc inclytam urbem ascitus, medēdi munus suscepi, quid egerim, quid præstiterim, ut meum pensum absoluerim, breuibus explicandũ duxi: ut non tam laboris mei fructum, quàm etiam ocij percipere oratione hac mea possetis. Itaq́ cùm me ad publicũ hoc medendi munus, non paucorum suffragijs, sed una uoce senatus huius uestri amplissimi atq́ honestissimi sublectũ intelligerem: hoc uestrum tam insigne de me iudicium, cùm ad animi mei fructum atq́ lætitiam duxi esse permagnum: tum uerò ad curam solicitudinemq́ multò maius. Versantur enim in animo meo, CONSVLES, multæ ac graues cogitationes, quæ mihi nullam partem neq́ nocturnæ neque diurnæ quietis impartiunt. Primum tuendi loci atque officij mei, quæ cùm omnibus est difficilis & magna proposita ratio: tum uerò mihi in primis, cui non uni aut alteri, sed uniuersim omnibus magna cum cautione ac dignitate est inseruiendum. Non enim uos mihi, CIVES, arua uestra & agros, non fortunas & opes, non deniq́ fines uestros aggeresq́ à fluminis impetu tutandos tradidistis. Maius est profectò quod meæ fidei, industriæ, arti concredidistis: uos metipsos inquam, uitam ualetudinemq́ uestram: rem quidem omnium maximam, omnium charissimam, & in primis habendam. Quæ cùm eiusmodi sit, ut eius unius causa cuncta sint obeunda ea quæ integram hanc ac ueluti sartam tectã seruare possunt, mihi omnia potius perpetienda esse duco, quàm non ita gerendum hoc munus, ut in omnibus meis factis atq́ consilijs, uestrũ de me factum consiliumq́ probetur. Illud itaq́ apud me reputans, nihil esse quicquam in rebus humanis fide sanctius, nihil ad animos hominum nobis beneuolentia copulandos aptius, nihil ad actiones omnes probè sanctèq́ obeundas congruentius, hanc mihi in primis seruandam, uobisq́ cumulatè præstãdam, perpetua quadã lege in animum meum induxi. At quæ fides hæc mea in hoc meo munere obeundo, quæ ratio? Hæc inquam, CONSVLES, ut concreditã mihi à uobis uestram omnium uitam, uestramq́ salutem, ex dignitate, summa fide, magna diligentia, solerti mea cura, uehementi studio atq́ amore tractarem. id ego præstiterim nec'ne, uestro omniũ iudicio atq́ testimonio multò stare malo quàm meo: qui me pro uobis strenuè

nuè laborantem dum misera morborũ popularium clade afflicti omnes essetis, & digno uirtutibus uestris testimonio cohonestastis: & sæpe illud tum admirati estis, ut tantulus ego tantos possem inuicto animo perferre labores, tot adire ægros, noctu dieq́ circumcursare, non æstu terreri, non laboribus frangi, non morborũ rabie ac impetu uinci, non deniq meorum periculis ab officio reuocari. Hæc uestra (quod me ualde recreat) de me testimonia, hæc iudicia sanè fuere. Neq uerò id tantum curandum duxi: ut qui populariter urgebat morbus uestramq́ omniũ uitam ac ualetudinem in discrimen agebat, (quantũ quidem arte mea atq opera effici potuit) curaretur: sed id etiam prouidi & caui, quomodo Regio hæc uestra tota (quæ palustrium aquarum pigro lapsu repentium uitio insalubris effecta est & morbosa) salubris & commoda maximè redderetur. Meministis enim (opinor) CIVES, temporis illius, quo huc primum ad uos ueni, in cuius quidem primis aditibus nihil mihi quicquam antiquius habendum existimaui, quàm ut rationes eas, consiliaq́ de scripto proferrem, ex quibus salubritas urbi uestræ maxima magno uestro commodo parari posset. Eas uos rationes à me uestra causa gallica lingua conscriptas, & uestris cõmodis aptas, & reipublicæ salutares uestro iudicio censuistis. Quæ quidem omnia quæ tum uobiscum ea de re longa oratione tractaui, eò pertinebant, ne quid ipse officij in uestra hac curanda florentissima ciuitate prætermisisse uiderer: ut cui nimirum in optatis esset, urbem hanc inclytam uestram, non morbo fœdatam, aut ærumna afflictam, morte'ue ciuium atratam, sed incolumem atq florẽtem meo labore uidere. Atq utinam, CIVES, quàm magno ego studio ad hanc rem conficiendam uos sæpè sum cohortatus, tam intento animo ei uni rei nauare operam uoluissetis. Salubrius certè quàm nunc habeamus, constitutam nostram hanc ciuitatem haberemus, neque de futura morborum popularium clade magnopere nobis esset metuendum. Verùm cùm partium uestrarum hæc sint, ad quos potissimùm Reipublicæ uestræ salus pertinet, minimè dubito quin summa animi alacritate consentientibus uotis, id satis quandoq curaturi, ne quam Respublica noxam accipiat. Habetis negocij mei & actionum rationem. nunc ocij accipite. Ego profectò CONSVLES, cùm nihil quicquam præstantius, nihil homine dignius esse censerem, quàm quod tribuitur homini liberum tempus & uacuum, id omne in studijs cognoscendi semper aliquid atq discendi studio conterere: ac ueluti sacris musarum operantẽ, abducere se ab omni cura, seq totum Philosophiæ ac literis inuoluere, In eam me curam & cogitationem dare omni mentis affectu proposui. Qui enim secundum uirtutem uiuere in animum induxerunt, summa ope niti decet, ut quantum illis uacat à publico munere, tantum ijs studijs relinquant, quæ diligentius culta fructum uberrimum mortalibus ferre possint. Atq ex hoc quidem literato ocio, in cõmunem hominum utilitatem, ceu è intimis Philosophiæ recessibus ea prompsi, quæ maximè profutura hominibus speraui. Commentarios inquam in eam Galeni partem, quæ de MORBIS & SYMPTOMATIS est. Quos ego ab hinc annos duodecim omnium pri-

mus in lu cem dare, atq; aggredi eo cõsilio sum ausus, ut quid fructus hominibus ex mutis magistris, & tacita rerũ contemplatione accedere posset (rectè si quod datur uacui temporis impendatur) planum facerem, atq; perspectum. Quod ego uitæ institutum perpetuò secutus, magnaq; semper alacritate in studia medicinæ intentus, nunc denuò quasi ocij literarij mei testes, ENARRATIONVM MEDICINALIVM libros sex, magnis certè laboribus atq; uigilijs confeci ac exaraui. In quibus pleraq; à nemine, quod sciam, in hunc usq; diem tractata, reposita sunt: multa etiam quæ ab alijs perperã tractata mihi sunt uisa, ea rectiora effecta, & concinniora à me reddita, operi inseruimus: additis etiam nonnullis, quæ ad factitandam medicinam ægrisq; consulendum non minimum faciant. Id autem quicquid est operis, CONSVLES atq; CIVES, ut nomini uestro dicarem multæ sanè eæq; iustissimæ causæ fuere. Primùm, ut fidei erga uos meæ & obseruantiæ, clarum uobis hac ingenij mei fœtura testimonium darem: testatumq; facerem, non solùm me in negotio, hoc est, dum propulsandis morbis operam nauo: sed & in ocio de uobis perpetuò cogitare. Tum etiam, ut cùm ego aliquantam uos de me opinionem habere concepissem, & ea à me sperare cœpisse uos, quæ de frugi homine sperari expectariq; rectè possint: indignum me sum arbitratus, si non illustri aliquo testimonio, & huic uestræ de me spei atq; expectationi, & opinioni uestræ de me, quoad possem respondere. Nam cùm à uobis non solùm medicus essem sublectus uester, sed etiam (quod est ipsum per sese amplissimum) nullo ambitu, nulla petitione, efflagitatione nulla (quod scitis) in summã senatorij ordinis uestri dignitatem essem nullo meo merito, sed uestra tantum autoritate ac gratia cooptatus, cõmittendum mihi non putaui, ut hisce honoris insignibus non aliquid ex me proueniret, quod illis ornamento saltẽ aliquo esse posset. Neq; enim ullo modo facere possum, ut cùm me intelligam in hos honorũ gradus præiudicata quadam de me opinione euectum esse, non & in hoc meo munere obeundo, & in omni uita reliqua mei obseruans ualde essem & popularis. Hoc est, is qui omnibus omnium commodis, omnium uitæ atq; saluti prospicere, non curando solùm, sed etiam rem medicã scriptis illustrando, amore deniq;, beneuolentia, fide, integritate, officijs omnes ex æquo prosequi maximè deberem. Itaq; quantũ maxime conniti uiribus & animo, quantum ingenio, quantum eruditione (quæ in me sanè minus etiam quàm mediocria sunt) quantũ deniq; usu & exercitatione potero, tantum quidem certè priuato meo studio, bonis ac medicinæ studiosis omnibus: tum uerò præcipuè uobis, arte mea atq; professione tribuam. Et quoniã pro tot tantisq; à uobis acceptis beneficijs in referenda gratia nihil uobis præstare possum quod copiarũ & opum sit, quibus uos pro uestra & maiorum uestrorum amplitudine ac dignitate abundatis, id quod in me est, quoq; solent uiri magni & præcellentes ab amicis tenuioribus contenti esse, polliceor uobis & recipio, si mea digna fuerint studia quorum testimonio uirtuti honos habeatur, gratiam me uobis aliquã in illis, & hominis obseruantissimi fidem operamq; nauaturum. Paruum hoc quidem, & cuius

penè

penè me pudeat. Sed quoniam in reponenda gratia maiora præſtare non poſſum, hoc me uobis quod officij mei eſt, in uicemq; relatæ gratiæ haberi debet, repoſiturum polliceor, in meq; recipio, mihi neq; in conſilijs de ueſtra omniũ ſalute capiundis diligentiam, neq; in periculis morborum à Republica propulſandis animum, neq; in dandis remedijs fidem, neq; in perferendo labore alacritatem, neq; in ueſtris cõmodis augendis gratam animi beneuolentiam pari uoluntate coniunctam defuturam. Vos itaq;, CONSVLES atq; CIVES, qua animi propenſione meam de uobis ſpem ueſtris officijs ſuperaſtis, eadem, ſummam in me uoluntatem referendæ gratiæ, pro relata gratia: & laborem hunc meum nomini ueſtro conſecratum, ſerena exporrectaq; fronte accipietis. & me (quem quidem ſæpenumero ueſtra laude ſupra merita cohoneſtaſtis, & in ueſtra obſequia retinuiſtis) in omni fide ac beneuolentia ueſtra uirtute ut conſeruetis peto. Deus Rempublicam ueſtram incolumem atque florentem cuſtodiat, ueſtraq; rectiſsima conſilia eidem Reipublicæ ueſtræ ſalutaria eſſe uelit.

# IN LIBROS ENARRATIONVM MEDICINALIVM AD MEDICINAE STVDIOSOS PRAEFATIO, EODEM Franciſco Valleriola Autore.

ECTÈ illud Solon Græcorum ſapientiſsimus, optime lector, dixiſſe uidetur, γηράσκω δ' αἰεὶ πολλὰ διδασκόμενος. Id eſt, Seneſco ſemper plura addiſcens. Quam ſententiã Plato enarrans, dum illud doctè & accuratè more ſuo inquirit, Philoſophandũ ne ſit: id uerè Philoſophari eſſe, Diſcere aſsiduè multa, eumq; hominem qui ſapientiæ ſit amator, ſiue iuuenis ſit, ſiue ſenex, in omni uita quamplurima diſcere oportere aſtruxit. Egregia uerò uox & ſapientiſsimo homine digna. Quid enim homine dignius, aut homini expetendum magis, quàm quo uita ornatior, & mens quaſi ſuo pabulo fota uegetior fieri & alacrior cernitur, (id autẽ eſt abditarum rerum cognitio & intelligentia) id inquam, & hominem ualde appetere, & ut id per omnẽ uitam aſſequatur omni animi impetu niti? Nam cùm omnes ad cognitionis & ſcientiæ cupiditatem natura trahamur, perficiq; nos plurimũ unius cuiuſpiam rei aut plurium ſcientia agnoſcamus (ut in qua excellere, omniũ optimum atq; pulcherrimum ſemper habitũ ſit) efficitur profectò, ut quodam quaſi naturæ ductu ad ſciendum intelligendumq; impellamur. Quibus rebus cùm deſtitui nos ſentimus, in errorem mox & ignorationẽ labi nos & incidere perſpicimus: quod ſanè, ma-

lum & turpe ducendum est: à quo cùm animus ualde abhorreat, ne à sui ipsius natura degenerans rerum ignoratione sordescat: perpetuò scire, intelligere, indagare, & ueritatem meditando inquirere auet. Eò fit, ut ueri inquisitione nunquam animus fatigetur: & quò plura cogitando mentis acie est indeptus, eò plura adipisci & consequi studeat. Pascitur enim opere animus, ocio & ignauia torpet, prorsusq́ue frangitur. Quamobrem ego Anagnosten esse debere eum (quod de Aristotele Peripateticorum principe dictum est) qui se penitius in Philosophiæ sacraria insinuarit oportere censeo: & philosophandum illi quidem, non paucis, ut apud Ennium Neoptolemus ille, sed sanè multis, hoc est per omnẽ uitam. Quòd quum immensa sit earum rerum quę nos fugiunt series, artiũ uerò penè omnium perceptio ut longissima, sic sanè difficilima: (quod rectè ab Hippocrate dictum est: qui uitam breuẽ, artem uerò longam ut uerissimè, sic sanè doctissimè affirmauit) difficilè profectò est, in omni Philosophia multa esse nota ei, cui non intenta & perpetua rerum meditatio & contemplatio penitus fuerit in animo infixa: & qui hanc cognoscendi curã & intelligendi, non paulò plurimum cæteris omnibus anteponat. Atque hoc indagandæ ueritatis studio nullũ optabilius, mea quidem sententia, nullum præstantius, neque datũ est mortalium generi Dei concessu atque munere: neque uberius quicquam, florentius, aut præstabilius desiderari usquam ab homine potest. Etenim quid est quod æquo minus queat animo ferre quisquam institutus liberaliter, quàm principẽ nostri partem animum, cernere ocio & ignauia torpentẽ, nihil se dignum, nihil altum atque fructuosum contemplari? Quæ me ratio cogitantem impulit, ac uehementer est cohortata, ut me totum ei uitæ generi addicerem, unde aliquid emolumẽti ad posteros emanaturum considerem. Ac proinde in has sum rerum medicarum enarrationes ingressus: ut quoniam sat multa esse in medicina scirem nondum in lucem prolata, aut potius etiam ignorata, multa etiã non satis acutè ac uerè perpensa: pleraque perperã & malè intellecta, horum ego bonam partem enarrandam aggrederer (quis enim unus omnia possit?) Atque huius meæ inductionis animi, non minimam mihi occasionẽ controuersorum apud Galenum locorũ copia præbuit: quos ego cùm conciliare maximopere studerem, diu multumq́ue sum in eo uersatus. Cuius sanè implendi desiderij mei merito, uniuersa eiusdem autoris, quæ quidem extare putantur monumenta, iterum legenda, attenteq́ue examinanda (id cùm iam ante annos circiter octo sed oscitanter fecissem) firmo animi proposito (& si operosum id ualde mihi ac perdifficile uidebatur, in factitanda medicina, & publicæ Arelatensiũ saluti intento) suscepi: tantumq́ue in stadio currendo profeci, ut annis plus minus duobus, uniuersa Galeni monumẽta diurna uersarim manu, uersarimq́ue nocturna: singula uel obscurè dicta notans & interpretans, uel prolixius enarrata rescindens, uel controuersa componens. Quæ ego dum facio, rerũ per me ex Galeno annotatarum & descriptarum, inq́ue locos cõmunes quosdam atque sententias digestarum duo uolumina excreuere, quibus ego COMPENDII GALENI titulum indidi: quos ego libros iam à me absolutos, & manu mea scriptos (ubi politiores

politiores facti fuerint) mox in lucem adiuuante Deo (hoc edito ENARRATIONVM MEDICINALIVM opere) dabimus. Nunc uerò hos ENARRATIONVM MEDICINALIVM libros tibi (lector optimè) serena exporrectaq́ fronte damus, quibus eam de industria inscriptionem fecimus, quòd his totis sex libris priscorũ scita explicentur exponanturq́ uberius. Id enim ENARRARE dici uolunt, cùm quippiam dicendo exponitur, declaratur, interpretaturq́ plenius & purius, ut quæ prius abstrusa, inuoluta, incognitaq́ erant, peruia, dilucida, probeq́ cognita fiant. ob id certè operi nostro ENARRATIONVM titulũ indidimus. Enarrãtur porrò eo toto in opere multa quæ hactenus intacta priscis fuerãt, quale est quod de libro Hippocratis, qui de FLATIBVS inscribitur, iudicium fecimus. Nemo enim quisquam (quod sciam) in id opus animaduersionẽ fecit. Qualia sunt item, quæ de Erysipelatos natura & curatione multa tractauimus: quæ de Gestationis in utero constituto à natura tẽpore: de Vulnerum lethaliũ ratione: de Voluptatis & doloris natura secus, quàm à neotericis traditũ sit. Quàm multos uerò tũ Hippocratis & Galeni, tum etiã Auicennæ locos, uel scitius explicauerimus, controuersos cõciliauerimus, ipsi Enarrationibus præfixi tituli indicabunt. Paradoxa etiã aliqua subiecimus, ueluti cùm Austrũ uentũ sua pte natura frigidũ esse diximus: & Lactucã inter olera succi bonitate cæteris nõ præstare: & Cucurbitulas interdũ ante totius corporis uacuationẽ rectè administrari: & Melancholicorũ duo inueniri apud Galenum genera, & pleraq́ eiusmodi. Nõnulla etiam ad medicinã factitandam non minimum conducentia, ut omni ex parte beneuolo lectori uel argumenti nouitate, uel rei obscurioris dilucida magis tractatione, à nobis (quãtum quidem per ingenij mediocritatẽ nostri licuit) consultũ esset. Vniuersum autem opus in sex libros, singulis uerò libris decem ascripsimus medicas Enarrationes, quasi decadas quasdã conficientes. Hæc autem omnia puro, simpliciq́ stylo, non accurata nimis dictione, non ad Ciceronis numeros aut limã polita, non religiosa & astricta oratione, sed fusa magis & æquabili, summis certè uigilijs atq́ laboribus cõcinnauimus. Quantum enim mihi in his apparandis ac perpoliendis, siue rerum materiẽ & dignitatem, siue tractationis filum spectes, sudatum sit, malo ex opere ipso, quàm ex meo sermone cognoscas. Vnum tantũ dicam, in his meis Enarrationibus medicis, nihil quicquam me præter ueri scientiam, ac ueram uoluptatem quæ ex eiusmodi rerum inuestigatione percipitur, tum fructũ eum quem (si doctos modò & recti amãtes nactus fuero fœturæ huius meæ iudices) ad medicinæ studiosos prouenturũ spero, præter hæc inquam, sic Deum mihi propitium habeam, nihil aliud quæsisse me, non secundioris auræ rumusculos, non uulgi plausum, non inanes gloriolas, iuratus tibi testis esse ipse possum: qui eò rationes omnes meas dirigã, non ut magnis honorum & titulorũ insignibus (etsi ea mihi Dei benignitate atq́ clemẽtia minimè omnino desunt) clarus euadam, & media è turba emineam: sed ut ad Deum proximè sancto hoc in literis secessu adiungere me, & magna studiorum uoluptate perfrui possim. Indignitatis & abiectionis animi esse

reputans,

reputans, in affectando & ambiendo bonam multamq; uitæ partem, non in studijs & magnarũ rerum contemplatione ponere ac collocare. Quod quidem mihi uel natura, uel longo usu ita est insitum, ut diuelli ab ea uitæ ratione ac instituto nullatenus uelim: & qui aliam in partem sua studia contulerunt, optimũ hi sibi hominis statum inuidisse uidẽtur. Cuius sanè adipiscendi status, Philosophia sola magistra est, in quam qui sedatè & compositè uiuere cupit, se totum inuoluat oportet: nec ea tamen deserens, quæ ad fructuosam utilemq; actionem spectare erunt uisa. Atq; nos ad hoc uitæ genus perpetuò alacres, & ad artium honestissimarum studia inflammati perpetuò erimus, in quo sanè mea fuerit culpa, si non & tuæ, optime lector, & cæterorũ de me opinioni respondero: liceat modò per uitam & ualetudinem. Efficiam enim profectò, ut omnes fateantur, meam in iuuanda re medica uel egregiam operam, uel præclarã certè uoluntatem extitisse. Quo in genere, quid sim præstaturus, ipse studiorum meorum prolatus fructus abũdè (opinor) declarabit. Mihi enim certè in omni uita propositũ est, quoad mihi datum diuinitus fuerit, Deo ipsi primum ac Reipublicæ literariæ nostræ, hoc est, sacræ medicinæ deseruire, ueteremq; & diuturnam sitim optimarum artium atq; studiorum explere. In quibus semper ad aliquid promendũ, quod mortalibus usui sit, & Reipublicæ salutare, assidui erimus: ut ambrosia Deorũ ac nectare (ut est apud Homerũ atq; Platonem) satiati, ueris animi bonis frui abundè possimus. Vale lector, & nostra candido animo (quo certè damus) complectere.

## ENARRATIONVM MEDICINALIVM HIS SEX LIBRIS CONTENTARVM INDEX.

### LIBRO PRIMO.

LIBRO SECVNDO.


Labor

II. Fran

LIBRO QVINTO.

LIBRO SEXTO.

# ENARRATIONVM MEDICINALIVM LIBER PRIMVS, FRANCISCO VALLERIOLA MEDICO AVTORE.




*Animaduersio in librum de Flatibus qui Hippocrati adscribitur.*

## ENARRATIO PRIMA.


IBER QVI Περὶ φυσῶν græcè inscribitur, hoc est de Flatibus, magni illius Hippocratis esse sine controuersia ab omnibus est hactenus existimatum: quòd & dictione, & sententiarum pondere, & argumenti plena bonæ frugis tractatione, genuinam illam medicinæ parentis Hippocratis sapientiã referre uideretur. Nam cùm sententiæ quædam illustres hoc ipso libro cõtineantur, qualis una illa est, Esse artium quasdam quæ peritis earum multum laboris ac molestiæ, ijs uerò qui earum usu indigent, utilitatem pari iucunditate mistam adferant; esseq; ex earum numero medicinam, ut cuius ope ac beneficio à maximis malis ægroti liberentur, quos quidẽ ipsos magno suo labore, propriasq; ex alienis malis sibi demerente calamitates curat ingenuè Medicus. Et item illa, De occultissimis ac difficillimis morbis opinione potius, quàm scientia iudicari. Et rursus: Causa perspecta morborum, facile esse quæ conducant admouere. Et, Medicinam adiectionem quandam esse, & detractionem. Et contrariorum contraria esse auxilia. Et ipsa argumenti ratio atq; tractatio tota (est enim in id præcipuè ab autore, quisquis tandem ille fuerit, conscriptus liber, ut quænam morborum omnium causa, ac ueluti fons sit inueniatur) summi autoris cuiuspiam maiestatem referre meritò uideantur, ut ad Hippocratem autorẽ id quicquid est commentarij referretur, plerisq; omnibus est uisum. Verùm mirari subit, cur in tanta doctissimorũ hominum excellentiumq́; Medicorum turba, qui ab Hippocratis illius uetustissimi ætate in huius æui memoriam floruerunt, nemo quisquam, qui modò Hippocratis monumenta uersarit, inuentus adhuc sit, qui librum hunc diligenter uel examinarit, uel dubios qui in eo sunt locos sub censuram ullam reuocarit: sed sola inscriptione contenti, nihil maius aut solidius spectantes, tanquam germanum Hippocratis affirmarunt, inter legitima eius autoris monumenta reponen-

tes. Ego uerò etsi is minimè sum, qui præiudicatam hanc à tot iam seculis opinionem, uel conuellere magnis rationibus possim, uel coniecturis in diuersum mutare, (ne plus quàm alij sapere uidear) tamen cùm pleraque eo in opere sint, quæ non solùm ab Hippocratis doctrina, uerùm & à ueritate quoque ipsa sint alienissima, (quæ mox singulatim attingam) operæpretium facturum me putaui, si eos locos à me designatos & annotatos, in ordinem reponerem, falsosque, & ab omni medica institutione abhorrentes ostenderem: ut uel animaduersione hac mea, præstantissimos quosque, & emuncta nare homines, ad ferendam sententiam excitem, meque ipse confirmem: uel saltem meo in ea re officio functus mihi uidear, qui præterita ac neglecta uulgi medicorum de me opinione, (neque enim defuturos ignoro, qui quasi confirmatam iam in omnium mentibus opinionem euellere, prorsusque disijcere paradoxo hoc uelim, factum meum ceu arrogans insectentur) liberè quantum quidem ingenij uiribus potero, sententiam ipse meam aperiam, magnis illam quidem nec uanis fulcitam rationibus, unde illis fides apud non improbos iudices constare possit. Adferemus itaque quos ex hoc opere toto collegimus locos, qui seueriorem legentium animaduersionem curamque desiderent. Quos quidem ipsos ut falsos sumus ostensuri, sic sanè minimè dignos habendos qui ad autorem Hippocratem referantur. Horum primus hic est mox ad libri initium scriptus:

Ταύτης δὲ τῆς τέχνης τὰ μὲν φλαῦρα χαλεπὸν γνῶναι· τὰ δὲ σπουδαῖα, ῥηΐδιον· καὶ τὰ μὲν φλαῦρα, τοῖσι ἰητροῖσι, καὶ οὐ τοῖσιν ἰδιώτῃσιν· οὐ γὰρ σώματος, ἀλλὰ γνώμης ἔργα ἐστίν.

Quod est, Huius autem artis uilia, cognitu difficilia: seria & quæ alicuius sunt momenti facilia sunt, atque uilia quidem Medicis, non autem imperitis sunt cognita, non enim corporis sed mentis opera existunt.

VALLERIOLA.

Difficilis profectò & quæ non facilè aut animo concipi, aut uerbis explicari possit sententia hæc semper mihi est uisa. Non enim uideo qua ratione quæ in arte uilia sunt, hoc est minoris momenti, cognosci quidem difficulter: seria uerò & grauia facilè possint. Equidem si quod minoris est momenti uix deprehendi potest, uti hic censet Hippocrates, quomodo quis facilè ea deprehendat quæ in arte præcipua habentur? Ego uerò uilia ea in arte quapiam dici iure existimo, quæ artem minimè constituant: & in ijs quæ eius artis sunt infimum dignitatis locum teneant: qualia illa sunt, quæ à Galeno tum 3. tum 4. Methodi, primæ morborum indicationes dicuntur: uti uulnus cauum esse implendum, sordidum detergendum, simplex agglutinandum, & morbum omnem esse auferendũ (quod præter naturam sit) indicare. Hæc enim omnia (ut bellè illis in locis nos docet Galenus) neque artem constituunt, & plebeis æquè ac Medicis sunt perspecta. Quamobrem meritò uilia atque infima æstimari debent. At hæc quis nescit facilè cognosci? ut quæ etiam fullonibus, lanijs, cerdonibus, nullo monstrante, abundè sint cognita? Si quis enim ulcus cauum unicuipiam ex ijs ostendat, implendum esse sanè dicet: si sordidum, detergendum: si simplex, agglutinandum. Quid est

ergo quod hæc difficulter cognosci dixerit Hippocrates, si ab imperitis nullo negotio deprehenduntur? Pars uerò ea quæ mox sequitur (σπουδαῖα ῥηΐδιον) hoc est præcipua facilè noscũtur, à ueritate alienißima mihi planè uidetur, necꝫ digna quæ Hippocrati adscribatur. Equidem si totius naturæ gnarum: omnibusq́ꝫ ijs disciplinis atcꝫ artibus (quæ quidem ut sunt, sic sanè optimè nuncupantur) ornatum medicum esse oportet, ut millies in mille locis testatur Galenus, non uideo quo nam pacto quæ in arte Medica præcipua sunt deprehẽdi facilè poßint. Cuius enim artis inuentio difficilis est: eius quocꝫ theoremata difficilia esse necessariũ quidem est. Artis porrò difficultatẽ indicant cùm materiæ circa quã uersatur inconstantia atcꝫ mobilitas (perpetuò nãcꝫ fluit) tum instrumentorũ quibus ipsa utitur, incertitudo. Vtitur enim experimento & ratione, quorum alterum, nempe experimentum, periculosum est: alterum uerò ex ratione iudicium, haud quaquam facile existit. imo, sicuti aliquod aliud, ut uult Galenus, maximam habet difficultatem. Quamobrem rectißimè ob id longam esse artem idem censuit, quoniam ferè omnium operationum occasionem habeat momentaneam. Et ob id difficulter comprehensibilem, ut nemo eam poßit agnoscere, nisi qui diu in hoc fuerit exercitatus. Vnde meritò illud dixisse idẽ autor uidetur, quòd corporum propria cuiuscꝫ natura (quam ἰδιοσυγκρασίαν Græci uocãt) incomprehensibilis sit, uerã medendi artem Aesculapio Apolliniq́ꝫ dijs tantum concessam, ut quæ à nobis uix consequi poßit. Cuius sanè rei maximum nobis Hippocrates testimoniũ suis monumentis reliquit. Scribens enim ad Democritum, eam nemini cuiquam mortalium: ne ipsi quidem eius inuentori Aesculapio perspectam satis esse testatur.

*Lib. de Constit. artis medicinalis: & 2. de Facult. natur. & 1. Meth.*

*1. Aphoris. comment. 1.*

*3. Metaph. cap. 7.*

Ἐγὼ μὲν γὰρ ἰητρικῆς οὐ τέλος οὐκ ἀφῖγμαι, καίπερ ἤδη γηραλέος ἐληλυθώς· οὐδὲ γὰρ ὁ ταύτης εὑρετὴς Ἀσκληπιὸς, ἀλλὰ καὶ αὐτὸς ἐν πολλοῖς διεφώνησε. καθάπερ ἡμῖν αἱ τῶν ξυγγραφέων βίβλοι παραδεδώκασιν.

*Epistola ad Democritũ.*

Id est: Ego quidem ad Medicæ artis finem minimè perueni, etsi senex iam sum. Quin nec eius inuentor Aesculapius, nam & ipse in pluribus recantauit, ut scriptorum eius libri manifestum nobis fecerunt.

Quòd si & ipsemet Hippocrates, illiusq́ꝫ interpres Galenus difficillimam esse atcꝫ nondum satis perspectam artem Medicam confitentur: ut quæ coniecturis plurimùm nitatur: & in ea, ut Damascenus affirmat, immensa sit profunditas: qui quæso fieri potest, ut quæ in ea seria sunt & grauia facilè noscantur? Quod intuens Galenus, appositißimè dixisse est uisus, Vlcus curare non cuiusuis esse hominis: sed eius, cui omnis naturæ sit perspecta ratio. Sed reliqua discutiamus: nempe partem illam.

*In Aphoris.*

Καὶ τὰ μὲν φλαῦρα τοῖσι ἰητροῖσι, καὶ οὐ τοῖσιν ἰδιώτῃσιν.

*3. Meth.*

Quod est, Vilia ipsis quidem Medicis: non autẽ idiotis sunt cognita.

Quid hoc à ueritate alienius dici potest? Longè certè aliter Galenus, qui primas morborum indicationes omnibus hominibus præsto esse plebeis etiam probè notas, cùm tertio, tum sexto Methodi medendi asserit. ipsasq́ꝫ minimam esse curationis partem. Quod si uerum est (ut uerißimum esse res ipsa declarat) quonam pacto infima & uilia in arte so-

lis Medicis, non etiamnum imperitis erunt perſpecta? Non enim, ſcire quid fieri oportet, (ut. 6. Methodi nos bellè docet Galenus) id magna res eſt, ut quod omnibus hominibus natura inſit, ſed quibus rationibus illud efficias: id uerò ſcire artificum eſt: quod appoſitiſsimis exemplis nititur eo loci declarare Galenus. Itaqꝫ uilia & quæ minimi ſunt momenti, cuiuſcunqꝫ artis tandem ea ſint, nec magnum quiddam haberi debent, (ut quæ artis ſint tantum initium, non propria aliqua pars) & omnibus ſunt perſpecta: non tam artificibus ipſis, quàm etiam imperitis. Quin nec quæ ſequitur præcedentis partis probatio, digna Hippocrate eſt habenda:

οὐ γὰρ σώματος, ἀλλὰ γνώμης ἔργα ἐστίν.

Hoc eſt, Non enim corporis ſed mentis opera exiſtunt.

Ob id enim uult, uilia in arte captu difficilia eſſe, quòd non corporis, ſed mentis opera ſint. At quæ σπουδαῖα ſunt (ut ille uocat) æquè mentis atqꝫ illa ſunt opera. Quamobrem ſi ea ratione ad comprehendendum difficilia quæ in arte uilia habentur uoluit eſſe, quod mentis opera ſint: multò certè magis quæ ſeria erunt: quòd maiore mentis intentione, maiore diſquiſitione egeāt. At iam paulò longius progrediamur.

HIPPOCRATES.

Τῶν δὲ δὴ νόσων ἁπασέων, ὁ μὲν τρόπος ὁ αὐτὸς· ὁ δὲ τόπος διαφέρει. δοκεῖ μὲν οὖν τὰ νοσήματα οὐδὲν ἀλλήλοισιν ἐοικέναι, διὰ τὴν ἀλλοιότητα καὶ ἀνομοιότητα τῶν τόπων. ἔστι δὲ μία τῶν νοσέων ἁπασῶν καὶ ἰδέη, καὶ αἰτίη ἡ αὐτή.

Morborum, inquit, omnium unus & idem modus eſt, locus uerò ipſe differentiam facit. Quare uidentur quidem morbi nihil ſimile habere, ob locorum ſcilicet diuerſitatem atqꝫ diſsimilitudinem, cùm ſit tamen morborum omnium una & ſpecies, & cauſa eadem.

VALLERIOLA.

VNum eundemqꝫ morborum omniū eſſe modum, non aliter conſtare poteſt, quàm ſi intelligas unam quampiam atqꝫ cōmunem morbis omnibus ineſſe naturam, cuius communione ex æquo morbi omnes, ut morbi ſint, ſortiuntur: eſſe enim præter naturam, atqꝫ moleſtia afficere homines, functionibuſqꝫ incommodare, omnibus ſanè morbis conuenit: qua quidem ratione dici iure optimo poteſt, morborum omnium unum eſſe modum, rationemqꝫ unam. Si autem per modum, nocendi formam intellexit: falſum id eſſe euidentiſsimè conſtat. Non enim ſimilem inter ſe noxæ rationem morbi omnes obtinent, ſed aliam alij: ut nonnulli qualitatum exceſſu, alij deprauatione uel figuræ, uel numeri, uel magnitudinis, non pauci ſoluta unitate lædant, multi horum coagmentatione. Alij item rurſus citra dolorem, plærıqꝫ maximo cum dolore negotiū homini faciant: ut ferè tot eſſe dicas læſionum modos, quot & morborum. Locum uerò (quod proximè ſubdit) diuerſitatem in morbis facere, id perſpectum cuiqꝫ eſſe debet. Siue enim loci nomine affectam ſedem, ſiue regionem & tractum quem incolimus intelligi uult, conſtat undique ſenſus. Nam & corporis ſedes affectæ (qui loci nuncupantur) & regionis in qua degimus natura magnam in morbis

pariunt

pariunt uarietatem: uti ex Hippocratis ſcriptis lib. de Aëre, aquis, & regionibus: & ex Galeno libris de Locis affectis, colligi conceptis etiam uerbis poteſt. Verùm quod mox ſequitur, uti à ueritate omni alieniſsimum, ſic ſanè indignum quod à tanto autore ſit pronuntiatum: nempe, Morborum omnium unam eſſe tum ſpeciem, tum cauſam. Quod ſi ita eſt, cur de morborum differentijs, deq; ipſorum cauſis tam multa fuſiſsimè ſcripſit Galenus? Si enim una tantum eſt morborum omnium ſpecies, quorſum tot diſcrimina? tot differentiæ? Vnam item omnium curationem morborum eſſe oporteret, ſi una tantum morborum eſſet ſpecies: at cùm plures ſint, eæq; diuerſiſsimæ: conſequitur, non unam, ſed plures, uti reuera ſunt, morborum ſpecies eſſe. At quis non uidet in intemperie multifidas eſſe affectuum ſpecies, nempe tot, quot in temperatura exceſſus conſtare poſſunt. In ſtructura, in ſolutæ unitatis genere quàm multæ? Quæ ne longiſsima narratione explicare cogar, rem totam cumulatiſsimè liber de Morborum differentijs explicabit. Atque quod de ſpecie dictum eſt, de cauſa item dici rectiſsimè poteſt: innumeræ enim ſunt morborum cauſæ: non externæ modò, & ut uocant præincipientes, uerùm corporeæ & internæ. Quomodo igitur morborum omnium una erit uel ſpecies uel cauſa? cùm & ipſemet Hippocrates, & eius interpres Galenus benè multas ſtatuant, ex quibus methodos conficiant ſuas.

HIPPOCRATES.

*Ἅπαν γὰρ τὸ μεταξὺ γῆς καὶ οὐρανοῦ, πνεύματος συμπλέον ἐστί. τοῦτο καὶ χειμῶνος καὶ θέρεος αἴτιον.*

Quod, inquit, inter Cœlum & terram eſt, id omne ſpiritu plenum eſt. Hic & hyemis & æſtatis cauſa eſt.

VALLERIOLA.

QVod inter cœlum terramq; interiacet, ſpiritu id omne compleri, etſi quadãtenus admitti id poſsit, cùm ſit ferè rebus omnibus interміſtus aër: tamen ambiguitatem ſanè ea res uel maximam habet. Si enim ſpiritus nomine mundi illam à Platone inductam animam audiamus, eiusq; placita ſectemur, fatendum quidem indubiè erit, ſpiritu omnia plena eſſe, qui ui & potentia ſua omnia regat, omnia moderetur, ſeſeq; per omnes mundi artus omnium ſator inſerat, atq; infundat, unde rebus omnibus uigor atquē origo conſtet. Quod intuens poëtarum ſummus pulchrè illud ceciniſſe uidetur: *Vergilius 6. Aeneid.*

*Principio cœlum ac terras, campoſq; liquenteis,*
*Lucentemq; globum Lunæ, Titaniaq; aſtra*
*Spiritus intus alit: totamq; infuſa per artus*
*Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.*
*Inde hominum, pecudumq; genus, uitæq; uolantum,*
*Et quæ marmoreo fert monſtra ſub æquore pontus.*
*Igneus eſt ollis uigor, & cœleſtis origo*
*Seminibus.*

Si ad hunc quidem modum ſpiritus nomine huius libri autor uſus eſſet, quæ inter cœlum terramq; interiacent, ſpiritu

omnia compleri, uerissimum esset habendum. Sed quando ea uoce πνεύματος aërem intellexisse eum indubitatum est, (quod & ipsa tota argumenti huius in hoc libro tractatio, & ipsa quoque operis inscriptio quæ περὶ φυσῶν, hoc est, de flatibus, seu spiritibus est, abundè docent) talem sensum, qualem modò proposuimus, ea pars habere non potest. Itaque id eum uoluisse constat, Omnia quæ inter cœlum & terram sunt aëre compleri, ac spiritu plena esse: quod sanè stare minimè potest. Nam etsi plerisque rerum intermistũ, confusumque aërem esse certissimum est: non tamen ob id aëris plena omnia. Antris, & specubus terræ ac maris, plurimũ aëris subesse certissima fide constat: id enim terræ è mineris metallarijs manantes auræ, cauernarumque mugitus abundè docent. Non tamen eò fit, ut quicquid inter cœlum terrasque interest, id aëre omne compleatur. Quod si accidit, ubi ignis? ubi aqua? Si enim ubique est aërem inuenire, inerit & aquæ & terræ aër: unaque confusus atque intermistus cæteris se elementis insinuabit. Atqui fieri id naturæ lege minimè potest. Habet enim elementum quodque sua à natura constituta loca, quæ alienam omnem à se substantiã excludant: nec duo in unum corpora mutuo complexu implicari possunt. Non enim ubi aqua, terra, aut ignis, ibi aër erit: nisi fateri uelimus, & corpora sese inuicem eodem in loco complecti posse: & nullum dari elementum in quo non plurimum aëris subsit: quo quid absurdius? Nam etsi terram aquamque non rarò à spiritu agitari uidemus: agitatio quidem ea, non à congenito & insito, sed extrario & aduentitio spiritu, uique atque impetu magno eò delato fit. Quoties enim se is in terræ meatus & maris insinuarit, turbari & agitari magnis fluctibus æquora, concuti terram & conuelli cernimus, propriam scilicet sedem petente spiritu, qui in alieno loco, ceu carcere quodam conclusus, uiam sibi magno impetu in natiuam sibi sedem facit. Vnde & terræ motus, & maris æstus & undarum reciprocationes euenire doctissimi philosophorum Democritus & Aristoteles arbitrantur. Ipsum uerò hyemis & æstatis causam esse, quis credere possit? Hyemem certè atque æstatem, cæterasque temporum uicissitudines, non spiritus ipse, sed syderum motus, in primis uerò Solis facit. Hic enim accessu suo ad nos, uel discessu, æstatem & hyemem conficit, ut astronomorum omnium concors est sententia. Quæ ne gratis dixisse uideri possim, præstantissimorum autorum ea de re scita adferam: ut non tantorum uirorum testimonio solùm, sed & adductis ab ipsis rationibus pugnem. Plato mundi mirabilem genesim in Timæo enarrans, ad hunc modum disserit. Hac ratione (inquit) consilioque Dei tempus creare uolentis, Sol & Luna, & aliæ quinque stellæ, quæ uocantur Errantes, factæ sunt: quò temporis numerus distinguatur, atque obseruetur. Et paulò pòst, de Sole loquẽs, A Sole inquit, noctis dieique uarietas orta est: propter hæc etiam unius sapientissimique circuitus reuolutio. Mensis uerò prouentus quando Luna lustrato circulo suo Solem consecuta est. Anni, ubi Sol suum peragrauit orbem. Chalcidius uerò in suis ad Timæum Platonis commentarijs, præcitatum locum explicans, nostram tota hac de re sententiam plenius confir

*2. Meteor. cap. 7. & 8.*

confirmare uidetur, inquiens: Est igitur totius mundi talis constitutio, ex corporibus materijsq; integris, prouidentiæ gubernaculis ad motum æternitati conuenientem directa, motuiq; proprio simile formam præferens globosam. Verùm ad dinumerationem conuersionesq; temporum, immutationesq; & diuersitatem terrenorum, stellarum errantium uarius motus necessarius omnibus qui nunc accidunt euentibus, autoritatem dedit. Et paucis interiectis, Causa, inquit, mutationum ex uario motu planetarum est. Nam si una eademq; esset perinde ut fixarum stellarum circumuectio, unum semper eundemq; motum obseruantibus omnibus stellis, ne ista quidem ulla proueniret diuersitas. At nunc conuersiones & æquinoctia, processusq;, & regradationes, per latitudinem, perq; altum, maximè quidem Solis & Lunæ, tum cæteroru quoq; syderum, uices temporum mutant: & omnem istam important commutationem. Et rursus alio loco: Igniuit (inquit) lucem clarissimam Deus rerum conditor, è regione secundi à terra globi, quam lucem Solem uocamus, tum propter cæteras ineffabiles utilitates, quas uniuerso mundo Sol inuehit: tum etiam propter ignis huiusmodi dicit extitisse genituram, ut tanta rerum designatio nulla tegeretur obscuritate, ut cùm idem rebus colorem daret, tum etiam numeri quo temporis spatia notantur, commoditas proueniret, atq; ut dierum & noctium uicissitudo succederet. Mensis uerò designauit esse genituram, cùm Luna peragrato circulo suo Solem conuenit. Anni quoque, cùm Sol ad idem signum ex quo progressus erat reuertitur, numero dierum trecentorum sexaginta quinq;, & parte quarta. Hæc Plato eiusq; interpres Chalcidius. Ex quibus apertissimè constat, temporum omnium uicissitudines, nempe ueris, æstatis, autumni, & hyemis, in Solis præcipuè motum esse omnino reijciendas: ut qui (quemadmodu Astronomi perhibent omnes, & Plato atq; Chalcidius testantur) accessu ad nos suo æstatem, recessu hyemem faciat: per septentrionalia enim signa gradiens uer & æstatem, per meridionalia autumnum & hyemem conficit. Quin & Galenus ipse ducem suum Platonem sequutus, horum temporum uicissitudines, syderum quorundam ortu & occasu fieri, non spiritu (ut huius operis autor uelle uidetur) magna certè ratione affirmat: siquidem commentario primo in primum Epidemiorum Hippocratis, & III. Aphorismorum commento decimoquarto, ueris, æstatis, autumni, & hyemis constitutiones ex astris sumit. Veris (inquit) initium est in Hellesponti parallelo æquinoctium, finis Vergiliarum ortus: atq; æstatis hoc est initium, quemadmodum æstatis terminus est, principiumq; autumni Arcturi ortus, qui dies circiter duodecim æquinoctium autumnale antecedit. Iam Vergiliarum occasus & hyemis principium & finis est autumni. Tertiò uerò de Diebus decretorijs Solem æstatis, hyemis, ueris, atq; autumni autore constituit, cap. II. eius tractationis. Quin & rei rusticæ præstantissimi quiq; autores temporum causas in astrorum motum meritò referunt. uti ex Varrone, Columella, Constantino Cæsare colligi apertissimè potest. Itaque non aër ipse seu spiritus, æstatis & hyemis

mis causa erit statuenda: sed Solis astrorumque quorundam alius atque alius motus: ut mox à nobis ex omnium & Philosophorum & Medicorum placitis est probatum.

HIPPOCRATES.

ἀλλὰ μὴν ἡλίου καὶ σελήνης καὶ ἄστρων ὁδὸς, διὰ τοῦ πνεύματός ἐστι. Et paulò pòst, ὥστε καὶ τὸν τοῦ ἡλίου δρόμον ἀέναον ἐόντα ὁ ἀὴρ ἀέναος καὶ λεπτὸς ἐὼν, τὸ εἶναι παρέχει.

Id est: Quin & Solis & Lunæ & astrorum uia per spiritum existunt: adeò ut Solis etiam cursui æterno existenti, aër æternus atque tenuis existens esse præstet.

VALLERIOLA.

NEmini cuiquam uel Philosophorum, uel Astronomorũ probari hanc sententiam uideo. Quomodo enim syderũ uia (Solis præsertim) per spiritum procedat? Cùm illud in confesso sit, extra elementarem regionem, cœlestia hæc corpora esse, longéque ab elementorum sedibus posita, suis in orbibus circulari motu rotari: idque ut uult Aristoteles, ab separata illa substantia, quæ cuique orbi in id ut ipsum intorqueat præest? Fertur enim Sol in suo orbe perpetua conuersione zodiaci signa percurrens, quod dierum trecentorum sexaginta quinque & quarta diei parte continuato cursu conficit. Luna uerò menstruo fermè spatio id ipsum absoluit. Non itaque aut Sol, aut Luna, aut reliqua sydera per aërem ceu propriam uiam discurrunt: cùm ab hoc longissimis interuallis disclusa, suis in orbibus moueantur ut Ptolemæi, Alphragani, Purbachij, Alphonsi, omnium ut in summa dicam, Astronomorum concors est sententia. Neque rursus ab spiritu tanquam motus eorum effectrice causa moueantur: cùm Aristoteli persuasum sit, ab intelligentijs quibusdam orbi præfixis astra orbesque ipsos moueri. Si enim (quod à ueritate alienissimum est) ab spiritu moueri astra contingeret, cùm hic plerunque inordinato quodam uiolentoque motu feratur, ut cùm uentis magno impetu iactatus huc & illuc ueluti nutabundus fluctuat: consequens quidem esset, & astra quoque ipsa inordinatè & incompositè ferri: quo quid absurdius? cùm stati sint, neque suum unquam ordinem deserentes syderum motus: nempe ab eo motore recti, qui neque turbationi, nec mutationi, aut ordinis peruersioni sit ipse obnoxius. Pudendum igitur existimari debet, Solis & astrorum uiam per spiritum esse, cùm neque ut effectrix causa, neque ut administra spiritus ipse astrorum motui seruire possit, unde & quod sequitur ex eodem autore (nempe aërem ipsum motum Solis æternum conseruare, illique essentiam præbere) explodi tanquam ab omni ueritate alienissimum debet. Quomodo enim corruptibile incorruptibili, mutationi & alterationi obnoxium, ei quod neutrius horum est capax, consistentiam præstet? uel illius motum conseruet? Essentiam dare, potentiæ & perfectionis est: quod enim est impotens, imbecillum, atque imperfectum, alteri nullo pacto essentiam dare potest. Cumque aër astris ipsis, multoque magis Sole & infirmior sit, & imperfectior, potius aërem à Sole essentiam accipere, ab eoque ipsius motum seruari, quàm è contra decet: quod reuera fieri planè uidemus: illustratur enim à Sole aër: tenuior, puriorque

*12. Meth. ca. 8. textu numeri 43. ex Argyropilo. et 74. ex Bessarione. Et rursus eodem cap. nu. 48. ex Argyropilo. & 81. Bessarionis. Et itẽ Auerrois in eius partis cõmentario.*

*Vbi suprà immediate 12. Meth. cap. 8.*

puriorq́; redditur, ab eoq́; unà in gyrum ducitur. Vnde est illud Aristotelis, Necesse esse mundum hunc inferiorem contiguum esse superioribus lationibus ut omnis eius inde uirtus regatur. Non itaq; Sol & astra ab spiritu, sed contrà spiritus ab astris uim atque potentiam accipiet & conseruabit suam: quod præter rationes adductas, ipsa sensuum ratio plenè confirmare uidetur. 1. Meteor. cap. 2.

HIPPOCRATES.

*Ἀλλὰ μὴν καὶ περὶ τοῦ πελάγους ὅτι μέθεξιν ἔχει τοῦ πνεύματος παντί που δῆλον. οὐ γὰρ ἄν ποτε τὰ πλωτὰ ζῷα ζώειν ἠδύναντο, μὴ μετέχοντα πνεύματος. μετέχοιεν δὲ πῶς ἂν ἄλλως, ἀλλ' ἢ διὰ τοῦ ὕδατος, καὶ ἐκ τοῦ ὕδατος ἕλκοντα τὸν ἀέρα; Καὶ τῇ μήνῃ, ὧδε τούτου βάθρον, οὗτός γε τῆς γῆς ὄχημα· κενεόν τε οὐδέν ἐστι τούτου.*

Quod est: Verùm quòd mare ipsum spiritus particeps sit, manifestum omnibus esse puto. Non enim uiuere natantia animalia possent, si non spiritu participarent. Quomodo autem participarent, si non per aquam, & ex aqua spiritum attraherent. Et Lunæ hic fundamentum est, & terræ uehiculum, neq; quicquam usquam spiritu uacuum est.

VALLERIOLA.

Mare spiritus particeps esse haud quaquam omnibus euidens existimari debet. Nam etsi confundi atq; misceri non rarò spiritum aquis uidemus, non tamen ob id continuò affirmandum id erit, esse mare aëris, seu spiritus particeps. Equidem cùm solidum quoddam corpus, alienamq́; intra se substantiam non admittens mare sit, qui fieri potest, ut unà secum confusum aërem habeat atq; intermistum? Quin uel ex eo probari haud difficulter contrarium potest, quòd cùm aërem forte fortuna intra se admiserit (qui quidem se è terræ specubus atq; antris non rarò in æquoris cauernas fundit) tum uel maximè æstuet mare, magnisq́; fluctibus elatum eo usq; turgescat, donec conceptum aëra foras uniuersum eiecerit. Vnde fit, ut & murmure magno, & elisis undiq; concursantibus undis sese aër in proprium locum uindicet: in quem cùm se receperit, tum quietum & tranquillum, minimeq́; undosum reddi mare cernamus: eo uidelicet argumento, quòd omnis quæ intrò subsederat aliena eiecta sit substantia, quæ quidem ipsa naturæ suæ ui atq; potentia sese exerit, & foras profert: quòd ui detenta natiuam sibi sedem propriæ naturæ ductu appetat. Quæ uerò ad id probandum, quod initio assumptum est, adducitur ratio, minimè concludit. Probat enim ea ratione, in mari spiritum inueniri, quòd si non spiritu participarent, quæ in eo animalia degunt, uiuere minimè possent. Quasi uerò natatilia ut uiuant spiritu & aëris attractatione egeant? Atqui contrà uisum Aristoteli est, qui natatilium pleraq; nec respirare, nec pulmonem habere, atq; ex consequenti nec spiritum trahere, magnis certè persuasionibus affirmauit. mollis enim generis piscium, crustaceorum, testaceorumq́; nullum, aut respirat, aut spiritus attractu uiuit. Solùm enim quæ sanguine prædita sunt & pulmones habent, ut delphini, & cetacæi generis, pleraq; respirare creduntur & aëris inspiratu uiuere: de ijs enim loquens Aristoteles sic ait:

*4. de partib. anim. cap. 5.* Ἔτι δ᾽ ὧν ἕνεκεν ἔχουσι τὰ σπλάγχνα τὰ ἔναιμα τῶν ζώων, οὐθὲν ὑπάρχει τούτοις· οὔτε γὰρ φλέβας ἔχουσιν, οὔτε κύστιν, οὔτ᾽ ἀναπνέουσιν.

Nihil (inquit Aristoteles) etiam ex ijs quorum gratia uiscera habent animalia sanguine prædita: datum eiusmodi animalibus est. Non enim uenas hæc habent, non uesicam, non spirandi usum. Et rursus.

*3. de partib. anim. cap. 6.* τὰ δὲ μὴ ἔναιμα, καὶ ὑπὸ συμφύτου πνεύματος δύναται καταψύχειν. ἀνάγκη δὲ καταψύχειν ἔξωθεν, ἢ ὕδατι, ἢ ἀέρι. διόπερ τῶν μὲν ἰχθύων οὐδεὶς ἔχει πνεύμονα ἀλλ᾽ ἀντὶ τούτου βράγχια, καθάπερ καὶ εἴρηται ἐν τοῖς περὶ ἀναπνοῆς. ὕδατι γὰρ ποιεῖται τὴν κατάψυξιν, τὰ δὲ ἀναπνέοντα, ὑπὸ ἀέρι. διόπερ πάντα τὰ ἀναπνέοντα ἔχει πνεύμονα. ἀναπνεῖ δὲ τὰ μὲν πεζὰ πάντα. ἔνια δὲ καὶ τῶν ἐνύδρων οἷον φάλαινα καὶ δελφίς.

Quæ sanguine carent (ait) uel suo natiuo spiritu satis refrigerari possunt: extrinsecus autem uel aëre, uel aqua refrigerari necesse est. Quamobrem piscium nullus habet pulmonem, sed pro eo branchias obtinent, ut cùm de spiratione ageremus retulimus: aqua enim refrigerantur, ut aëre quæ spirant. Quamobrem omnia quæ spirant, habent pulmonem. Spirant autem pedestria omnia, & aquatilium nonnulla, ut Balena & Delphinus.

*Loci Aristotelis explicatio.* Ex hoc autem Aristotelis loco euidentissimum fit, quæ in aquis degunt animantia & sanguine carent, uel natiuo suo spiritu quem congenitum intus habent, uel aqua satis ut uiuant refrigerari, nec aëris attractu egere, quòd & sanguine careant, & pulmone: quo in genere mollia omnia, crustacea, & testa intecta supra reposuit, quarto scilicet de Partibus animalium cap. V. Itaque cùm piscium nullus pulmonem (exceptis admodum paucis) habeat, nec respiratione quidem ipsos uti consequens erit. Nec quæ in piscibus constitutæ à natura branchiæ sunt ad aëris attractum, sed aquæ potius ualent, testis est idem Aristoteles II. de Natura animalium ad hunc modum loquens: *cap. 13.*

Οἱ δὲ ἰχθύες, ὥσπερ εἴρηται, οὔτε μαστοὺς ἔχουσιν, οὔτε αἰδοίων πόρον ἐκτὸς οὐθένα φανερόν, ἴδιον δὲ ἔχουσι τό, τῶν βραγχίων, ᾗ τὸ ὕδωρ ἀφιᾶσι, δεξάμενοι κατὰ τὸ στόμα καὶ τὰ πτερύγια.

Quod est: Pisces igitur (ut modò dixi) nec mammas habent, neque meatum genitalem ullum intus conspicuum: branchias autem rem habent peculiarem, quibus humorem quem ore acceperunt reddunt.

Non igitur ut uiuant in pelago pisces respiratione & aëris attractu egent. Quamobrem neque ex aqua, neque per aquam (ut hic uult Hippocrates, aut potius huius libri autor) aërem excipient. Quanquam scio *Plinius.* Plinium aduersus Aristotelem niti rationibus quibusdam, illud scilicet arbitratus, Pisces arcano quodam, ac sibi peculiari respirationis modo, aërem attrahere. sic enim IX. de Naturali historia cap. VII. scribit: Nec me protinus (de Aristotele loquens) huic opinioni eorum accedere haud dissimulo: quoniam & pulmonum uice alijs possunt alia spirabilia inesse uiscera, ita uolente natura, sicut & pro sanguine multis alius humor. In aquas quidem penetrare hunc uitalem halitũ quis miretur, qui etiam reddi ab his eum cernat? Et in terras tanto quoque spissiorem naturæ partem penetrare argumento animalium, quæ semper defossa uiuunt, ceu talpæ? accedit apud me certæ efficaciæ, ut credam omnia in aquis spirare

naturæ

naturæ suæ sorte, primum sæpe adnotata piscium æstiuo calore quædam anhelatio, & alia tranquillo uelut oscitatio. Hæc Plinij, summi me hercule uiri de piscium respiratione opinio: sed quæ si cum Aristotelis conferatur, parum omnino roboris sit habitura. Nam quæ suapte natura frigida animalia sunt, præsertim quæ sanguine carent, & pulmone ad uitam degendam, aëris attractu non egent (quòd calida adeo non sint, ut aëre ad refrigerationem opus habeant) sufficit enim illis in qua degunt aqua, cuius beneficio abundè (ut uult Aristoteles) ipsa refrigerantur. Nec testimonium illud anhelationis piscium æstiuo tempore factæ quicquam aliud probat, quàm esse pisces quosdam, qui æstu fatigati crebrius anhelent: quod sanè faciunt quibus fistula pulmoq; inest, ut Balenæ atq; Delphino: cæteris autē minimè. Sed iam ad aciem instruendam aduersus huius autorē libri reuertor: Lunæ (inquit) aër fundamentum est, & terræ uehiculum. Quomodo autem sit Lunæ fundamentum planè nec uideo ipse, nec sensisse Philosophorum quenquam existimo. Quin profectò (ut ingenuè dicam) ridiculum id mihi & ne docto quidem homine dignum, nedum Hippocrate, uisum est. Qui quæso fieri potest, ut Luna aëri ceu basi innitatur? cùm ab eius omni regione sit longè sepofita, interstitq; medius ignis globus? Nisi dicatur, ita fundamentum esse aërem Lunæ, ut eo ad alimoniam egeat. (Ali enim astra humore & halitu terræ, à nonnullis, etiam sapientibus uiris, uideo existimatum.) At id planè conuellit Aristoteles, cui planè assentior: non enim egent astra, utpote purissima & ætherea corpora, terreno alimento. Quamobrem nullo pacto aër Lunæ fundamentum esse poterit, nec ut basis, nec ut alimenti rationem subiens. Terræ autem esse uehiculum maiorem sanè fidem habet, quòd putent nonnulli, aëris subnixu terram in medio sitam manere, nec deorsum ferri, repugnante aëris substrata mole. Vnde Plinius rerum naturæ consultissimus. 11. Natur. histor. uitalem hunc (inquit) & per cuncta rerū meabilem, totoq; consertum, cuius ui suspensam cùm quarto aquarum elemento librari medio spatio tellurem: ita mutuo complexu diuersitatis effici nexum, & leuia ponderibus inhiberi quo minus euolent, contraq; grauia ne ruant suspendi leuibus in sublime tendentibus &c. Vnde non abs re hoc dictū ab autore puto, esse inquam terræ uehiculum aërem, quod ego dictum ceu uerum probo, uti alia ceu à ueritate aliena minimè recipio.

*Plin.2.Natu. histor.cap.9. ad finem.*

*cap.5.*

HIPPOCRATES.

Πρὸς αὐτὰ τὰ ἔργα τοῦ λόγου πορευθεὶς, ἐπιδείξω τὰ νοσήματα τοῦτο ἀπόγονά τε καὶ ἔκγονα πάντα ἐόντα. πρῶτον δὲ ἀπὸ τοῦ κοινοτάτου νοσήματος ἄρξομαι πυρετοῦ. τοῦτο γὰρ τὸ νόσημα πᾶσι ἐφεδρεύει.

Quod est: Ad ipsa opera sermonem conuertens, demonstrabo morbos omnes ab hoc initium ortumq; assumere, exordiar autem à communissimo omniū morbo febri, qui quidē morbus omnibus alijs comes est.

VALLERIOLA.

DVo series hæc tota continere uidetur à uero maximè abhorrentia. Illud primum, Morbos omnes ab aëre seu spiritu ortum ducere.

Secundum, Febrim morbis cæteris omnibus comitem esse, illisq; asside- re. Quorum utrunq; apertissimè falsum esse, non solùm ipsiusmet Hip- pocratis, eiusq; interpretis Galeni constanti mille in locis asseueratione: sed & sensuũ fide monstratur. Nam cùm morbos plerosq; à calore uren- te, alios à nimia siccitate, multos ab humiditate fieri cernimus: quomo- do affectus hos ab aëre prouenire dicemus? cùm præsertim in tempera- tissimo aëre clementissimoq; cœli tractu, morbos interdum sæuissimos ac exitiales accidere uideamus? At uerò si morbi omnes ab spiritu eue- niunt, quorsum tanta morbificarum causarum à Galeno libro ad id di- cato enumeratio? Sat enim uidebatur, unum tantũ spiritum, ceu cõmu- nem morborum omnium causam, statuisse: cùm tamen unius cuiusdam generis causa tantum constituatur, nempe eius quod in flatuosa substan- tia situm est, ut XIIII. Methodi & II. ad Glauc. bellè tractatur. Quin si morborum genera singillatim excutere uoluerimus, inueniemus pro- fectò paucissimos ab spiritu ortum ducere. Qui enim ab intemperatura, uel nuda qualitate fiunt, uel etiamnum substantiæ iuncta, ab spiritu mi- nimè oriuntur, sed ab ea quæ intemperaturam excitauit causa. Fluxio- num insuper morbi non ab hoc spiritu, sed ab eo qui in affectam partem influit succo nascuntur: phlegmone enim à sanguine copiosiore, œdema à pituita, Erysipelas à bili, Cancer ab atra bili: sola ea fluxio quæ ex fla- tuosa quapiam substantia nascitur, ab hoc ortum ducere iure putandum est. Præterea qui ad instrumenta pertinent morbi, rarissimi, aut ferè nul- li, à flatu proueniunt: obstructio enim plerunq; (ut IX. Metho. uult Ga- lenus) uel à multis, uel crassis & lentis prouenit succis: flatus enim ten- sionem potius quandam, quàm obstructionem (nisi admodum crassi & multi sint) facere solent: quanquam & obstructionem nonnunquam. Formæ item deprauatio, luxatio, morbi in numero, & magnitudine, & qui ad solutam unitatem pertinent, quis unquam (nisi demens sit, & pla- nè inscientissimus) in spiritum, ceu in causam propriam & peculiarem reiecerit? Quæ quoniam & Galeni præclaris sententijs, & autorum Me- dicinæ omnium testimonio constant, ipsaq; sensuũ fide, ridiculum uide- tur tam perspicuis rebus lucem uelle addere. Febrim autem (quod se- cundo loco examinandum nobis est) morbos omnes comitari quotidia- na experientia falsum esse experimur. Non enim eos, qui à frigore per se oriuntur, repugnante ad id natura comitari febris potest: quandiu sal- tem uis se ipsa frigoris ualidissimè exeret. Quosdam nanq; rigore, præ nimio frigore apprehensos interijsse absq; ulla febri, & olim obseruatum est, & nũc non rarò etiam spectamus. In conuulsione superuenire febrim laudat Hippocrates, quod (ut interpretatur Galenus) superueniens fe- bris, frigidos & glutinosos succos, à quibus conuulsio ea quæ ex pleni- tudine est oritur, extenuet, calefaciat, ac tandem dissoluat. Non itaque cõuulsionis eius, quæ à frigidis succis est, febris comes erit, cùm illius ceu remedium ab ipsomet Hippocrate statuatur. Comitialis item morbus plerunq; sine febri est, & attonitus item, atq; resolutio, ut ad quos probè curandos febrim accendere methodo iubemur. Sed quid uentriculi, ioci- noris,

tanta

2. Aphoris

cinoris, lienis, omniumq́, ut in summa dicam, uiscerum internorum frigidos morbos taceo? Cruditatem enim uentriculi à frigido ortam, & malum corporis habitum, & lienis scyrros frigidasq́ membrorum intemperaturas, nunquã febris comitatur: ut plena sensuũ fide, omniumq́ medicinæ autorum testimonio constat. Non igitur febris morborum omnium comes est.

HIPPOCRATES.

*Μετὰ δὲ πολλῶν σιτίων ἀνάγκη καὶ πολλὸν πνεῦμα ἐσιέναι· μετὰ πάντων γὰρ τῶν ἐσθιομένων καὶ πινομένων ἔσεισι πνεῦμα ἐς τὸ σῶμα, ἢ πλέον, ἢ ἔλασσον· φανερὸν δὲ διὰ τῶνδε ἐστίν. ἐρυγμοὶ γὰρ γίνονται μετὰ τὰ σιτία καὶ τὰ ποτὰ τοῖσι πλείστοισιν. ἀνατρέχει γὰρ ὁ κατακλεισθεὶς ἀὴρ, ὁκόταν ἀναῤῥήξῃ τὰς πομφόλυγας ἐν ᾗσι κρύπτεται· ὅταν οὖν τὸ σῶμα σιτίων πληρωθῇ, καὶ πνεύματος πλησμονὴ ἔτι πλείων γίνεται, τῶν σιτίων χρονιζομένων.*

Quod est: Cum multis igitur cibis multum etiam spiritus ingredi est necesse: cum omnibus enim quæ eduntur bibunturq́ plus spiritus minusue ingreditur corpus. Atq; id quidem inde fit manifestum, quòd eructationes plerisq; post admissos cibos potionesq́ accedũt: recurrente nimirum aëre incluso, ubi perfregerit bullas in quibus latet. Quando igitur corpus cibis impletur, spiritus etiam abundat cibis cõmorantibus.

VALLERIOLA.

SI pro ingestorum copia multum spiritus atq; aëris corpus ingredi sit necesse (ut conceptis uerbis confirmat tota huius loci series) malè actum omnino esse cum helluonum & ganeonum populo, atq; adeò parasitis omnibus, qui non nisi aliena (ut Flaccus ait) norunt uiuere quadra, existimandum esset. Equidem cùm ij omnes uel naturæ impulsu, uel deprauato more, uel uoluptatis illecebris gulæ & uentri præ cæteris hominum indulgeant, ut non solùm ciborum copia & uarietate, sed & cõmessatione frequenti sese ingurgitent, ingentem aëris copiam eorum corpora subijsse (si uera sunt quæ hic adducuntur) foret necesse. At uerò ingens spiritus copia intrò admissa cùm dolores, flatus, murmurilla, tensiones omneq́; cõcoctionis munus euertere soleat, ut sexto de Symptomatum causis bellè docet Galenus. Cõsequens certè esset, eos omnes, qui se ad epulas plus nimio inuitassent, isthæc omnia pati: cùm tamen nullos uideas alios uel uegetiores, uel in concoquendo feliciores, uel ad omnia corporis exercenda munia robustiores, aut alacriores; plerunq; enim ualenti natura tales esse solent. Quod certè fieri minimè posset, si pro ingestorum ratione tantundem esset intrò spiritus admissum: turgens enim spiritu uentriculus, nec assumpta congruè amplecti, nec rectè continere, nec probè concoquere ualet: uti præcitato loco exactissimè monstrat Galenus. Essent itaq; omnes, qui paulò plus cibi sumpsissent, cùm in cõcoquendo infelicissimi, tum murmurillis, flatibus, distensionibus malè affecti: aëre scilicet inter edendum admisso hæc symptomata pariente. Quin si cum ijs quæ eduntur bibunturq́ unà spiritus in corpus ingreditur: necessum est spiritum hunc cibo intermistum atq; cõfusum, uentriculi partes diducere, ac prohibere quo minus sese ipsæ ingesto cibo applicent, illumq́; amplectantur: quod ut probè concoctionis munus

procedat fieri oportere, scripsit Galenus lib. de Sympto. diff. III. cap. IIII. inquiens, retentricis potentiæ functionem naturalem quidem tum esse, quum concoctionis tempori æquatur, & ab omni parte cibos exactè constringit. Quamobrem quum & initiò admissus inter edendum spiritus uentriculi partes diducere necessariò habeat: efficitur, ut ingestus in uentriculum cibus, spatium habens in quod se diffundat, latè expatietur, fluctuationemq́ excitet: hoc est, inundationi simillimum motum: quod sanè fieri est necesse, ubi non undiq; cibus ab uentriculi partibus complectitur atq; coarctatur. Quod quum euenit, neq; retentricem potentiam, neq; alteratricem uentriculi satis suo munere fungi cōsequens certè erit. In ijs enim duabus rebus retentricis potentiæ functionem consistere uult Galenus: una, ut nullum relinquatur inter uentrem & cibos spatium uacuum: altera, ut æquali tempore agant, tum comprehensionis tum concoctionis facultas. Quare si inclusus in uentriculo spiritus, debilis comprehensionis (ut uult Galenus) causa est, debilis uerò comprehensio imbecillæ coctionis, sequitur omnino infirmam esse in omnibus hominibus concoquendi facultatem: si modò uerum id est, cum ijs quæ eduntur & bibuntur, unà spiritum in corpus ingredi. Quod cùm absurdissimum sit, nec ullatenus admittendum: illud confiteri præstantius fuerit, uanam esse quæ hic adducitur sententiā, nec Hippocrate dignam. Non enim plus aëris in corpus ingreditur esitationis causa, ut quæ nimirum esitatio respirationem admodum non mutet, nisi immodica fuerit. Sed ipsa caloris in corde permutatio atq; incrementum & respirationem magnam aut citam facit, & aërem in corpus multum ingredi ad difflationis necessitatem cogit. ut lib. de Respirationis & pulsuum causis bellè docet Galenus, qui longè aliter flatum in uentriculo gigni, quàm hic asserat Hippocrates, demonstrauit. Vult enim uaporantem spiritum, quem flatum nominant, in uentriculi spatijs oriri, quum uel humores pituitosi eò loci contenti, uel cibi ab imbecilli calore in uapores resoluuntur. Siquidem calor in cibos agens, si parum ualidus fuerit, ut eos quodammodo dissoluit, ita non omnino conficit: sicq; flatus seu spiritus exoritur, qui quidem ortu suo atq; consistentia, tum retentricis potentiæ functionem, tum concoctricis (ut mox à nobis ex Galeno monstratum) uitiat. Nec quæ à cibo plerisq; accedunt eructationes, admissi intrò inter edendum spiritus signum est, sed uel flatuosi natura ingesti cibi, qui ructum suapte sponte moueat, uel imbecillis in uentriculo caloris, uel flatus cuiuspiam in uentriculi spatijs contenti: ad hæc enim omnia plerunq; eructationes sequi consueuerunt. Alioqui si quò plus cibi assumptum est, plus aëris ingredi sit necesse, multæ sanè & magnæ ijs excitabuntur eructationes qui multum cibi ingesserint. Cùm contrà in bene habitis corporibus, atque ætate florentibus, euenire uideas, ut cùm se multo cibo potioneq; impleuerint, nullæ tamen in ijs à cibo eructationes mouentur: quòd natiui caloris robore ingesta probè conficere ualeant. Vnde est illud Hippocratis in Aphorismis, Qui crescunt plurimum habent calidi innati, plurimo igitur egent alimento, Et item illud, Ventres hyeme & uere calidissimi

*3. de Sympt. diff. cap. 4.*

*6. de Sympt. cau. cap. 2.*

*6. de Sympt. cau. cap. 2.*

*Aphor. 14. et 15. primæ Section.*

simi

ſimis natura ſunt, & ſomni longiſsimi: quare per ea tempora alimenta copioſiora ſunt exhibenda: Etenim tunc calor innatus plurimus eſt, plurimis itaque egent alimentis. Quòd ſi multi alimenti aſſumptio & ſpiritum multum crearet, & eructationes moueret (ut hoc loco affirmat Hippocrates, uel quiſquis tandem libri huius autor fuerit) nunquam ſanè plurimo utendum cuiquam cibo conſuluiſſet: contrà quàm locis præcitatis fecit: noxia enim, non ſalutaria tum præcipiſſet, ſi ad multam ciborum ingeſtionem ſpiritu corpus impleretur & eructationes excitarentur. Quin Hippocrati aſſentiens Celſus bis die potius quàm ſemel cibum *lib.& cap.1.* ſumere, eumq́ plurimum (modò confici ritè poſsit) ijs qui bene ualent ſuadet. Non ergo cùm cibis corpus impletur, ſpiritus abundat cibis commorantibus, quod hic Hippocrates affirmat. Niſi forte ſi qui impletur natiui caloris robore deſtituatur: uel pituita multa abundet, tum cùm retuſo magis à ciborum copia natiuo calore flatus & eructationes mouebuntur. Quamobrem ſenibus, quòd exiguo ſint innato calore, paucis fomitibus opus eſſe rectè ſcripſit Hippocrates. A multis enim extinguuntur. *1. Aphor.14.* Sicuti nanq́ lucernarum flammæ (quarum tamen oleum eſt alimentum) ſi quis id totum ſuperinfundat extinguuntur potius quàm nutriantur: eodem modo & in ſenibus calidum ſui fomentum quidem habet alimenta: uerùm ſi multis ſimul opprimatur, ac quodammodo ſtranguletur, periculum eſt ne extinguatur, ſicuti & ſi paruæ ſcintillæ ignis lignorum multitudinem ſuperacerues, quæ docta Galeni in eius Aphoriſmi commentario eſt ſententia. Sed iam ad ea quæ ſequuntur ueluti inſtructa acie ſtylum uertamus.

HIPPOCRATES.

Χρονίζεται δὲ τὰ σιτία, διὰ πλῆθος οὐ δυνάμενα διελθεῖν, ἐμφραχθείσης δὲ τῆς κάτω κοιλίης, ἐς ὅλον τὸ σῶμα διέδραμον αἱ φῦσαι, προσπεσοῦσαι δὲ τὰ ἐναιμότατα τοῦ σώματος, ἔψυξαν· τουτέων δὲ τῶν τόπων ψυχθέντων, ὅπου αἱ πηγαὶ καὶ αἱ ῥίζαι τοῦ αἵματός εἰσι, διὰ παντὸς τοῦ σώματος ἡ φρίκη διῆλθεν. ἅπαντος δὲ τοῦ αἵματος ψυχθέντος, ἅπαν τὸ σῶμα φρίσσει. διὰ τοῦτο μὲν οὖν πρῶτον, αἱ φρῖκαι γίνονται πρὸ τῶν πυρετῶν.

Quod eſt: Immorantur diu in uentre cibi, quum præ multidine exire nequeant, obturatoq́ inferiore uentre per uniuerſum corpus permeant flatus, ſanguineq́ refertas corporis partes maximè petentes, eas refrigerant. Refrigeratis autem ijs locis unde ſanguinis fontes & radices prodeunt, per uniuerſum corpus horror conſequitur: uniuerſo autem ſanguine refrigerato totum corpus horret. Quæ ratio eſt cur primùm horrores ante febres fiant.

VALLERIOLA.

Immorari diu in uentre cibos, non ad ipſam tantùm ingeſtorum copiam, ſed & ad concoctricis potentiæ imbecillitatem, ciborum'ue naturam acceptum referri debet. Nam etſi uerum eſt, præ multitudine cibos in uentre diutius contineri, (quòd uidelicet ab immodica ciborum copia quaſi uictus uentriculus, ita à coquendo ceſſat, ut ne aggrediatur quidem concoctionem: quæ docta Galeni V I. de Sympto.cau.cap.1. eſt ſentẽtia) nõ tamẽ in uniuerſum ciborũ multitudini aſcribi debet lon-

gior ciborum in uentriculo mora: quum sæpenumero uel ob facultatis alteratricis in sua ipsius essentia uitium, extremamque ipsius infirmitatem, uel ob ciborum naturam, morbosque instrumentales, externasque causas complures id symptomatis oriri contingat: uti bellissimè Galenus VI. de Sympto. cau. docet. Quod uerò proximè sequitur (flatus inquam à nimia ciborum copia genitos, uelut errabundos per corpus uniuersum permeare, sanguineque refertas partes maximè petere ac refrigerare, indeque horrorem nasci) uti à ueritate alienissimum, sic sanè indignum quod ad Hippocratem autorem referatur, mihi est uisum. Primùm enim non omnis flatus perfrigerandi uim habet, equidem qui à cibis excrementisue calidis, nidorosis, acutis, flatus in corpore excitantur, ij calefaciendi quidem, non refrigerandi potentiam obtinent, quum à causa calida, non frigida oriantur: unde est illud Galeni, Corruptela (inquit) si nidorem referat, à calidis biliosisque cibis accidit: si acidus fuerit ructus, à frigidis natura & pituitosis. Similiter (subdit) de excrementis dicendum, quippe acidum ructum excitant pituitosa, frigidaque: nidorem, biliosa, & calida excrementa. Atque uentriculus quoque (ait) per morbos frigidiores acidos ructus, per calidos uerò biliososque nidorem ructat. Itaque qui à calidis uel cibis uel excrementis geniti nidorosi flatus in corpore erunt, ij etsi sanguine redundantes partes maximè petant, refrigerare quidem certè minimè poterunt, eorum ad id munus repugnante natura: ut quorum sit excalefacere, non refrigerare. Quin nec si detur flatum omnem perfrigerare, uerum erit à flatu horrores in uniuersum in corpore nasci. Nam etsi horroris genus quoddam ab spiritu ipso nulli admixto humori procedit: quum is immodicè uel frigidus uel calidus corpus permeans sese affatim in sensiles partes insinuarit (quæ docta est Galeni sententia) non tamen horror omnis ab spiritu aëriaque substantia oritur: quum plerunque uitiosi in corpore succi (præsertim si acres, biliosi, mordacesue fuerint: aut eximiè frigidi, qualis pituita ea quæ Praxagoræ uitrea cognominatur) atque etiamnum externæ causæ complures (uti in balneum calens repentinus introitus, in frigidam descensus, uel eius confertim facta aspersio) horrorem atque rigorem etiam sæpenumero pariant: uti mille locis doctissimè explicauit Galenus. Non itaque horroris omnis causa temerè in flatuosam (ut hic uult Hippocrates) substantiam referenda: quum non rarò nulla in corpore tali existente substantia horrores fieri cernamus: uti in ijs qui ulcerosa lassitudine tentantur, quique sic affecti uel se nimio cibo onerarunt, uel negotio crediderunt, uel intempestiuo motu corpus exercuerũt: in ijs enim omnibus (ut libris de Sanitate tuenda bellè nos docet Galenus) horrores excitari uidemus: non à flatuosa quidem substantia, sed uitiosis succis, sensiles partes uellicatione sua afficientibus. Quamobrem meritò uacuatione ijs qui talia patiuntur utendum esse, adhæc quiete ac somno, rectissimè idem autor consulit. Quum uerò horroris causa aëria est ac flatuosa: tum (quod aëria sunt quæ expultricem facultatem irritant) non uacuatione utendum esse, sed alteratione potius, consuluit Galenus: calidam quidem refrigerando, frigidam calefaciendo.

*6. de Sympt. cau. cap. 1.*

*5. de Sympt. cau. cap. eod.*

*Galen. lib. de tremore. 5. de Sympto. cau. cap. 5. 2. de diff. feb. cap. 3. & 3. de Sanita. tuen. & 10. Metho.*

*5. de Sympt. cau. cap. 5.*

Si uerò

Si uerò quæ horrorem excitat causa humoris speciem referat, uacuari iubet. In horrore uerò sanguinem refrigerari, quod extremo loco hic explicat Hippocrates, negari haud quaquam potest, sensuum fide id approbante: pallent enim eorum qui horrore tentantur ora, unguesq; ipsi liuent, suumq; decorem amittunt: partesq; externæ omnes, extremæ præsertim, frigidæ apparent: non alia sanè de causa, quàm quòd natiuo calore sanguineq; destituantur. At uerò ea ratione horrores ante febres fieri, (quod proximè subdit) id uerò tanquam à ueritate alienissimum admitti neutiquam debet: non enim rigores horroresue, quæ febres antecedunt à flatu sanguinis fontes & radices perfrigerante, oriuntur: sed à uitiosis potius succis confertim magnoq; impetu in sensu præditas partes ruentibus, quæ ne gratis dixisse uidear ipsummet Hippocratem testem adducam. Is primo libro qui περὶ νούσων inscribitur, de rigoris generatione loquens ad hunc modum disserit:

τὸ δὲ ῥῖγος ἐν τῇσι νούσοισι, γίνεται μὲν καὶ ἀπὸ τῶν ἔξωθεν ἀνέμων, καὶ ὕδατος, καὶ αἰθρίης, καὶ ἑτέρων τοιούτων· γίνεται δὲ καὶ ἀπὸ τῶν ἐσιόντων σιτίων καὶ ποτῶν. μάλιστα δὲ καὶ ἰσχυρότερον γίνεται, ὅταν χολὴ καὶ φλέγμα συμμιχθῇ ἐπὶ τὸ αὐτὸ αἵματι, ἢ τὸ ἕτερον, ἢ ἀμφότερα.

Rigor (inquit) in morbis fit extrinsecus quidem, à uentis, aqua, serenitate, & eiusmodi alijs: item & ab ingestis cibis potionibusq;: fortior autem fit, cùm bilis pituitaq;, uel altera, uel utraq; cum sanguine unà miscentur. Omnes hic rigoris causas enarrasse breui sermone Hippocrates uidetur, inter quas præcipuam facit bilis pituitæq; cum sanguine mistionem: quorum sanè humorum uehemens ac confertim facta per corpus delatio, rigorem primum, horroremue si mitior fuerit motus, humorq; ipse uel benignior, uel copia minor, dein uerò febrim quum incalescunt, parit. Sic enim eodem ipso loco Hippocrates:

πυρετὸς δὲ ἀπὸ τῶνδε γίνεται· ὁκόταν χολὴ ἢ φλέγμα θερμανθῇ, θερμαίνεται τὸ ἄλλο πᾶν σῶμα ἀπὸ τούτων, καὶ καλέεται τοῦτο πυρετός.

Fit (inquit) febris cùm bilis pituitaq; calescens uniuersum corpus excalefacit: quod quidem febris uocatur. Itaq; quum Hippocratis testimonio, tum uel maximè ab interna quidem & corporea causa rigor fiat, cùm bilis pituitaue mouentur, ab ijsdemq; calefactis, febris nascatur, ut mox affirmauit, necessariò fit, ut qui horrores febrim antecedunt, non ab spiritu, sed ab ijs succis potius oriantur. Quamobrem cùm pugnantia eadem de re dixisse Hippocratem confiteri absurdum sit, sintq; genuina Hippocratis quæ modò ex eius de Morbis priore libro attulimus: dicemus, quæ libro de Flatibus adferuntur de rigore uerba, minimè Hippocratis esse: ut quæ & falsissima sint, & eiusdem autoris testimonio conuincantur. Galeni modò explicanda de rigoris natura & causis sententia uenit: quò quantopere ab ijs sit erratum, qui rigoris horrorisue in febribus ortum à flatu (ut hoc loco affirmat, quisquis huius libri fuerit autor) esse dicũt, perspici plenius possit, huiusq; libri præiudicata hactenus autoritas abrogari. Is igitur libro ad id dicato ad hunc modum horrorem, rigorem, infrigidationemq; definit:

Ἆρ᾽ οὖν ἔχοιμεν ἂν ἤδη τὸ πᾶν, ὀδυνηρὰν ψύξιν ὁριζόμενοι τὸ ῥῖγος, ἢ ἔτι προσδεῖ.

τάχα γὰρ οὐ πᾶν ῥῖγος οὕτως ὁριστέον. ἐπί γέ τοι τῶν νοσούντων, οὐ ταὐτὸν μὲν δοκεῖ τὸ ῥιγοῦν τε καὶ φρίττειν, ἢ καταψύχεσθαι· λέγομεν οὖν πολλάκις εἰσβολὴν παροξυσμοῦ τε καὶ δὲ μὲν τινὶ μετὰ ῥίγους, ἑτέρῳ δὲ τινὶ μετὰ φρίκης· ἄλλῳ δὲ μετὰ καταψύξεως μόνης γεγονέναι, κἂν τοῖς τῶν ἰατρῶν ἁπάντων συγγράμμασιν ἡ αὐτὴ χρῆσις ἐστὶν τῶν ὀνομάτων. ὡς ὅταν μὴ μετὰ βρασμοῦ καὶ κλόνου καταψύχηταί τις, οὐ ῥιγοῖ οὗτος· ἀλλὰ δεῖ εἴπερ μέλλει τὸ πάθος ῥῖγος καλεῖσθαι, τὴν ἀνώμαλόν τε καὶ ἀπροαίρετον αὐτῷ κίνησιν προσεῖναι· τὸ δ᾽ αὖ διὰ ταύτης. εἰ γε μὴ δὲ τὴν ἐπιφάνειαν ἀνωμάλως κινεῖ, κατάψυξιν καλοῦσιν. εἰ δὲ ταύτην μὲν ταράττοιτε καὶ σείει κατά τινας ἐμβολὰς, τὸ δὲ ὅλον σῶμα μὴ συγκινεῖ, φρίκην ὀνομάζουσιν ὡς εἶναι τὴν φρίκην, τοῦ δέρματος μόνου πάθος τοιοῦτον, οἷον τοῦ παντὸς σώματος τὸ ῥῖγος.

Num uerò rigorem (inquit) frigus cum dolore finientes, rem totam assecuti sumus, aut quicquam desit? Non enim quicunque hoc pacto rigor definiendus est, in ualetudinariis profectò non idem rigere, horrere, frigesieriq; dicas, accessiones nanque & exacerbationes sæpe dicimus cum rigore huic, horrore alij, alij solùm cum frigore accessisse, nominumque eiusmodi usum passim per uolumina medicorum omnia reperias, ut nisi quis quassatione atque agitatione frigeat, rigere non appelles: sed ubi rigor nominandus sit inæqualem & inuoluntariam motionem adesse sit operæpretium: quod hac uacat, nisi superficiem etiam impariter commoueat, dicunt frigefactionē. Quòd si hanc per aliquas accessiones turbet & concutiat, reliquo non moto corpore, horrorem nominant, ut solius cutis horror eiusmodi affectio existat, sicut rigor uniuersi corporis. Et paulò pòst rigorem exactius definiens:

Ἐστὶ (inquit) ῥῖγος κατάψυξις ἀλγεινὴ μετά τινος ἀνωμάλου σεισμοῦ καὶ κλόνου παντὸς τοῦ σώματος.

Hoc est: Rigor frigefactio est, cum dolore atque agitatione inæquali, & quassatione uniuersi corporis.

Rigoris causæ.

Cuius quidem causam eodem loco Galenus natiui caloris pugnam aduersum ea quæ corpori nocent, eiusdemque natiui caloris impeditum ad externa motum intrusionemque in ima corporis quandam, rigoris causam bellissimè statuit. Vnde constat spiritum, rigoris causam non esse, cùm suapte natura tenuis sit quædam & discussu facilis substantia: quæ tenuitate quidem sua nec ualde natiui caloris motum impedire, nec meatus obstruere, nec tantam in corpore pugnam concitare possit. Quamobrem cùm in rigore, ut ait eodem loco Galenus, & magna ui ad intra trudi natiuum calorem cernamus: & rursum magno impetu atque nixu ut foras erumpat niti, magnam esse & solutu difficilem quæ tantos motus cieat causam confiteri est necesse. Vnde x. Methodi medendi rigoris horrorisque naturam omnem causamque tractans, ad hunc modū differit.

οἱ δακνώδεις ἀτμοὶ καὶ χυμοὶ διὰ τῶν αἰσθητικῶν σωμάτων φερόμενοι, φρίκας καὶ ῥίγη γεννῶσιν, ἐν οἷς στεγνωθέντος τοῦ δέρματος, ἐπισχεθέντα τὰ διαπνεόμενα πρόσθεν.

Quod est: Mordens halitus & succus, ubi per sensilia corpora feruntur, horrores rigoresque pariunt in iis in quibus cute stipata retenta sunt quæ prius transpirabant. Et paulò pòst.

ῥῖγος μὲν οὖν ἔσται διά τε τὸ πλῆθος τῶν φερομένων, καὶ τὴν δριμύτητα, καὶ τὸ τάχος τῆς φορᾶς, καὶ τὴν τῆς δυνάμεως ἀσθένειαν.

Rigor

Rigor (inquit) succedet ob eorum quæ feruntur excrementorum tum copiam, tum acrimoniam, tum impetus celeritatem, tum laborantis uirium infirmitatem. Horrorem uerò (quod paulò pòst idem autor scribit) tum fieri, cùm hæc qualitate remissa fuerint, nec tanto impetu lata.

φρίκη δ' αὖ γίνοιτο, τῆς τε ποιότητος αὐτῶν, καὶ τοῦ τάχους τῆς φορᾶς ἐκλυθέντων ἅμα τῷ πλήθει. Καὶ μάλιστα ὅταν ἡ δύναμις ἀνθιστῆται τοῖς λυποῦσιν.

Horror (inquit) fiet cùm qualitas eorum quæ feruntur, & impetus uelocitas, fuerit remissa, tum copia minor: potissimùm uerò cùm uires tristanti obsistunt.

Rursus uerò sub finem libri quinti de Symptomatum causis, quum tenuis & mordax fuerit succus, nec concitato impetu protrusus horrorem: cùm uerò copiosior, acriorque, uehementiorique motu delatus, rigorem facere scribit. Ex quibus sanè locis euidentissimum fit, rigorem horroremque non ab spiritu solùm, uerùm multò amplius à uitiosis succis, qui & copia, & acrimonia, & impetus celeritate noceant, fieri. Sunt enim horror atque rigor deprauati quidam animalis facultatis motus ab humorum uitio prouenientes: uti eodem ipso loco bellissimè ostendit Galenus, qui unus omnium optimè horum motuum naturam omnem explicasse est uisus. Non igitur rigoris horroris'ue causa erit spiritus, seu flatus, sanguine refertas partes inuadens: easque refrigerans, ut huius libri autor uelle uidetur: sed potius acres mordacesque succi persensiles corporis partes concitatiùs delati: ut Galenus, & unà cum eo quotquot de re medica scripsere censent.

## HIPPOCRATES.

Ὅκως δὲ αὖ ὁρμήσωσιν αἱ φῦσαι πλήθει καὶ ψυχρότητι, τοιοῦτον γίνεται καὶ ῥῖγος. κατὰ μὲν πλειόνων καὶ ψυχροτέρων ἰσχυρότερον. κατὰ δὲ ἐλασσόνων, καὶ ἧσσον τι ψυχρῶν, ἧσσον ἰσχυρόν.

Quod est: Quanto & copia & frigiditate flatus ipsi præcelluerint, tanto maior fit & horror, à pluribus uidelicet & fortioribus ualentior: à paucioribus & minus frigidis imbecillior.

## VALLERIOLA.

NOn ex flatuum aut copia aut frigiditate, sed ex humorum uaria qualitate ac motu horrores nasci, ex ijs quæ paulò antea ex Galeni dogmate attulimus, euidentissimum fit. Horrorem enim tum fieri scribit x. Methodi Galenus, cùm qualitas eorum quæ feruntur & impetus uelocitas fuerit remissa, & v. de Symptomatum causis, cùm tenuis mordensque succus non magno impetu sese per sensu prædita loca immiserit. Quin si uerum id est, ut ubi flatuum copia maior sit, illis & horrorem nasci maiorem fortioremque oporteat, in ijs qui Tympanite premuntur uehementes perpetuosque inesse horrores, cõsequens quidem erit. Magnis enim ij omnes flatibus distenduntur, ut uenter illis uniuersim instar tympani uehementissimè distentus, in magnam molem assurgat. At eos horrores minimum cernimus, uti nec eos qui hippocondriaca melancholia tenentur, in quibus tamen uel Galeni testimonio, quàmplurimi abundant flatus. Non igitur ad flatuum uel copiam uel frigiditatem, horrorem maiorem sequi (ut hic uelle Hippocrates uidetur) est necesse.

HIPPOCRATES.

Ἐν δὲ τῇσι φρίκῃσι καὶ οἱ τρόμοι τοῦ σώματος, κατὰ τόνδε γίνονται τὸν τρόπον. τὸ αἷμα φοβεόμενον τὴν παρεοῦσαν φρίκην συντρέχει καὶ διέξεισι κατὰ παντὸς τοῦ σώματος ἐς τὰ θερμότατα. αὗται μὲν οὖν αἱ ἆλλαι. καθαλλομένου δὲ τοῦ αἵματος ἐκ τῶν ἀκρωτηρίων τοῦ σώματος, τὰ σπλάγχνα τρομέουσι, καὶ αἱ σάρκες. Τὰ μὲν γὰρ τοῦ σώματος, γίνεται πολύαιμα, τὰ δὲ ἄναιμα. τὰ μὲν οὖν ἄναιμα, διὰ τὴν ψύξιν οὐκ ἀτρεμέουσιν, ἀλλὰ πάλλονται. τὸ γὰρ θερμὸν δὲ αὐτέων ἐκλέλοιπε· τὰ δὲ πολύαιμα, διὰ τὸ πλῆθος τοῦ αἵματος, τρέμουσι καὶ φλεγμονὰς ἐμποιέει. οὐ γὰρ δύναται πολλὸν γινόμενον ἀτρεμίζειν.

Quod est: In horroribus autem & tremores corporis ad eundem planè modum fiunt. Sanguis enim præsentem horrorem metuens, concurrit & penetrat in corporis calidissimos locos. Hi enim sunt eius saltus. Abeunte autem ab extremis corporis partibus sanguine, tremunt tum uiscera, tum ipsæ carnes, ex corporis uerò partibus quædam sanguine refertæ, quædam exangues sunt. Atque exangues quidem minimè tremunt, ob frigus, sed parumper commouentur, quòd eas calor destituerit. Quæ uerò sanguine abundant, ob sanguinis copiam tum tremunt tum inflammationes pariunt: fieri enim nequit ut sanguinis copia conquiescat.

VALLERIOLA.

Minimè hoc loco censeo dubitandum, quin tremoris nomine rigorem intelligi uelit Hippocrates: quòd post horroris tractationem ex quadam quasi consequentia necesse habuerit de finitimo illi motu, sed uehementiore, rigore inquam, tractare. Cuius quidem generationis modum ex ijs quæ sensui apparent inuestigare satagit. Vt enim in metuentibus, & pauore insigni aliquo exterritis, fieri uidemus, ut sese ab extimis in ima corporis calor condat: sic planè in rigentibus concurrit in calidissima corporis uniuersus sanguis, ut ijs se aduersum impetum humoris muniat: quamobrem eos & pallore deformatos, & penè exangues est uidere, quòd extimas corporis partes calor destituerit. Verùm non satis uel ad rei de qua tractatur naturam, uel ad ueri fidem uidetur Hippocrates hac in parte locutus: si quidem non perpetuò tremor horrorem comitatur: ut necesse sit ob horroris præsentis metum (quod hic uult Hippocrates) sanguinem intro concurrere, & fieri tremorem: quum enim uehementer mordax humor, & magno impetu latus, in insuetas se demisit partes, tum nullo præsente horrore rigor uehemens nascitur, (uti bellissimè ex Galeno suprà monstrauimus) refugitque magno concursu in intima sanguis: at non ob præsentis horroris motum, quum nullus subsit horror, sed ingens ille & concitatus motus acrium humorū qui rigorem pariat. Quin nec illud sua fide constare uidetur, quòd abeunte ab extremis corporis partibus sanguine tremant tum uiscera, tum carnes: nam etsi tum maximè tremunt quum sese in ima natiuus corporis calor condit, non tamen reuocationi illi motus is qui rigor dicitur adscribendus, sed magis (uti X. Methodi bellissimè Galenus explicat) ob eorum quæ feruntur excrementorum copiam, acrimoniam, impetus celeritatem, & uirium corporis robur. At uerò quod sequitur longissimè à uero abesse mihi

mihi uidetur: nempe exangues partes ob frigus minimè tremere: sed quòd eas calor reliquerit, parumper commoueri. Si enim sensuum fidem requirimus, contrà omnino euenire uidemus: quò enim attenuatiora & exanguia magis sunt corpora, eò per frigidas aëris constitutiones rigere magis cernimus, quòd eas uehementius frigus permeet excarnesq́ opprimat: succulentas uerò & sanguine refertas partes & tremore affici magis & inflammatione (quòd redundans sanguis cōquiescere minimè possit) uult hic Hippocrates. Quod si uerum est, athletas, & quorum corporis habitus ad summum bonitatis peruenit, perpetuò rigere oportebit: ut quorum sint partes multo, copiosoq́ sanguine refertæ. Verùm non sic sanè res habet: non enim ob redundantem in partibus sanguinem, sed ob humoris (ut sæpe antea dictum est) tum acrimoniam, tum impetus uehementiam rigorem fieri certum est.

HIPPOCRATES.

Χασμῶνται δὲ πρὸ τῶν πυρετῶν, ὅτι πολὺς ἦ ὁ ἀὴρ ἀθροισθεὶς ἀθρόον τε ἄνωθεν διεξιὼν ἐξεμόχλευσε, καὶ διέστησε τὸ στόμα. ταύτῃ γὰρ εὐδιέξοδός ἐστιν. ὡς γὰρ ἀπὸ τῶν λεβήτων ἀτμὸς ἀνέρχεται πολὺς ἑψομένου τοῦ ὕδατος, οὕτω καὶ σώματος θερμαινομένου, δίεισι διὰ τοῦ στόματος ὁ ἀὴρ, ξυνεστραμμένος, καὶ βίῃ φερόμενος.

Quod est: Hiatus autem præcedere febrim solet, siquidem multus aër coaceruatus cumulatim sursum latus commouet ac deducit os, quòd facillimus inde ei pateat exitus. Vti enim in lebetibus ab feruente aqua uapor multus attollitur: sic & corpore calefacto, penetrat per os aër conuolutus, & ui quadam erumpens.

VALLERIOLA.

Oscitationem febres præcedere uerissimum quidem est. Cùm enim quæ effectura est febrim materia cōmouetur, tum turbari corpus, inæqualitatemq́ sentire quandam, ac hiatum fieri, pandiculationemq́ est necesse: expultricis nimirum facultatis opera, ui quadam quod molestat explodere nitentis in musculos, deductis ĳs excrementis, quę hosce motus creare possent. quod apertissimè Galenus explicare uolens, tum libro de Sympt. cau. V. tum VII. Aphoris. comment. LVII. ita horum motuum naturam omnem declarauit. Huius inquit facultatis (de naturali loquens) opera sunt, sternutamentum, tussis, oscitatio, pandiculatio. *5. de Sympt. cau. cap. 1.* Capite uerò sexto eiusdem libri, ad expultricem facultatem motus eos refert. Igitur tussis (ait) sternutamentum, singultus, rigor, uiolenti ualiq́ expultricis facultatis sunt motus, pandiculationes & oscitationes ad eandem pertinent facultatē. In Aphorismis uerò ad hunc modum; Oscitare (inquit) & pandiculari contenta aliqua in musculis per quos tales *7. Aphorism. comment. 57.* fiunt motus quos pandiculationes & oscitationes nominamus, uel humiditate flatuosa, uel spiritu uaporoso fieri est à nobis demonstratum. Quod uerò oscitationes antecedere febrim solere ab Hippocrate dictum est, non ita accipiendum, ut ad omnē febrim id eueniat, non enim continentes febres perpetuò præcedere oscitatio solet, cùm plerasq́ sine pandiculatione & oscitatione fieri cernamus. Sed in intermittentibus uerissimum quidem id est; ut in quibus impetu quodam è uasis in musculos

uaporo

uaporosa quædam & fuliginosa facultatis expultricis beneficio trudantur. Cumq́ multus una cum ijs attollatur aër, commodissimusq́ ei per os pateat exitus, illud ui sua diducit atq; aperit: sicq́ fieri oscitationem consequens quidem est.

Verùm quæ hic ex lebetibus feruentis aquæ adducitur cōparatio, minimè rei de qua agitur respondere uidetur. non enim quemadmodum ex ferùente in lebetibus aqua multus sursum à feruore attollitur uapor, sic à corpore is, qui hiatum facere potest: nam tum quum hiant ante febrem homines, minimè calent: sed uel rigore, uel horrore, aut frigore tenentur: per initia enim accessionum fieri hæc solent. nondum calefacto à febri corpore. Quamobrem minimè apposita uidetur similitudo hæc ab Hippocrate adducta: in lebetibus enim feruente aqua plenis, à calore multo plurimus sursum effertur uapor, at in accessionum initijs nondum calefacto corpore oscitationes fiunt, non cùm iam incaluerit uehementissimè corpus: quod in uigore accessionis est uidere, in quo nec oscitationes, nec pandiculationes fiunt. quòd uehementi calore dissipatus sit omnis uapor, qui oscitationis tanquam materia erat. At si uera esset Hippocratis adducta simitudo, hiatus tum maximè fieri oporteret: quod tamen fieri ob eam, quæ dicta est, causam minimè uidemus. Itaq; non ui caloris uaporem sursum à corpore in os attollentis, hiatus in accessionum initijs fieri solent, sed magis ab excrementorum halituosorum agitatu & expulsione, ut ex suprà citatis Galeni locis colligi apertissimè potest.

HIPPOCRATES.

ὁπόταν δὲ συγκλεισθῇ ἀθροισθὲν τὸ πλεῖστον τοῦ αἵματος, διαθερμαίνεται πάλιν ὁ ἀὴρ ὁ ψύξας τὸ αἷμα, κρατηθεὶς ὑπὸ τῆς θερμότητος· διάπυρος δὲ καὶ μύδρος γενόμενος ἐν ὅλῳ τῷ σώματι τὴν θερμασίην ἐνεργάζεται· συνεργὸν δὲ αὐτῷ τὸ αἷμα ἐστί. Τήκεται γὰρ πυρούμενον, καὶ γίνεται πνεῦμα ἐξ αὐτοῦ· τοῦ δὲ πνεύματος προσπίπτοντος πρὸς τοὺς πόρους τοῦ σώματος, οἱ ἱδρῶτες γίνονται· τὸ δὲ πνεῦμα συνιστάμενον, εἰς ὕδωρ ἔρχεται. Καὶ διὰ τῶν πόρων διεξελθὸν, ἔξω περαιοῦται, τὸν αὐτὸν τρόπον, ὅνπερ ἀπὸ τῶν ἑψομένων ὑδάτων ὁ ἀτμὸς ἐπανιὼν ἢν ἔχῃ στερέωμα πρὸς ὅ τι χρὴ προσπίπτειν, παχύνεται, καὶ πυκνοῦται, καὶ σταγόνες ἀποπίπτουσιν ἀπὸ τῶν σωμάτων, οἷσιν ἂν ὁ ἀτμὸς προσπίπτῃ.

Quod est: Quando autem congregatus fuerit cumulatim plurimus sanguis, calefit rursus ipse aër, qui antea sanguinem infrigidauit à calore multo utiq; uictus, accensusq́, ac ueluti igneus factus per omne corpus calor spargitur, cooperante ei in hoc, etiam sanguine ipso: liquefit ergo quicquid ignea uis illa attigerit, fitq́ inde spiritus. Qui quum ad meatus corporis irruerit, sudores fiunt: siquidem spiritus compactus in aquam uertitur, & per meatus penetrans extra prorumpit, eodem planè modo, quo à feruentibus aquis uapor eleuatus, si obstaculum habeat, ad quod impingere oportet, pinguefit ac condensatur, guttæq́ destillant ab ijs corporibus, quibus uapor ipse fuit impactus.

VALLERIOLA.

FEbris hic mirificam quandam generationem nobis Hippocrates (aut quisquis huius operis autor fuerit) proponit, sed eius generis, ut

quæ non solùm ab ipsa ueritatis uia sit alienissima: sed quæ sine nefario scelere adscribi Hippocrati, tanto autori, ac Medicinæ parenti, minimè possit. Quid enim à ueritate alienius quicquam dici excogitari'ue potest, quàm ita febris naturam explicare, quomodo ne rerum quidem imperitissimi homines (eam in rem si ex professo incumberent) minimè explicarent? Vult enim ita febrim oriri, ut ab multo affatim congesto sanguine internus corporis aër (qui quidem prius per accessionum initia sanguinem perfrigerauerat) calefiat accendatur'que, ipseque à multo calore uictus atque accensus, per omne corpus calorem conceptum deferens febrim creet. Quæ nobis exactiore cura sunt non solùm expendenda, sed & ad ueri legem atque censuram altiore indagine reuocanda. Principio falsum illud est, in omni febri plurimum intrò sanguinem affatim congregari: fit enim tantùm motus is sanguinis ad interna, cùm quæ febrim effectura est materia, è uasis in musculos facultatis expultricis opera deducitur: quo quidem alieni humoris aduētu recurrit intrò natiuus calor, sanguinem quidem secum deferens: quod quidem tantum ijs febribus conuenit, quas intermittentes & typicas uocant, uti apud Galenum, quum 1. de Febrium diff. tum XI. Methodi est uidere. Quin neque in ijs omnibus perpetuum illud est, ut multus sanguis cumulatim (ut ipse uult) congregetur. Siquidem in quartanis & hepialis febribus & semitertianis longissimis exiguus subest in corpore sanguis, isque frigidior, ut neque multus congregari, nec aërem uehemēter accendere ipse possit. Quamobrem quum in continentibus tantum hisce febribus, quæ à sanguine sunt, id fieri cernamus, non est quod ad uniuersum febrium genus id referatur: nisi quis febres omnes synochos esse uelit, quo quid absurdius?

Sed quod mox sequitur multo minus ferendum est: Calefieri ab ipso sanguine aërem, ipsum'que ita calefactum febrim creare. Nam si per aërem flatuosam in corpore contentam substantiam intelligit, nihil insulsius hoc dici potest, quum ea (ut mille locis testatur Galenus) non febrim, sed aut abscessum sui generis, aut dolores acerbos secundum quem incubuerit locum facere solet. Nec tam à se alienum Hippocratem fuisse existimandum est, ut id sentire eum uoluisse credamus: at potius aëris nomine spirituosam illam in nobis & tenuem substantiam, quæ facile pronitate naturæ accendi, inflammari'que possit, quam quidem medici pariter & Philosophi omnes spiritū uocare consueuerunt. At si ita est (uti apertissimè uelle Hippocrates hoc loco uidetur) omnem febrim diariam esse necessarium quidem erit, quòd illius subiectum, spiritus accensus sit: secundum quam quidem rationem Galenus & omnes, diariæ febris naturam constare uolunt: cùm enim in spirituosa nostri corporis substantia præter naturam calor infixus fuerit, febris tum diaria uel Galeni testimonio creatur: qui febrium differentias ex ea quæ accenditur materia, summa certè ratione statuit. Itaque si febris omnis eò gignitur quòd internus aër, hoc est spiritus, succendatur: isque calorem per uniuersum corpus rapiat: consequens certè est, ephemeram omnem esse: quo quid stultius dici potest? Adde, quòd & facillima esset febrium omnium curatio, nec nobis

*2. ad Glau. & 14. Meth. & de tumo. præter nat.*

*1. de febrium differ.*

nobis accurata illa decretoriorum dierum perpensione, non coctionis in urina obseruatione, non magna in uictu cautione ualde opus esset, si febris omnis in tenui illa substantia ceu subiecto ac materia reposita esset: conciderétque laboriosa illa omnis medendi Methodus quæ de putredine febrium curandarum, eximendis obstructionibus, attenuandis succis, reserandis meatibus, ciendis naturæ per uarios ductus uacuationibus, bellissimè à Galeno tradita est: qua quidem uix unquam in diariarum febrium curatione opus habemus. Quin nec ipse quidem spiritus sanguinem (ut uult Hippocrates) refrigerauit: nam quæ sanguini refrigeratio per accessionum initia uenit, ea non ab spiritu, sed magis ab insueto humorum in musculos motu, uti suprà ex Galeni plurimis locis (cùm de rigoris generatione loqueremur) diximus.

*Lib.1.de Rigor.10.Meth & 5.de Sympto.cau.*

Sed quæ sequuntur intenta mente excutiamus. Liquefit (inquit) quicquid ignea uis illa attigerit, fitque inde spiritus. Quomodo quæso liquescere ea possunt, quæ à leui calore, & in omnium tenuissima substantia sito uix calescunt? Nihil certè quicquam nisi à multo & ualido calore liquescere potest: quæ constans est cùm Galeni, tum Aristotelis sententia. At accensa spirituosa substantia, cùm leuis fit, tenuis, halituosa: non grauis, solida, plena & contumax: quonam pacto aërem in corpore & intentum calorem gignere potest, qui dissolutionem seu eliquationem faciat? Non plus certè, quàm cõceptus in stipula ignis: qui ut facilè quidem succenditur, sic certè facillimè dissipatur. Id autem uerissimum est, quæ liquantur in spiritum degenerare: uerùm eliquantem calorem uehementissimum, non leuem aut mitem esse oportet. Propterea in urentibus febribus, & tabidis, quæque colliquatione corpus attenuant, multo, eóque igneo calore affici laborantes contuemur: qui quidem acrimonia sua colliquatis humoribus, deiectiones crebras, difficiles, atque exitiales faciat; & si malum in uetustatem abeat, partes ipsæ solidæ (ut Galenus & Paulus affirmant) contabescunt.

*Lib. de Tabe. & de disso.continu. Arist.4.Meteor.*

*Lib. de Tabe. & 1. de Febr.differ. Paul.lib.2. cap.41.*

Cætera persequamur. Spiritus (ait) cùm ad meatus corporis irruerit sudores fiunt, siquidẽ spiritus compactus in aquam uertitur, & per meatus penetrans extra prorumpit. Hæc Hippocratis, uel autoris eius qui librum hunc conscripsit, de sudoribus qui febres consequuntur, & in earum declinationibus fiunt, sententia: quæ non modò ipsa ab clarissimorum autorum mente est alienissima, sed ueritati omnino aduersari uidetur. Quod ut ostendamus, sudoris nobis erit in primis cùm natura, tum generationis ratio omnis, in febribus præsertim, ex Galeni monumentis explicanda. Est autem sudor tenuis ac serosi humoris sanguini admisti colatus liquor. In definitionibus medicis uniuersam porrò eius naturam, materiam, generationísque modum, Galenus X. de Simplicium medicamentorum facult. ijs uerbis expressit:

*Sudor quid.*

Ἱδρὼς ἐστι καὶ τοῦτο τῶν ἐν σώματι τοῦ ζώου γεννωμένων ὑγρῶν, ὕλην τε τὴν αὐτὴν ἔχον τὸν τρόπον γενέσεως τὸν αὐτὸν τοῖς οὔροις· ἐκ γὰρ τῆς πινομένης ὑγρότητος ἡ γένεσις ἀμφοτέρων ἐστὶ, θερμαινομένης τε ἅμα κατὰ τὸ σῶμα, καί τι χολώδους οὐσίας προσλαμβανούσης. ἐπιπλέον δὲ ὁ ἱδρὼς κατέργασται, διεξεληλυθὸς ἄχρι τοῦ δέρματος ἅπαντα τὰ μεταξὺ μόρια.

Sudor (inquit) unus est hic humorũ in animãtis corpore prouenientium,& eandẽ habens materiam,& generationis modum eundem,quem urina: siquidem utriq; ex bibito humore constat generatio, excalfacto simul in corpore, & biliosæ non nihil substantiæ adepto. Verùm sudor plus est elaboratus, utpote qui ad cutem usq; transmißis omnibus quæ intersunt partibus peruenit.

Vult hoc loco Galenus tum sudoris tum urinæ eandem esse materiam, nempe ebibitum à nobis corporis tuendi causa humorem: qui quidem à corporis natiuo calore elaboratus, & biliosæ nonnihil substantiæ adeptus,ad cutem usq; per corporis meatus ueluti ros quidam permeet.Non igitur spiritus,ut huius autor libri sentit, sed ebibitus humor sudoris materia erit: ut rectè hoc loco Galenus, qui & ipse excrementorum alibi naturam explicans sic de sudore disseruit 1.de Sanitate tuenda.

Reliquum (inquit) excrementorum genus in singulis animalis nascitur particulis, ex ipso unde aluntur succo: aliud quidem ceu semicoctæ quæpiam reliquiæ quæ adsimilari nutriendæ parti nequiuerant: aliud quod transmittendi alimenti fuit uehiculum. Nunc functum officio humidum tenueq; superest,quale nimirum serosum illud iam dictum,quod ex uasis id est,uenis & arterijs in uesicam defluit.Huic excremento nullus certus à natura præscriptus meatus est: expellitur tamen partim actum per ipsa molliora corpora, quæ fluentis eius uiolentiæ cedunt: potißimùm cùm à spiritu maiore impetu irruente impellitur: partim etiam per exiguos omnes corporeæ molis meatus, πόρους Græci uocant: quorum non modò reliquum corpus uniuersum, sed etiam tota cutis plena est. Dictum autem nobis de generatione horum est in libris quos de Temperamentis edidimus. Ergo tenuißimum huius generis excrementum facilè sanè eijcitur, partim in speciem halitus ab insito calore solutũ, partim uiolento motu confertim erumpens. Appellant uerò quod ita excernitur sudorem.

Hactenus Galenus, cuius ego seriem Græcam ob nimiã prolixitatem appingere nolui, ne in immensum abeat uolumen. Ex quo quidem loco apertißimè constat,& quale excrementum sudor sit,& quonam pacto in externos usq; cutis meatus prorumpat, & ex quanam ipse materia oriatur. Gignitur enim (ut hoc loco bellißimè demonstrat Galenus) ex ipso unde alimur succo, ea uidelicet illius parte quæ distribuendi alimenti uehiculum fuit.Eget enim alimentum ut commodè in partes feratur,aquoso quodam ac ueluti seroso humore, qui ipsum deducat: quo quidem ipso, suo abundè officio functo, ceu excrementum quoddam humidum tenueq; (ut hic uult Galenus) superest: cui sanè quum nullus sit à natura certus præscriptus meatus, partim in sensili transpiratu quod illius tenuißimũ est discutitur, partim per exiguos corporis adeoq; cutis ipsius meatus prorumpens uiolento quodam motu sensuiq; conspicuo protruditur: & quod ita eijcitur excrementum, sudorẽ uocare omnes solemus: hoc est,attenuatum quendam ui caloris humorem in aquæ speciem uersum. Quomodo uerò qui in febrium intermittentium declinationibus

*cap.11.ſecundi de Febriū differ.*

erumpit ſudor, proueniat, belliſsimè nobis idem Galenus tum I X. Methodi, tum I I. de Febrium differ. in hunc modum explicauit: eo ſcilicet loco, quo de morborum temporibus ex profeſſo loquitur.

Cùm (inquit) iam ad ſummum feruoris deuenerint humores inflammati, id acceſsionis tempus conſiſtentia appellatur. Tunc uerò (ſubdit) uniuerſum laborantis corpus igneum uidetur, extenſa per totum animalis corpus æqualiter caliditate. Hinc uerò ſi humores fuerint tenuiores, potentia robuſta, corpus rarum, maxima humorum putreſcentium pars in ſudorem reſoluta euacuatur. Si uerò hi craſsi fuerint, uis autem expulſoria imbecillis, & uiæ anguſtæ ſint, nihil quidem defluit ſenſui manifeſtum, ſed id ſolùm, quod ita eſt extenuatum, & in ſubtilioris uaporis naturam tranſierit: tunc huiuſmodi tempus declinatio appellatur, quidam feruentium humorum difflatus.

Ac proinde rectiſsimè I X. Methodi dixiſſe eſt uiſus, tum febris remiſsionem fore, quum qui putrent ſucci tranſpirant, perq; cutis meatus foras truduntur. Vnde facillimè conuelli autoris huius libri de flatibus ſententia de ſudore in febri proueniente poteſt, qui à ſpiritu in meatus corporis irruente ſudores fieri pronuntiet. Quod falſiſsimum eſſe ex his Galeni locis abundè me demonſtraſſe exiſtimo. Ex quibus ſanè conſtat, ſudoris in febrium declinatione promanantis materiam, non ſpiritum, ſed putreſcẽtis humoris attenuatam portionem, inq; meatus corporis deductam eſſe: idq; cùm & potentia corporis robuſta, & corpus rarum fuerit, & humor fluxilis atq; attenuatus. Alioqui, ſi uel infirmum corporis robur fuerit, uel lentior ſuccus, uel meatus anguſti, nihil quidem ſudoris manabit, ut bellè Galenus docet. Quamobrem & quæ adducitur ſimilitudo, ineptiſsima eſſe conuincitur: non enim quemadmodum ex feruentibus aquis, aut alia quapiam materia elicitus eliquatione humor prouenit, ſic in animantis corpore ſudor: nam ut hic effluat, ijs quæ modò diximus opus eſt, nempe raritate corporis, facultatis robore, & humoris tenuitate. Contrà uerò, ut qui à ſubſtrata in uaſis ad eliquandum aptis materia eliquatur humor, reflexu uaporis & occurſu ad ſolidum quiddam eſt opus: quo quidem occurſu denſeſcit quod ſurſum elatum fuerat, & in aquam conuertitur. Non ſic certè qui in ſudorem abiturus eſt humor, qui ſi uel ipſe craſsior fuerit, uel ſtipatos meatus inuenerit, nunquam in eum, qui ſudor uocatur, humorem conuertitur, ut ex mox citatis Galeni locis euidentiſsimum fecimus. Quamobrem indignam tanto autore hanc de ſudore ſententiam cenſeamus, & ad reliqua progrediamur.

Quæ uerò de capitis in febribus dolore mox adducuntur, etſi in parte uera ſunt: non tamen in uniuerſum. Equidem quod interdum à flatuoſo ſpiritu in caput irrumpente illicq; concluſo ob meatuum anguſtiam, dolor in febribus oriatur, accidere ſæpe uidemus, atq; ſanguinem etiam ipſum natura calidum & in anguſta loca coactum, dolores creare, & pulſum circa tempora facere, quod quidem in ſynochis febribus plerunq; experimur. Verùm huic uni cauſæ non omnis capitis in febribus adſcribendus

bendus dolor est, cùm sæpenumero ab intemperie modò calida, modò frigida, eaq; cum humoris uitio coniuncta, aut etiam sine eo dolorem in capite fieri sæpe cernamus, unde tam multa ad id à Galeno cùm libris de Locis affectis, tum de Compositione medicamentorum secundum locos ex ueterum monumentis excogitata medicamenta, quæ quidem inutilia omnino essent futura, si omnis à flatibus dolor nasceretur: cùm interdum à multo infarcto humore, eoq; frigido, interdum ab obstructione, nonnunquam à bili (ut citatis locis affirmat Galenus) dolores huiusmodi fiant. Non igitur in uniuersum aëri in capite concluso, & sanguinis redundantiæ acq; coarctationi adscribendus, qui per febres in capite nascitur dolor.

## HIPPOCRATES.

Τῶν δὲ ἄλλων ἀῤῥωστημάτων ὁκόσοι μὲν ἂν εἰλεοὶ ἔωσιν, ἢ εἰλήματα, ἢ στρόφοι, ἢ ἕτερα ἀποστηρίγματα, φύσας εἶναι αἴτια ἅπασιν ἡγέομαι φανερὸν εἶναι. πάντων γὰρ τῶν τοιούτων αἰτίη τοῦ πνεύματος ἡ διάδυσις· ὅταν γὰρ ὁκόταν προσπέσῃ πρὸς τόπους ἁπαλοὺς καὶ ἀήθεας καὶ ἀθίκτους, ὥσπερ τόξευμα ἐγκείμενον διαδύνον διὰ τῆς σαρκὸς προσπίπτει, ποτὲ μὲν πρὸς τὰ ὑποχόνδρια, ποτὲ δὲ πρὸς τὰς λαπάρας, ποτὲ δὲ ἐν ἀμφότερα.

Quod est: Sunt & aliquæ aliæ infirmitates, utpote uoluuli, agitationes intestinorum, tormina, uertigines. Quòd autem hæ ipsæ omnes à flatibus fiant, nemini non manifestũ esse puto: omniũ enim horum causa est spiritus trãsiens, qui cùm teneros & insuetos ac prius intactos locos cõtingit, ueluti spiculũ infixum penetrans, per carnem perrũpit, aliquando præcordia petens, quandoque ilia, interdum utraque simul adfligens.

## VALLERIOLA.

EAs quæ modò enumeratæ sunt ægritudines, nempe uertigines, uoluuli, tormina, à flatibus bona ex parte fieri nemini non perspectissimum esse puto: uerùm ita ab ijs nasci, ut non & alias multas sui ortus habeant causas: & id quoque ijs euidentissimum esse existimo, qui in optimorum autorum lectione paulò sunt diligentius uersati. Quis enim nescit uoluulum (ut ab hoc incipiam) non à flatibus perpetuò, sed uel ab excrementorum lentorum crassorumq; obstructione, uel aridi stercoris detentione, uel deniq; tenuioris intestini inflammatione oriri? Quod ne gratis dixisse uideri posim, testem adferam Galenum, qui libro de Locis aff. VI. cap. II. hac de re in hunc modum desseruit.

Probabile (inquit) est frigidum, eundemq; crassum, aut uiscidum humorem, aut flatuosum spiritum in corpore crasso densoq; genitum, sed egredi nequeuntem, dolorem excitare, uehementem quidem, geminam ob causam, intemperantiam, & corporum quibus continetur tentionem. Longum uerò quum difficulter uacuatur. Nam corpora ambientia, tum ob crassitudinem, tum spissitudinem ipsum arcere possunt. Atque interdum (subdit) alij quoq; dolores & quidem uehementissimi, in sublimioribus intestinorum partibus eueniunt, grauiter uomitionibus cruciantes: adeò ut nonnulli sub finem stercus quoq; euomere conspiciantur, à quo affectu uix unquam aliquis potuit sanus euadere: hunc εἰλεὸν, id est, uoluulum uocant: nonnulli etiam chordapson, quum scilicet tremor aliquis

quis eminet in tenuium intestinorum parte, ut uideatur intestinum ad chordæ similitudinem conuolutum. Itaque non ab re uisum est medicis antiquioribus uel ab inflammatione, uel obstructione aridi stercoris, huiusmodi tenuium intestinorum affectus oriri. Hactenus Galenus.

Ex cuius quidem longissima eademque clarissima serie, affectuum tenuiorum intestinorum causas est perspexisse: quas quum ille uarias, nec semper easdem statuat, (uti & idem autor rursus III. Aphorismorum commentario XXII. confirmat) & nos quoque ueram illius sententiam imitati, non in unum tantum flatuosum spiritum (ut huius libri autor uult) sed modò in has, modò in alias quasdam unà cum Galeno referamus. Cuius ego Græca ob longitudinem, ne in immensum abiret uolumen, hic de industria subnectere nolui. Atque eadem & Paulus & Aëtius confitentur.

Paul. lib. 3. cap. 44. Aëtius Ser. 9. ca. 28.

## HIPPOCRATES.

Ἴσως δ' αὖτις εἴποι, πῶς ἂν τὰ ῥεύματα γίνεται διὰ τὰς φύσας; ἢ τίνα τρόπον τῶν αἱμοῤῥαγιῶν τῶν περὶ τὰ στέρνα τοῦτο αἴτιον ἐστιν; οἶμαι δὲ καὶ ταῦτα δηλώσειν, διὰ ταῦτα γινόμενα· ὅτε περὶ τὴν κεφαλὴν αἱ φλέβες γεμισθῶσιν ἠέρος, πρῶτον μὲν ἡ κεφαλὴ βαρύνεται τῶν φυσέων ἐγκειμένων· ἔπειτα συνειλεῖται τὸ πνεῦμα μετὰ τὸ αἷμα διὰ τὴν στενότητα τῶν ὁδῶν· τὸ δὲ λεπτότατον τοῦ αἵματος, διὰ τῶν φλεβῶν ἐκθλίβεται· τοῦτο δὴ τὸ ὑγρὸν ὅταν ἀθροισθῇ, ῥεῖ δι' ἄλλων πόρων· ὅκου δ' ἂν ἀθρόον ἀφίκηται τοῦ σώματος, ἐνταῦθα ξυνίσταται ἡ νοῦσος. ἐπὴν μὲν οὖν ἐπὶ τὴν ὄψιν ἔλθῃ, ταύτης ὁ πόνος. ἢν δὲ ἐς τὰς ἀκοὰς, ἐνταῦθα ἡ νόσος· ἢν δὲ ἐς τὰς ῥῖνας, κόρυζα γίνεται. ἢν δὲ ἐς τὰ στέρνα, βράγχος καλέεται.

Quod est: Sed dixerit fortasse quispiam, quonam pacto à flatibus destillationes & rheumata fiunt? & quonam modo sanguinis rupturarum circa pectus flatus causa est? Verùm arbitror, ea quoque ostensurum me ob eandem fieri causam. Cùm igitur capitis uenæ aëre plenæ sunt, primùm quidem caput ipsum ob inclusos flatus aggrauatur, tum conuoluitur spiritus cum sanguine, propter uiarum angustiam. Quod autem tenuissimum est sanguinis, per uenas exprimitur, atque id ipsum tenuissimum liquidum quum coaceruatur, per alios meatus fluit. Ad quacunque autem corporis partem cumulatim progrediens constiterit, ibi constituitur & morbus: si itaque ad oculos peruenerit, sequitur eorum dolor: si ad aures, morbus & illas occupat: si ad nares, grauedinem generat: si ad pectus, raucedinem.

## VALLERIOLA.

APpositissimè certè mirari hic mihi Hippocrates, aut quisquis tandem huius libri autor fuerit, uidetur, quonam pacto à flatibus distillationes (quæ ῥεύματα Græci uocant) quomodo item sanguinis è pectore manationes, aliarumque partium quæ hic enumerantur, morbi fiant. Cùm enim qui in ipsa contextus serie enumerantur morbi, ab humoribus omnes nasci uel euidentissima sensuum fide uideantur, (quod curationis ipse modus ac ratio indicat: quum sublata quæ morbos hos excitauit causa, uacuatoque humore finiri confestim affectus hos omnes uideamus: quæ docta Galeni XIII. Metho. de oculorum inflammatione loquentis sententia est) flatus autem res sit halituosa, tenuissimaque, quæ & ipsa

ipsa nec omni tempore in corpore gigni posit, nec etiam in eodem consistens hos affectus per sui naturam gignere soleat, ut paulò pòst ostensuri sumus: haud immeritò certè quæsisse illud Hippocrates uidetur, quinam à flatibus morbi ij fiant. Cuius quidẽ quæsiti, etsi certam quandam rationem, ac ueluti enodationẽ, afferre conatur: longissimè tamen ipsum hac in parte à recti uia ipsáq; ueritate defecisse (absit inuidia uerbo) magnis sumus tum grauissimorũ autorum sententijs, tum rationibus ostensuri. Equidem si autoritate pugnandum sit, neminem ego ueterum seu Græci sint, seu Arabes, seu Latini, (à quibus tanquam principibus ars medica ad nos ueluti per manus dimanauit) neminem inquam uideo, fluxionum morbos flatui, ceu causæ effectrici tribuisse. Nam ut à Galeno ipsius Hippocratis interprete incipiam, ubi de distillatione, raucedine, tussi, sanguinis per os reiectatione, oculorum & aurium affectibus ex professo loquitur, uti tum V. tum VI. de Sympto. cau. II. de Crisibus, V. Methodi, & IIII. ac V. de Compositione medicamentorum secundum locos, & pluries alibi, horum affectuum causas non in flatus ipsos cerebro incumbentes, causam reijcit: sed uel intemperaturæ cerebri calidæ aut frigidæ, aut multis crassis, lentisq; humoribus, aut interdũ etiam tenuibus, tum & facultatis robori uel imbecillitati & uariæ corporis ac meatuum habitudini adscribit. Quæ ut planius monstrem, adferam quæ ab eodem autore ea de re VI. de Sympto. cau. & IIII. de Compositione medicamentorum secundum locos scribantur.

Siue inquit è naribus, siue auribus, siue palato, siue oculis, siue faucibus, siue utero, aut ex reliquarum partium quacunque aliquid profluit, eius tum quantitatem, tum qualitatem considerare: atq; excretionis modum, in causas iam dictas reijcere oportet. Sic enim inuenientur symptomata quæ à similarium intemperie ortum habent: itidem instrumentorum morbi, insuper qualis quantáq; fuerit materia: ueluti, exempli causa, tum destillationis tum grauedinis (hæc corriza, illa catarrus Græcis nominatur) causa est cerebrum, ut pars similaris, uel à frigore, uel Solis ardore ad intemperiem reductum, ut instrumentum uerò, quatenus à plenitudine infestatur. Igitur quemadmodum profluuium in uentre, per cruditatem fieri solet, ita dictorum affectuum uterq; in cerebro.

XIII. uerò Methodi fluxionis omnis causas tractãs, eas uel in intemperaturam partis aut totius corporis, uel in plethoram, aut cacochymiam ut plurimùm referre solet: rarissimè uerò in flatuosum spiritum, & si ab hoc interdum (ut eodem ipso loco monet) fluxio oritur: quia si fluxionis, quæ ad oculos fit, causa est spiritus, (ut hoc exemplo rem apertius demonstrem) quorsum attinet in lippitudine (quod tum XIII. Metho. meden. tum IIII. de Compositione medicamentorum secundum locos cap. VIII. ex Archigenis sententia Galenus facit) sanguinem mittere, fortiter aluum ducere, clysteribus ualentibus ad reuulsionem uti: hæc enim profectò flatuum remedia non sunt: ut quibus discutiendis, ijs opus non sit auxilijs, quæ ad eliciendos humores, & uacuandos, non ad discutiendos spiritus dicata sunt. Quamobrem meritò &

Paulus lib. III. & Aëtius sermone VIII. quum de ijs affectibus loquuntur, ducem Galenum sequuti, in easdem & ipsi referunt causas: uti etiam inter Latinos Celsus atque Plinius, & omnis insuper Arabum schola, ut planè ridiculum & insaniæ proximum uideatur, à flatibus hos morbos oriri dicere: quum oculata sensuum fide ab humoribus hos nasci, non ab incumbente spiritu cernamus: uti in raucitate, grauedine, tussi, manifestè experimur: per quos quidem affectus ore aut naribus crassa multa, uiscida, lenta, interdum etiam tenuia, calida, biliosa excerni muco, aut excreatu cernamus: atque eo quidem uacuato humore omni, curari protinus affectum. Sanguinis uerò è pectore reiectiones quis unquam à flatu fieri dixerit? Nam etsi interdum flatus tantus colligi in corpore potest, uasa ut ipsa nimia diductione ac tentione aperiat: rarissimum tamen id est, & ferè nunquam uisum. Quanquam interdum ab hoc uasa pectoris rumpi satis constat, ut in tibicinibus euenire sæpe uidemus. Galenus certè reiectionis sanguinis certiores adfert (V. Methodi) causas: nempe rumpi uasa uel per anostomasin, uel diapedesin, uel anabrosin: atque anostomasis causam esse, uenarū plenitatem à sanguine copiosiore quàm par est, uel uasis imbecillitatem, anabrosis earundem ab acri succo erosionem, diapedesis, tunicæ ipsius uasis rarefactionem, sanguinisque nimiam attenuationem, qua facilè ueluti transcolatus effluit. Hæ certissimæ atque uerissimæ sunt reiectationis sanguinis causæ: non quas hic inani somnio autor sibi effinxisse uidetur. Sed quoniam clarior res est, quàm ut longa narratione opus habeat, hæc sufficere in præsens uidebuntur, si tantum id adiecero, non rectè hic dici, caput ubi aëre plenum fuerit, graue reddi: hoc enim signo interstingui capitis dolentis materiam medici omnes uoluerunt: quòd ubi ab humore est, graue sentiatur caput, quòd grauitas rem corpoream mole sua & pondere nocentem indicet: leuitas uerò flatum potius indicat, cùm sint flatus incorporea quædam, ut paulò antea dixi, & minimè grauis substantia quæ grauitatem suapte natura inferre posit.

HIPPOCRATES.

*Διότι δήποτε τὸ ῥεῦμα τὸ αὐτὸ πνεύματος ἀναῤῥηγνύμενον, ἀναῤῥήγνυται· τὸ μὲν αὐτόματον, τὸ δὲ, διὰ πόνους αὐτόματον μὲν οὖν, ὅταν αὐτόματος ὁ ἀὴρ εἰσελθὼν εἰς τὰς φλέβας, στενοχωρίην ποιήσῃ τοῖσι τοῦ αἵματος διεξόδοισι· τὸ, τε γὰρ πιεζόμενον τὸ αἷμα πολὺ γινόμενον, ἀναῤῥηγνύει τοὺς πόρους, ᾗ ἂν ὡς τὰ μάλιστα βρίσῃ· ὁκόταν δὲ πλῆθος αἱμοῤῥαγῆσαν καὶ τότε ἰσιν οἱ πόνοι πνεύματος ἐνέπλησαν τὰς φλέβας· ἀνάγκη γὰρ τὸν πονέοντα τόπον κατέχειν τὸ πνεῦμα.*

Quod est: Quare sanè contingit fluxionem aliquam citra spiritum rumpi: & quandoque quidem sua sponte, interdum uerò etiam ob dolores, Ac sponte quidem, quum aër in uenas ultrò receptus sanguinis meatus coarctat, copia nanque sua compressus sanguis, meatus perfringit, qua eius copia maximè perrumpit, effusione uerò eius facta, uenæ rursus spiritu complentur, & ex eo dolor sequitur. Necesse est enim affectum locum spiritu occupari.

VALLERIOLA.

PVgnantia hoc loco de fluxionis ruptione contineri, ipsa loci series abunde docet: siquidem quum fluxionem aliquam citra spiritum rumpi Hippocrates affirmet, idque uel sponte, uel ob dolores: causam tamen ruptionis spontinæ aërem in uenas ultrò receptum, ac sanguinis meatus coarctantem statuit. Atqui si aër in uenas receptus ruptionis causa est, iam illa citra spiritum non erit: oportebat autem illam citra spiritum fieri, dicente nimirum ipsomet, fluxionem aliquam etiam sponte citra spiritum rumpi. Itaque si uerum illud est, uti planè est, fluxionem aliquam citra spiritum rumpi, (rumpuntur enim pleræque non ab spiritu, sed humorũ redundantia, ut in phlegmone, œdemate, cæterisque ab humorum influxu prouenientibus tumoribus experimur, si modò ad suppurationem peruenerint) non omnis utique ruptio ab spiritu erit, contrà, quàm in hoc libro probare Hippocrates nititur.

Adde quòd non in uniuersum uerum id est, aërem in uenas receptum sanguinis meatus coarctare: calidus enim aër inspiratus tantum abest ut sanguinis meatus coarctet, ut illos plurimum rarefaciat atque laxet: pro calidi utique natura, cuius est attenuare, rarefacere, reserare, non autem coarctare, sed solius frigidi id est. Quin nec aër ipse frigidus inspiratus, nisi is admodum frigidus sit, id efficere potest: alioqui oporteret nos per hyemem perpetuò frigido existente aëre, ruptioni uenarum obnoxios esse, quod sanè minimè fieri experimur. Non itaque frigidus aër omnis ultrò in uenas receptus, sanguinis meatus coarctat, ut hic uelle uidetur Hippocrates: sed is tantum, qui immodica sua frigiditate constipans, tum sanguinem cogere, tum illius meatus coangustare potest. Vnde sæpenumero uasa rumpuntur, sanguisque rupto uase excernitur.

Quin nec illud quidem uerum est, rupto uase dolorem semper consequi: quæ enim in Pulmonibus uenæ rumpuntur, dolorem non creant: quo quidem signo sanguinis excretiones per os an à pulmonum uasis effractis, an à pectoris uasis erumpant dignoscitur, quòd pectoris effractũ uasa dolorem, pulmonum uerò minimè inferre possint. Rursus si ab sanguinis copia uenæ rumpantur, quomodo quæso ab incluso spiritu rumpi possunt? siquidem quò copiosior in uasis constiterit sanguis, eo minor erit spiritui locus: quò enim consistat non habet, sanguine uniuersum uas sua multitudine occupante. Perinde enim redundantibus sanguine uasis, atque dolijs uino ad summum usque labrum plenis euenit. Nam ut in ijs nullus patet aëri aditus, uino dolij sinum implente: sic sanè in uasis copioso sanguine distentis, nullus erit aëri locus. Quamobrem ruptio (si ita contingat) non ab spiritu in uase concluso, (qui planè aut nullus, aut admodũ exiguus est) sed ab redundante sanguine uas ipsum plus æquo nimiũ distendẽte fiet. Quæ docta Galeni. v. Thera. Methodi sententia est. Non igitur, ut hic uult Hippocrates, necesse est affectum locum spiritu occupari, quum plerunque ab sanguine uel multo, uel uitioso, uasis impletio fiat.

HIPPOCRATES.

τὰ δὲ ῥήγματα πάντα γίνεται διὰ τάδε· ὁκόταν ὑπὸ βίης διαστέωσιν αἱ σάρκες ἀπ' ἀλλήλων,

ἐν δὲ τὴν διάστασιν ὑποδράμῃ πνεῦμα, τοῦτον τὸν πόνον παρέχει. ἢν δὲ διὰ τῶν σαρκῶν αἱ φῦσαι διεξιοῦσαι τοὺς πόρους τοῦ σώματος ἀραιοὺς ποιήσωσιν, ἕπεται δὲ τῇσι φύσεσιν ὑγρασίη, ἧς τὴν ὁδὸν ὁ ἀὴρ ἀπηργάσατο. διαβρόχου δὲ γενομένου τοῦ σώματος ὑποτήκονται μὲν αἱ σάρκες· οἰδήματα δὲ ἐν τὰς κνήμας καταβαίνει· καὶ λέγεται τὸ τοιοῦτον νόσημα, ὕδρωψ.

Quod est: Rupturæ autem fiunt hoc modo, cùm uiolentia quadam inuicem discedunt & finduntur carnes, in fissuram intercurrit spiritus, ac dolorem infert: cùm autem flatus ipsi carnes pergressi meatus corporis rarefecerunt, sequitur post flatus humiditas, cui uiam iam antea aër præstauit. Irriguo itaque corpore ab humiditate facto, liquefiunt carnes, tumoresque in suras descendunt, atque morbus fit, qui aqua intercus nominatur.

VALLERIOLA.

REctissimè illud ab Hippocrate dicitur, Ruptiones tum fieri, cùm uiolentia quadam inuicem discedunt & finduntur carnes: sic enim de ijs tum III. tum IIII. Methodi medendi Galenus. ῥῆγμα (ait) in uasis musculisque ex uiolento ictu uel graui casu, uel alio quopiam ualente motu excitata unitatis solutio est. Et rursus: Ruptio (inquit) & conuulsio citra uulnerationem facta unitatis solutio: prior enim carnosæ partis diuisio est, posterior neruosæ. Libro uerò de Constitutione artis medicæ idipsum confirmans, sic inquit: In carnosis musculorum partibus ex distentione proueniens unitatis solutio ῥῆγμα, id est, ruptura dicitur. Rupturæ uerò id est, cùm diuulsa ac rupta musculi carnosa pars fuerit. Vel eiusdem Galeni VI. Aphorismorum commentario XXII. testimonio. Ruptionis porrò causæ eæ ab eodem autore statuuntur, nempe repentinus, inæqualis, & ualidus motus in corporibus, seu extrinsecus eueniens ab his quæ grauitate sua uiolento'ue motu collidere possunt: seu ab ipsomet corpore ipso nimirum immoderatis & incompositis motibus iactato: unde musculorum partes ab inuicem diuelluntur atque rumpuntur.

*4. Methodi.* *3. Methodi.* *2. de Morb. cau. cap. ulti.*

Rectè igitur dictum illud hoc loco est, Ruptiones à uiolento quodam fieri, cùm illius impetu finduntur carnes. Illud non rectè, in fissuram subtercurrere spiritum eoque dolorem fieri. Nam etsi in omni ruptura dolor oritur, non tamen illius causa subtercurrens in fissura spiritus statuenda est: sed magis soluta illa partium carnosarum unitas: quæ propria doloris causa, uel autore Galeno statuitur. Dolor (ait) quemcunque obsederit locum, aut continuitatis solutionem, aut subitam alterationem ostendit. Et IIII. de Sympto. causis, ob uiolentum occursum eorum quæ secare, contundere, diuellere ac erodere possunt, dolores oriri testatur. Itaque in ruptura quum uiolentus occurrat rei contundentis motus musculi partes diuellens, ab hac nimirum diuulsione, non ab spiritu obrepente dolor proueniet. Spiritum autem non intercludi eo maximè constat, quòd in ruptionibus (ut IIII. Methodi ad finem ait Galen. & VI. Aphor. comment. XXII.) ferè semper uocatæ echymoses fiant, sanguisque in loco rupto manifestè collectus, qui tandem discussione sanatur. Non ergo interclusus in loco rupto spiritus, sed magis sanguis partes diducens, doloris causa statuenda erit. Nam si ab spiritu dolor crearetur, quum res sit ualde

*In Arte medicinali.*

de tenuis & discussu facillima: consequens plane esset, in ruptionibus dolores leuissimos, & ad curandum faciles esse, contra quam fieri re ipsa cernimus: quod graues & curatu difficiles esse soleant qui rupta consequuntur dolores. Ad quod facit, quod in his curandis non flatus discutientibus, sed maxime calasticis uocatis, & modice siccantibus echymomaq; euocantibus, uti Galenus solet: discutientibus autem & maxime calidis uteretur, si flatum aliquem in ruptis subesse existimasset. *Vide 4. Metho. ad finem.*

Probatum igitur illud a nobis est, spiritum in ruptis non intercludi: eoq; ab ipso dolorem non fieri. unde & illud quoq; quod hoc loco subijcitur, falsum esse deprehenditur, flatus ipsos carnes permeantes meatus rarefacere, atq; post ipsos humiditates sequi. Nam quae ab uiolento quopiam in carnes incidente humiditates in partem ruptam decumbunt, non spiritum, sed collisionem potius partis sequuntur: effractis utique uasorum osculis, aut diductis per quae sanguis & ychores promanant.

Quod uero mox sequitur, ut ab omni ueritate alienissimum, sic sane indignum quod ab Hippocrate tanto uiro sit prolatum: nempe, Irriguo ab humiditate facto corpore, liquefieri carnes, tumoresq; in suras descendere, morbumq; fieri, qui aqua intercus dicitur. Nam primum omnium, satis constat, in ruptura non uniuersum corpus, sed solum partẽ ruptione affectam humore superfluo imbui: quod apertis uel fractis uasorum osculis extra ferantur cõtentae in ipsis humiditates, a quibus affecta pars ueluti madescit. Non igitur ab humiditate ea quae ad ruptionem sequitur, uniuersum irrigatur corpus. Quod etiam si ultro detur, qui quaeso fieri potest, ut ab hac humiditate liquescant carnes, tumoresq; in suras descendant? Liquatio enim uel a calido in humidum corpus, uel ab humido perficitur. Quaecunq; enim a frigido coguntur, a calido eliquantur, ut nix & glacies: quae uero a calido uel sicco coacta sunt, ut sal, alumen, ab humido eliquantur: uel Aristotelis IIII. Metheorum, cap. VI. sententia. unde colliquatiuae eae dicuntur febres, cum immodicus calor humores corporis solidamq; membrorũ substantiam peruadens, carnium absumptionem succorumq; corporis facit. Quamobrem, quum in ruptionibus ex sui natura nunquam talis excitetur calor, ut liquefacere carnes possit, non uideo cur ab humiditate ea, quae in ruptionibus cõtingit, liquescere carnes possint.

Sed cur quaeso in suras descendant? An non in proximas ruptae parti sedes potiusquam in suras fluxio fiet? Illud uero ineptissimum, Ad hunc modum (quod hic ait Hippocrates) aquam intercutem gigni: cum ea non ex humiditate in ruptionibus genita: sed ex incocto sanguine serosisq; humiditatibus in corpore ab hepatis imbecillitate genitis (quae constans est omnium medicinae autorum sententia) perpetuo nasci soleat: in qua quidem & ipsa non semper in suras humiditates labuntur. non enim in tympania admodũ, non etiam in ascite, in qua surae & extrema omnia attenuatissima apparent, solo uentre ac sumine tumentibus: sed in sola anasarca uocata, congesto utiq; in suris sanguine pituitoso multo. Vnde apertissime constare arbitror, cum sint quae hoc loco afferũtur ineptissima,

ma, indigna ob id eſſe quæ Hippocrati medicinæ omnis parenti, ac principi, tribuantur.

HIPPOCRATES.

Μέγιστον δὲ σημεῖον, ὅτι φῦσαι τοῦ νοσήματός εἰσιν αἰτίαι, τόδε ἐστίν. ἤδη τινὲς ὀλεθρίως ἔχοντες ἐκλύθησαν, καὶ ἐκενώθησαν τοῦ ὕδατος· παραυτίκα μὲν τὸ ἐξιὸν ἐκ τῆς κοιλίης ὕδωρ, πολὺ φαίνεται· χρονιζόμενον δὲ ἔλασσον γίνεται· διατί οἷον γίνεται, καὶ τοῦτο δῆλον· ὅτι παραυτίκα μὲν τὸ ὕδωρ, ἀέρος πλῆρες ἐστίν. ὁ δὲ ἀὴρ, ὄγκον παρέχεται μέγαν. ἀπιόντος δὲ τοῦ νοσήματος ὑπολείπεται τὸ ὕδωρ αὐτό· διὸ δὴ, φαίνεται μὲν μικρὸν ἐὸν, ἔστι δὲ ἴσον.

Quod eſt: Maximum autem ſignum eſt flatus ipſos huius morbi cauſam eſſe, quòd quidem iam ſæpe hoc malo affecti exoluti ſunt, & ab aqua euacuati. Atq; his quidem ſubito aqua ex uentre prorumpens multa apparet, poſt moram uerò paucior fit. Cur uerò id fiat ſatis manifeſtum eſt. Nam primum ſubito prorumpens aqua aëre plena eſt, is tumorem ac aceruum præ ſe fert ingentem: quum autem aër euanuerit, remanet planè eadem aqua, & apparet quidē paucior, uerùm penitus eadem exiſtit.

VALLERIOLA.

SIgno quodam, ab ſpiritu gigni eum qui ὕδρωψ dicitur, morbum probare nititur quiſquis huius libri autor fuerit, ſed quàm rectè, planum commētatione noſtra faciemus. Signum enim id eſſe ait, ab flatu aquam intercutem gigni, quòd eo malo affecti, & ab aqua euacuati, exoluti ſint. Quaſi uerò quæ aquæ uacuationem exolutio ſequitur, ab flatu incluſo, ac non potius à ſubita uirium deiectione, quæ immodicam illam uacua-
4.Apho.27. tionem conſequitur, fiat? Quamobrem rectiſsimè illud ab Hippocrate VI. Aphor. dictum eſt, Quicunq; ſuppurati aut aquam intercutem patientes uruntur aut ſecantur: ſi pus aut aqua uniuerſim effluxerit, omnes moriuntur. Cuius cauſam reddere in eius partis commentario uolens Galenus non in ſpiritum, ſed in ſubitam & magnam euacuationem ijs uerbis reijcere animæ quæ in ijs cōtingit defectionem uidetur. Hoc utiq; commune eſt (ait) uſtioni ac pūctioni, quòd in utraq; Hippocrates conſulit caueri uniuerſam euacuationem, ſic enim uidetur contingere uti ait. Dictum eſt etiā ab Eraſiſtrato exquiſitius, ac plenius, de ijs qui aqua intercutē laborāt. Ac ſi ipſe dicat ſe cōpertum experiētia habuiſſe, uniuerſam euacuationem febres ac mortem afferre. Et mox: Videmus autem & in alijs partibus æquè atq; in thorace, quum aliquis magnus tumor ſuppuratur periculoſam eſſe uniuerſam euacuationem, cùm è ueſtigio deficiat anima, & uires debilitentur. Videtur in his propter magnam diſtantiam corporum & puris acritudinem, ora quorundam uaſorum arterioſorum eſſe adaperta, quæ prius ueluti quoddam embriſma pus continebant, quo uniuerſim euacuato, multi ſpiritus unà cum eo exeunt, atq; excernuntur, unde periclitantur. In aqua uerò inter cutem, non modò ob hanc cauſam ea laborantes offenduntur, ſed & duricies uiſceris, ut quod non ſuſtentatur ab aquoſa ſubſtantia, & ſeptum tranſuerſum deorſum trahit, & uiſcera quæ ſunt in thorace. Hæc Galeni de exolutionis cauſis (ubi uniuerſim in aqua inter cutem euacuatio fit) ſententia. Ex qua quidem uidere illud eſt, non flatum aquoſitati intermiſtum ac fo-

ras

ras prodeuntem exolutionis huiusmodi causam esse, ut sentire uelle huius libri autor uidetur: sed potius (ut uult Galenus) natiui spiritus exhalationem, qui quidem multus in huiusmodi uacuationibus foras fertur: tum & uisceris duriciem, & septi transuersi tractum deorsum, à quo dolores & animi defectiones contingunt. Natura enim (ut in Arte medicinali ait Galenus) non sustinet repentinas mutationes: quòd pro Hippocratis sententia plurimùm atque repente euacuare periculosum planè sit, atque naturæ inimicum.

Neque quod hic sequitur admiratione caret, ob id ab initio quum tales fiunt euacuationes, plurimam ob id ex uentre prorumpere aquam, quòd aëre plena sit: post moram autem pauciorem educi, quòd uacuatus sit qui intro inclusus spiritus erat. Nam etsi multus in uentre cum aqua coaceruatur spiritus, qui uastum tumorem efficit, copiosæ tamen erumpentis aquæ non is ipse spiritus, sed diu aceruata atque retenta in uentre aquæ copia in causa est, cur multa ab initio appareat, progressu temporis pauca, uacuatione nimirum copiam minuente. Si enim dolium aquæ plenum pertundas, ita ut manare intus latens humor possit, ingentem illius copiam magna ui efferri confertim uidebis: quæ tandem uacuatione minor effecta, & lentius effluet & minore copia promanabit. Ita enim naturæ lege constitutum est, ut quò maior sit fluxionis alicuius uel humoris facta uacuatio, eò ipsa minor semper efficiatur. Vacuationis enim id proprium est, ut ab ea pauciores semper prorepant humores. Mirum igitur cur pauciorem eam quidem post uacuationem apparere, non autem re uera esse dixerit Hippocrates, cùm re uera & paucior sit, nec quantitate eadem quæ prius. 2. Aphoris. tex. 51.

HIPPOCRATES.

Αἱ δὲ ἀποπληξίαι γίνονται καὶ αὐταὶ διὰ τὰς φύσας. ὅταν γὰρ αἱ φῦσαι ψυχραὶ οὖσαι καὶ πολλαὶ διαδύωσι, τὸ ἐμφυσήσωσιν διὰ τὰς σάρκας, ἀναίσθητα γίνεται ταῦτα τοῦ σώματος. ἢν μὲν οὖν πολλαὶ φῦσαι ἐν ὅλῳ τῷ σώματι διατρέχωσιν, ὅλος ὁ ἄνθρωπος ἀπόπληκτος γίνεται. ἢν δὲ ἐν μέρει τινὶ, τοῦτο τὸ μέρος. καὶ ἢν μὲν οὖν ἀπέλθωσιν αὗται, παύεται ἡ νόσος. ἢν δὲ παραμένωσι, παραμένει.

Quod est: Apoplexiæ autẽ fiunt ipsæ quoque ob flatus. Quando enim flatus frigidi existẽtes ac multi ingrediuntur, carnesque inflantes suscitant, sensu utique illæ corporis partes priuantur: & si quidem plurimi flatus per uniuersum corpus discurrant, totus homo stupidus fit: si per partem, pars illa percutitur: atque ubi abierint flatus, cessat & morbus: commorantibus commoratur.

VALLERIOLA.

APoplexiam morbum, quem & attonitum Latini uocare solent, unum esse ex difficillimis, & maximè curatu contumacibus morbis, ab Hippocrate proditum est. Aphoris. 2.

Λύειν ἀποπληξίην ἰσχυρὴν μὲν, ἀδύνατον. ἀσθενέα δὲ, οὐ ῥηΐδιον.

Apoplexiam, inquit, soluere fortem est impossibile, debilem uerò non facile.

Quod quidem ipsum argumento esse potest tantum morbum à flatibus

bus gigni minimè posse: qui enim à flatibus gignuntur, curationem sanè haudquaquam difficilem admittunt. Quamobrē mirari subit, quid Hippocrati (si is huius libri autor sit) in mentem uenerit, ut à flatibus, re leuissima, & discussu haud perinde difficili, tantum morbum gigni crediderit: cùm ipsemet Hippocrates lib. de Morbis II. ingenuè id quod est, attonitum morbum seu syderationem ab humoribus cerebrum tentantibus, spiritusq́ animalis progressum deductionem'q in partes impedientibus, nasci affirmauerit. Si, inquit, cerebrum sydere tur, dolor ex capite spinam, cor, petit, defectionesq́ animi fiunt: sudor oboritur, nec somnus accedit: sanguis de naribus fluit. Syderatur autem cerebrum nimio calore, frigoreq́, nimia etiam interdum bile aut pituita. Vnde liquido constat non ab flatibus, sed ab humoribus (frigidis præsertim & crassis, obstructionem'q facientibus attonitum morbum fieri. Quod & conceptis uerbis fusissimè Galenus Aphoris. II. ijs uerbis explicauit: omnes autem apoplexiæ fiunt ui animali non potente defluere ad partes infra caput existentes, aut propter aliquam dispositionem similem inflammationi, quæ in ipso cerebro fit constituta, aut uentriculis ipsis impletis humore pituitoso. Et item VI. Aphor. LVII.

Quid quæso ad morbi huius explicationem apertius dici excogitariq́ potest? causa utiq́ illius uniuersim à Galeno reddita. Fiunt, inquit, apoplexiæ cùm uis animalis in subditas partes ferri prohibetur, aut affectum aliquem inflammationi similem cerebrum occupantem, aut obstructis cerebri uentriculis crasso pituitosoq́ humore: non igitur ab flatibus, sed crassis potius succis obstruere ualentibus hic morbus nascitur. *Lib.3.cap.18* Hoc ipsum sanè Paulus confirmat: origo, inquit, uitij (de apoplexia ex professo loquens) est ex frigidiore pituita, quæ principes cerebri uentres affatim & cumulatè repleat. *Lib.6. capite 27.* Idem quoque Aëtius: Apoplexia, inquit, ob repentinam inuasionem, nobiliores cerebri uentriculos à crasso, frigido, lentoq́ humore repleri indicat. Quid ijs tantorum uirorum assertionibus ad attoniti morbi causas ad uerum prodendas explicatius? qui quum una uoce omnes, à crassis & lentis nasci apoplexiam affirment, req́ ipsa ita euenire cernamus, ut in ijs potissimùm attoniti morbi nascantur, qui huiusmodi succis uel per uitæ ignauiam intemperantiam'q, uel *6.Aphor.57.* suapte natura abundent: ac proinde rectissimè Hippocrates in Aphorismis apoplexias fieri maximè à quadragesimo anno usque ad sexagesimum prodidit: quòd ea in ætate, ut in commentario uult Galenus, crassi in corpore abundent humores, unde is morbus originem ducit. At uerò quid insulsius hoc dici potest, In apoplexia à flatibus multis & frigidis carnes inflari, ac ueluti turgescere, cùm in eiusmodi affectibus nec flatuū per corpus oberrantium indicia cernamus, nec carnes ipsas intumescere? Non igitur à flatibus tam exitialē oriri morbū, ut ineptissimè huius libri autor sentire uidetur: sed magis à crassis, lentis, uiscidisq́ humoribus, principes cerebri uentres obstruentibus, uimq́ illam animalem in subditas partes ferri prohibentibus (quæ concors tum Græcorum, tum Arabum, tum etiam Latinorum omnium ea de re sententia est) arbitrandum,

dum, constituendum'que est.

HIPPOCRATES.

Δοκεῖ δέ μοι καὶ τὴν ἱρὴν καλεομένην νόσον τοῦτο εἶναι τὸ προεχόμενον· οἷσι δὲ λόγοισιν ἐμαυτὸν ἔπεισα, τούτοισιν αὐτέοισι καὶ τοὺς ἀκούοντας πείσειν πειράσομαι· ἡγέομαι δὲ ἐμπεδέως μηδὲν εἶναι μᾶλλον τῶν ἐν τῷ σώματι ξυμβαλλομένων ἐς φρόνησιν ἄν, ἢ τὸ αἷμα. τοῦτο δὲ ὅταν ἐν τῷ καθεστηκότι σχήματι μένῃ, μένει καὶ ἡ φρόνησις· ἐξαλλασσομένου δὲ τοῦ αἵματος, μεταπίπτει καὶ τὸ φρόνημα.

Quod est: Videtur autem mihi & sacrum appellatum morbum ab ipsis flatibus gigni: quibus autem rationibus ego persuasus sum, illis ipsis & auscultaturos persuadere conabor. Opinor autem inter omnia quæ in corpore sunt, nihil magis ad prudentiam conferre, quàm sanguinem. Hic ergo quum in constanti habitu persistit, consistit & prudentia: sanguine uerò permutato, concidit simul & prudentia.

VALLERIOLA.

COmitialem morbum à flatibus gigni non modò omnium sententiæ autorum, qui de eo morbi genere accuratius scripserũt, uerum etiam ueritati ipsi repugnat, à pituita enim crassa uiscidaque, uel atro interdum humore uentriculos cerebri obstruente fieri omnes tradunt. Testimonio est Galenus Aphoris. II. commentario XLV. ea de re ad hunc modum pronuntians: Morbus comitialis (inquit) proximus quodammodo est morbo quem apoplexiam appellãt; cùm idem locus in utroque patiatur, & idem humor in causa sit. Qualisque is sit mox explicans, subdit: Frigidus autem & crassus est humor ambobus: atque iccirco adolescentiũ ætas calidam & siccam habens tẽperaturam, maximum affert auxilium ijs qui morbo comitiali laborant. Et rursus Aphor. V. commentario VII. Non modò, inquit, ad alias partes translatis ijs qui morbum comitialem faciunt humoribus soluitur passio, sed etiam omnino curatis: sunt enim hi crassi ac frigidi, & pituitosi. Quin & autor libelli eius qui de sacro morbo scribitur (Hippocratem autem non esse uel Galeni assertione constat) pituitam potissimùm affirmat comitialis causam esse: id ipsum Paulus, Aëtius, omnes denique suis quique monumentis testatum reliquere. Non est igitur cur à flatibus (ut hic uult Hippocrates, uel quisquis huius libri autor fuerit) morbum hunc fieri credamus, sed magis à pituita: quòd ijs potissimùm euenire is morbus soleat, qui eius succi plurimum colligunt. Atque ob id rectè quibus pueris mucus plurimus, cæterique pituitosæ effluxiones per uarios corporis meatus emanant, ab hoc morbo tutos esse, libro de sacro morbo, proditum est.

Sanguinem porrò (quod hoc loco subijcitur) ad prudentiam non minimum conferre, ut uerum existimandum est: quòd pro illius bona, mala'ue in corpore temperatura, uarios contingat in animo effingi mores: dicente nimirum Galeno, Bonam corporis temperaturam bonos mores sequi. Illud tamen non admittẽdum prorsus est, In constanti habitu persistente sanguine, consistere & prudentiam: eo uerò permutato, concidere & prudentiam quoque. Nam & fieri sæpe uidemus, ut qui probè temperatum in uenis sanguinem habent, mala educatione imprudentissimi

euadant: alios uerò quibus sanguis uitiosior erit, multò prudentiores. Vnde illud rectißimè ab Aristotele philosophorum summo in Problematis dictum est, Eos omnes qui in studijs floruerunt uel natura uel studio melancholicos esse effectos. Et illud item à Galeno, in siccis maxime temperaturis prudentiam uigere. Vnde constare illud euidentißimè arbitror, non sanguinis bonum in corpore habitum prudentiam facere: sed mentem potius ad ueri perspicientiam aptam. Cùm uel Aristotelis testimonio prudentia habitus quidam animi sit, uera ratione ad ea agenda idoneus, quæ uitæ hominum conducunt, uel obsunt. Et Galenus ex Aristonis sententia, facultatem animi quandam prudentiam esse existimat, qua bona à nobis cùm ueri perspicientia agantur, mala uitentur. Ac proinde prudentes eos ob id uult Aristoteles esse, qui rectè consilium in ijs capere possunt, quæ è re sua sunt, & ad benè uiuendi rationem pertinent.

31. Proble. sectione.

Lib. 7. de Placitis Hippo. & Plat. & in Arte medicinali.

6. Ethi. cap. 1.

7. de Placitis.

6. Ethi. cap. 5.

Non igitur ex sanguinis consistente habitu, aut eo uitiato prudentiam nasci dicemus: quum & interdum probè consistente sanguine (ut antea dictũ est) stultos esse plærosq; & imprudentes: alterato uerò uitio quopiam eodem, nihilominus prudentes perstare multos cernamus. Si enim uir alioqui natura prudens, uel phlegmone aliquo, uel etiam febri à sanguinis uitio orta laboret (nisi admodum uehemens sit affectus) an quæso prudens esse desinet, prudentiamq; omnem exuet? minimè sanè id arbitrandum. Maneat itaq; illud in præsens, neque comitialem à flatibus fieri, neq; prudentiam sanguinis natura & consistentia metiri.

HIPPOCRATES.

ὅτι δὲ ταῦθ' ὧδ' ἔχει, πολλὰ τὰ μαρτυρέοντα. πρῶτον μὲν ὅπερ ἅπασι ζώοισι κοινόν ἐστιν, ὁ ὕπνος, οὗτος μαρτυρεῖ τοῖσιν εἰρημένοισιν· ὅταν γὰρ ἐπέλθῃ τῷ σώματι ὁ ὕπνος, τότε τὸ αἷμα ψύχεται· φύσει γὰρ πέφυκεν ὁ ὕπνος ψύχειν. ψυχθέντος δὲ τοῦ αἵματος, νωθρότεραι γίνονται αἱ διέξοδοι· δῆλον δέ, ῥέπει γοῦν τὰ σώματα, καὶ βαρύνεται· πάντα γὰρ τὰ βαρέα, πέφυκεν ἐς βυθὸν φέρεσθαι· καὶ τὰ ὄμματα καίεται. καὶ ἡ φρόνησις ἀλλοιοῦται· δόξαι δέ τινες ἕτεραι ἐνδιατρίβουσιν, ἃ δὴ ἐνύπνια καλέονται.

Quod est: Quod autem hæc ita se habeant, multa sunt testimonia. Ac primum quidem qui omnibus animantibus communis est somnus, hæc confirmat. Cùm enim corpus inuaserit somnus, sanguis frigesit. A natura enim somno refrigerandi uis est. Infrigidato autem sanguine, languidiores fiunt eius meatus: quod hinc palàm fit, quòd corpora adgrauata reclinantur. Cuncta enim grauia deorsum feruntur natura: & oculi ardent, & prudentia permutatur, opinionesq; peregrinæ mentem occupant & exercent, quæ sanè insomnia appellantur.

VALLERIOLA.

SAnguinem ad prudentiam non minimum posse, ad eiusq; in corpore mutationem & ipsam quoq; prudentiam alterari, paulò antea dixerat Hippocrates. Idipsum uerò nunc confirmare uolens, ea ad probationem testimonia affert, quibus (uti sibi uidetur) dicto fides constare posSit. Mihi uerò tantum abest ut quæ in præsens ab hoc autore (non enim Hippocrate dicere ausim, ne inscitiæ supinitatisq; notã tãto uiro inuram) testimonia adferuntur, susceptam rem fide sua confirmare poßint, ut alienißima

nissima mihi ac planè ineptissima ad id probandum uideantur. Quid enim ineptius dici excogitari'ue usquam potest, quàm ex somno sanguinem refrigerari, corporaq́ue ob id aggrauata reclinataq́ue per somnum manere, quòd refrigeratus sit sanguis? oculos per somnum ardere? prudentiamq́ue tum permutari, insomniaq́ue ob id fieri? Horum enim singula si ad ueri fidem pressius expendamus, à ueritate alienissima esse comperiemus. Principiò somno sanguinem perfrigerari falsissimum est, cùm contrà potius incalescere ipsum per somnum fide certissima constet. Nam cùm somnum atq́ue uigilias secundũ natiui caloris motiones fieri (ut 11. Aphor. tradit Galenus) contingat: certum est, uel eiusdem eodem loco testimonio, uigilantem exterius quidem calidiorem esse, dormientem uerò contrario se habere modo. Itaq́ue per somnum quæ intus sunt, ea reuocatione caloris ad intima calidiora fieri necesse est. Vnde & uasa & uiscera omnia calidiora tum euadunt: eoq́ue & concoctiones & alimenti digestionem meliora fieri per somnos multis in locis Galenus prodidit. Quemadmodum enim hyeme & uere calidissimi uentres natura sunt, ut prodidit Hippocrates, quòd hyeme quidem calor augeatur refugiente scilicet intrò natiuo calore, ob circunstantem extrinsecus frigiditatem, (ut de Aristotelis sententia exponit eo loco Galenus) sic planè etiam in somno uegetiorem in nobis intrò fieri natiuum calorem ex ipsa somni ratione apertissimè constat. Esse enim somnum conuentum quendam caloris ad intima refugientis, naturalemq́ue quandam antiperistasin ob cerebri refrigerationem rectissimè ab Aristotele dictum est. Vnde ob id maximè à cibo somnum fieri idem autor prodidit, quòd tum copiosus humor & corpulentus sursum feratur, qui cùm consistit, caput aggrauat, & dormitare facit: cùm uerò iam descendit, & reciprocando calorem repulit, tum somno sepultum latet dormitq́ue animal. Cùm uerò reciprocatione ea interna omnia calidiora fieri constet, inquiente nimirum Aristotele, Partes per somnũ externæ frigent: quæ intrinsecus continentur incalescunt: an non & sanguis intra uasa abditus calidior tum euadet? Insanus sit profectò qui rei euidentissimæ tenebras offundere tergiuersando tentet. Alioqui si somni tempore frigidior redditur sanguis, quomodo interiora calere tum possunt, sanguine utiq́ue frigidiore effecto abundè ipsa perfrigerante? quomodo item coctiones, distributiones alimenti (quæ tum meliora fieri communi omnium assertione testatum est) perfectiora euadent? Non igitur sanguinem per somnos refrigerari, sed concalescere magis existimandum.

*Comment. 2.* — *1. Aphor. cõment. 15. & 7. Meth. & 6. de Sympt. causis.* — *1. Aphor. 15.* — *Somnus quid* — *Lib. de Som. cap. 3. nu. 16. & nu. 20.*

Vnde & illud quoq́ue quod mox in contextu sequitur falsum esse apparet, Ob sanguinis scilicet in somno perfrigerationem aggrauata corpora reclinata manere. non enim ea decidentiæ corporum & aggrauationis per somnum causa est: sed quòd animalis spiritus in membra sensu prædita exire prohibeatur, obstructione ea quæ secundum cerebrum est, manationem spiritus cohibente. Proinde rectissimè Galenus quietem animalis facultatis & à suis munijs cessationem somnum esse pronunciauit. Vnde qui somno premitur, ut Aristoteles ait, & deficit, & refrigeratur,

*4. de Symp. cau.* — *Lib. de Som. cap. 3. nu. 20.*

tur, atque ob frigus palpebræ decidunt. Ab ea igitur quæ externis partibus accidit frigiditate aggrauari corpora & reclinata manere, (quòd natiuo calore spirituque animali eæ partes destituantur) non à sanguinis frigiditate (quem tum temporis calidiorem esse monstrauimus) uerissimè censendum est.

Sed quid quæso stultius eo quod sequitur dici usquam potest, Per somnum ardere oculos? cùm & palpebræ decidant, & oculi ipsi immoti palpebrisque obductis conclusi quamdiu somno premitur animal constent? Ardere autem tum oculos rectè dicimus, quum uario motu agitati, humoreque calidiore aliquo & acri affecti, huc illuc ferri, quasique scintillas ignis quasdam ex sese emittere uidentur: quod in phreneticis & ualde febrietibus sæpissimè fieri experimur. Quanam itaque ratione per somnum ardere conniuentes oculi, ac planè in totum immoti, nec calore ullo affecti, possunt? Quis tam emota mente, tam stupidus sit, ut dormientis oculos ardere dicat? An non cachinnos hic uel Catoni mouebit?

Sed an non quod ad finem dictionis subijcitur extra omnem probatæ sententiæ aleam reijciendum, & ab albo ueritatis explodendum iure est, cùm prudẽtiam per somnum immutari huius libri autor affirmarit? ἡ φρόνησις (inquit) ἀλλοιοῦται. id est, prudentia permutatur. Quod si est, toties nos imprudentes fieri, quoties somno indulgemus, oportet: quo quid impudentius stultiusque dici potest? quasi uerò dormientes, aut prudentes, aut scientes, aut probè moratos dici oporteat? quum sint hæc uigilantium & in actionibus probè uersantium, non altè dormientium propria. Quanquam auten per somnum peregrinæ opiniones insomniaque mentem exerceant, non ea ipsa tamem imprudentia quadam aut mentis emotione, sed seruatis in mente rerum imaginibus contingunt, quæ per quietem sese denuo obijciunt, atque uisa uaria pariunt, quæ insomnia uocamus: unde Aristoteles, Noctu, inquit, cur particulares sensus feriuntur, & agere nequeunt, propterea quòd calor exteris partibus relictis in uiscera se condit, ad initiũ sensus originemque delabuntur, & obturbatione sedata manifestæ fiunt. Credamus itaque, eum qui tanta dictione una temerè congesta, ab omnique ueritate alienissima scripsit, Hippocratem nõ fuisse: nec digna hæc habẽda quę tãto autori meritò adscribi possint.

*lib. de Insom. cap. 10.*

HIPPOCRATES.

Ἢν μὲν οὖν παντελῶς ἅπαν ἀναταραχθῇ τὸ αἷμα, παντελῶς ἡ φρόνησις ἐξαπόλλυται.

Quod est: Siquidem igitur penitus totus conturbatus est sanguis, penitus & prudentia prosternitur.

VALLERIOLA.

Non ad ipsam sanguinis in totum conturbationem penitus & prudentiam prosterni ipsam, uerum est. Siquidem affectus plærosque sanè esse constat, in quibus sanguis ipse totus conturbetur nulla menti facta læsione: per continentes enim febres, eas præsertim quæ ex copioso sanguine in uenis efferuescente nascuntur, sanguinem ipsum turbari perspicuum est: tum & in putridis hisce febribus quæ ab eodem putrente sanguine ortum habent: attamen in ijs mentem errare, delirareque homines

nes non uniuersim (nisi uehemens sit febris, & decretoria fortasse adsint symptomata) cernimus. At uerò in quonam alio morbi genere quàm elephantiasi uitiari magis sanguinem uniuersum uidemus? ut qui sit nimirum totus atrabilario succo refertus, unde maximè deprauari figuram contingit: at in hoc mentem constare, nec ullo pacto desipere eos qui sic affecti sunt experimur. Non ergo mentis emotio sanguinis uitium: sed magis propiores alias causas mentem plurimum percellentes, nempe uel acrium humorum sursum raptum, uel uaporum acrium ascensum, uel intemperiem calidam & siccam, bilimque plurimam in cerebro consistentem, sequi consueuit, ut ex ijs quæ de phrenitide tum libris de Locis affe. cùm libris de Sympto. causis à Galeno pulchrè dicta sunt, constare euidentissimè potest.

HIPPOCRATES.

Φημὶ δὲ τὴν ἱερὴν νοῦσον, ὧδε γίνεσθαι, ὅταν πολὺ πνεῦμα ἐπὶ πᾶν τὸ σῶμα παντὶ τῷ αἵματι μιχθῇ, πολλὰ ἐμφράγματα γίνονται, πολλαχῇ ἀνὰ τὰς φλέβας.

Quod est: Dico itaque sacrum morbum tum fieri, quum plurimus spiritus per omne corpus uniuerso sanguini fuerit permistus: tum enim obstructiones multæ fiunt multifariam per omnes uenas.

VALLERIOLA.

QVum de sacri morbi generatione, & à ueritate maximè aliena, & ab autorum omnium censura menteque dissidentia tradat Hippocrates, non est quod in ijs refellendis multum omnino operæ insumamus. Constat autem uel omnium medicorum consensu, sacrum uocatum morbum non ex spiritus seu flatus cum sanguine mixtione: sed à pituita crassa, lentaque, uel melancholico humore cerebri uentres obstruente nasci, uti supra ex Galeno, Paulo, Aëtio abundè monstrauimus.

HIPPOCRATES.

Φαίνονται οὖν αἱ φῦσαι διὰ πάντων τούτων πολυτροπώταται αἰτίαι οὖσαι. τὰ δὲ ἄλλα πάντα συναίτια καὶ μεταίτια· τὸ δὲ αἴτιον τῶν νούσων ἐὸν, τοῦτο ἐπιδέδεικταί μοι. ὑπεσχόμην δὲ τὸ αἴτιον τῶν νοσημάτων φράσαι.

Quod est: Quare, ut dixi, flatus ipsi uerè omnium istorum morborum omnimodæ existunt causæ. Cæteraque omnia quæ causæ uideri queant, uel hos adiuuant, uel consequentur, post hos in corporibus morbos generant. Hactenus ergo morborum omnium causas flatus esse demonstraui.

VALLERIOLA.

TAntum hic flatibus tribuitur, quantum nulli alteri rei in morborum generatione tribui usquam possit. Quid enim maius dicere queas, quàm morborum omnium flatus omnimodam (ut hic uult Hippocrates) esse causam? Atqui si morborum omnium flatus causa est, iam uitiosi in corpore succi morbificæ causæ nusquam erunt. Itaque neque sanguis ipse phlegmonas, nec bilis erysipelata, nec pituita molles tumores, nec scyrrhos cancros'ue atra bilis pariet: sed flatuum hæc omnia soboles erunt. Rursus elephantiases, psoras, lepras, alphos, phagedenas, febres denique omnes, apostemata, fluxiones, & quicquid est usquam in corpore malorum, ab uno flatu originem ducere fatendum erit, si is omnium cau-

ſa morborum ſtatuatur: quo quid abſurdius? Etenim ſi tantum flatibus tribuendum ſit, ut in uniuerſum morborum omnium cauſa dici mereantur, unica tantum curandorum morborum omnium indicatio, ſcopus unus erit: nempe flatus diſsipatio calefacientibus diſcutientibusq; admotis: una item omnium morbifica cauſa, unica curandi ratio. Quæ quàm ſint ipſa per ſe abſurdiſsima, & ab omni ueritate alieniſsima, cuiuis uel mediocriter excercitato perſpicuum eſſe arbitror. Non tantum profectò nobis negotij ardentiſsimæ febres, anginæ, laterales morbi, peripneumoniæ, uoluuli, difficultates inteſtinorum, choleræ, populares morbi, elephantiaſes, cancri, phagedenæ, lethargiq;, & id genus affectus preberent, ſi horum omnium (ut uult Hippocrates) flatus cauſæ ſtatuerentur: quorum quidem ut facilis præ alijs noxijs cauſis eſt à corpore diſcuſsio, ſic ſanè morborum facilis eſſet curatio, contrà quàm re uera experiamur. Nam ut horum omnium quæ recenſuimus morborũ productrices cauſæ ad ſanandum difficiles ſunt, ſic ſanè grauiſsimos & exitiales pariunt morbos. Quæ quum ex probatiſsimorum quorunque autorum probatiſsima eſſe certò ſcimus, non eſt quod in his comprobandis plurimum operæ inſumamus.

Vt uerò tandem commentationi huic finem aliquando faciamus, illud corollarij uice adijcere haud ineptum uidebitur, (ut eo quidem argumento librum hunc magni illius Hippocratis medicinæ parentis neutiquam fuiſſe, quod ab initio propoſuimus, magna aſtruere fide poſsimus) quòd nuſquam Galenus fidus illius interpres cõmentationis huius meminerit, quum ferè paſsim omnium Hippocratis operum, quæ quidem illius germana eſſe putauit, meminiſſe ſoleat: neq; horum tantùm, ſed & reliquorum, quæ ſubdititia eſſe credidit. Teſtimonio eſſe poſſunt, quæ Galenus de extrema parte libri de Natura humana Hippocratis, de Salubri uictu, de Epidemijs, de Morbis, de Pueri natura, de Septimeſtri & octimeſtri partu ſeueriore iudicio exiſtimarit. Horum enim pleraq; tanquam autore Hippocrate indigna, ab albo monumentorum eiuſdem autoris expungenda cenſuit: reliqua tanquam legitima, commentatione ſua dignatus eſt. Cùm uerò nullum uſquam de hoc ipſo opere de Flatibus, (cuius nunc ex profeſſo rationẽ omnem tractamus) teſtimonium protulerit: nec in eo libro qui de libris à ſe editis inſcribitur, ulla eius mentio fiat, (quum commentationes reliquas omnes in Hippocratem ſuas magna ſerie dinumeret) cenſendum omnino, librum hunc Hippocrati minimè adſcribendum. Non enim ueriſimile uidetur hunc à Galeno prætermiſſum fuiſſe, uel non ad illius manus perueniſſe, ad quẽ omnia non ſolùm Hippocratis, ſed & Archigenis, Aſclepiadis, Eraſiſtrati, & reliquorum omnium medicinæ autorum peruenerint.

Hæc itaq; habui, optime lector, quæ de propoſito Hippocratis libello pro ingenij mei uiribus (quantum quidem ratione & ueritatis indagatione conſequi potui) dicerem; quæ quidem ita à me dicta uelim exiſtimes, ut non hac ipſa mea tantæ rei enarratione Hippocrati medicinæ parenti falſi notam inurere, (qui ſit ipſe ueritatis conſtantiſsimus aſſertor: &, ut

&, ut Galenus ait, omnium nobis bonorum dux & autor) uel tantulus cùm ſim, in tantum autorem, quantus fuit Hippocrates, ſtylum acuiſſe: uel meum ipſius ingenium oſtentare uoluiſſe: atque ex grandi hac cum Hercule pugna mihi gloriam quæſiſſe. Sed cùm uiderem in libello, qui περὶ φυσῶν inſcribitur, tam multa ineſſe, quæ nec diuinam illam ſummi medicorum Hippocratis medicinæ parentis ſapientiam redolerent: nec ueritati ipſi autorum'ue ſententijs conuenirent, æquum ſum ipſe arbitratus, ſi hæc omnia ſtylo quaſi digito oſtenderem: liberum cuiq; relinquens, num malint ſemel receptam opinionem contra ueri fidem tenere: num potius re tota ueritateq; perſpecta, falsò conceptam opinionem reijcere. Quod quidem ad me pertinet, ea tantum lege hæc qualiacunque mea in medium proferenda duxi, ut optimi cuiuſq; ac eruditiſsimi iudicio ſeueriore cenſura examinanda proponerem: & ut etiam meam ipſe pro ueritate, ut puto, ſententiã aperirem. Quam ſi hoc mea enarratione aſſequutus ſum, nihil amplius requiro: ſin minus, id me præſtare uoluiſſe, teſtari meis hiſce ſcriptis in animum induxi.

*Conciliatio pugnantium locorum ex Hippocratis libris de Flatibus, & de Natura humana, popularium morborum item & priuatorum, quod σποραδὰς uocat, cauſas reddentis. Cùm libro de Flatibus utriuſq; cauſam aërem eſſe ſtatuat: libro uerò de Natura humana alios morbos à uictus ratione, alios ab ſpiritu quem uiuentes attrahimus fieri affirmet.*

ENARRATIO SECVNDA.



POPVLARIVM morborum, item & Priuatorum cauſas libris de Flatibus atq; natura humana ab Hippocrate poſitas (ſi modò is liber Hippocratis eſt exiſtimãdus) cùm paulò diligentius legendo excuterem, diuerſa atque ſanè pugnantia eadem de re ſcripta eſſe ab eodem autore mihi ſunt uiſa. Si quidem libro de Flatibus ex profeſſo amborum cauſas tractans aërem utrorunq; (hoc eſt tum Popularium tum Priuatorum) cauſam ſtatuit: libro uerò qui de Hominis natura inſcribitur, (quem eſſe germanum Hippocratis omnibus eſt in confeſſo) populares quidem ab ſpiritu, quem uiuentes attrahimus, ceu à propria eorum effectriceq; cauſa oriri: Priuatos uerò non ab hoc ſpiritu, ſed à deprauata uictus ratione enaſci ſcripſit. Eius porrò autoris in utriſq; locis hæc ſunt uerba:

Ἔστι δὲ δισσὰ ἔθνεα πυρετῶν ὡς ταύτῃ διελθεῖν· ὁ μὲν κοινὸς ἅπασι, καλεόμενος λοιμός. ὁ δὲ διὰ πονηρὴν δίαιταν ἰδίην, τοῖσι πονηρῶς διαιτεομένοισι γινόμενος, ἀμφοτέρων δὲ τούτων αἴτιος ὁ ἀήρ.

Hæc lib. de Flatibus: Sunt (inquit) duo febrium genera ut ſub formula quædam in præſentia diſſeramus: altera communis omnibus, peſtis appellata, altera quæ ex prauo ac peculiari uictu intemperanter uiuentibus accidit. Harum utriuſque cauſa aër. Libro uerò de Hominis natura hæc:

Αἱ δὲ νοῦσοι γίνονται, αἱ μὲν ἀπὸ διαιτημάτων, αἱ δὲ ἀπὸ τοῦ πνεύματος, ὃ ἐσαγόμενοι ζῶμεν.

Quod est: Morbi uerò fiunt, tum à uictus ratione, tum ab spiritu, cuius attractione uiuimus.

Itaque quum alios quidem morbos à uictus ratione, alios ab spiritu nasci hoc loco affirmet Hippocrates, eorum certè qui à deprauato & insalubri uictu oriuntur, non aër ipse, sed ipsa insalubris uictus ratio causa erit statuenda: si quidem uera sunt, quæ hic prodidit Hippocrates. Quin ne illud quidem probari doctis & in arte exercitatis ullo modo potest, ut aër eorum morborum, qui ex deprauato uictu proueniunt, causa statuatur. Quomodo enim eius febris quæ ex humorum corruptela nata est, aut eius quæ ex obstructione, humorum'ue redundantia, aër causa constitui potest? Certè Galenus harum febriū causas ex professo tractans in medendi Methodo, & ad Glauconem libr. non in aërem ipsum, uerùm in ea quæ paulò antè enumeraui harum febrium euentum reijcit: nempe in obstructionem, putredinem, prohibitam transpirationem, humorum uel plethoram, uel cacochymiam, uictusq; incautam rationem. Si enim tam populares, quàm qui ex prauo uictu proueniunt, ab aëre fiunt, (ut libro de Flatibus uoluisse Hippocrates, aut quisquis huius libri autor fuerit, est uisus) quorsum quæso attinebat diuisione illa morbos alteros ab alteris, hoc est populares à dispersis secernere? ut alteri à deprauato uictu, alteri ab aëre nascerentur: qui enim ab insalubri uictu oriuntur, incautam uictus rationem, non aërem ipsum causam habent, id asserente Hippocrate. Quippe qui ab aëre ceu effectrice causa nascuntur, ij uel Hippocratis atq; Galeni testimonio, communes omnibus, populares, pestilentesq; esse solent. Qui uerò à deprauato uictu, nec pestilentes sunt, nec uniuersales, sed cuiusq; proprij, atq; dispersi: quos σποράδας ijdem autores uocant, hoc enim discrimine disiungendos alteros ab alteris lib. de Natura huma. ἐπιδημιῶν, & 1. item de Ratione uictus acut. Hippocrates censuit: ut cùm multi eodem tempore homines eodem morbi genere laborarent, in aërem eius mali causam reijceremus. Cùm uerò à praua uictus ratione, tum nec omnes eodem morbi genere corripi, sed pro uictus uaria ratione alios atq; alios nasci; ac proinde σποράδας, hoc est dispersos uocari plena fide astruxit.

Hip. & Gal. lib. de Natu. hum. & 1. Epidemior. & 1. de ratione uict. acut.:

Inuenienda itaq; nobis hos locos conciliandi uia quædam erit, qui quum & secum ipsi pugnare ex aduerso uideantur: & ab eodem autore conscripti sunt, fieri non posse putandum, ut quæ maximè dissentanea sunt eadem de re ab artis callentissimo sint scripta. Ratio autem qua pugnantes constabiliri loci possunt, atq; conciliari, hæc est: ut rerum de quibus sermo fit notiones in primis teneamus, sciamusq; quid sit de quo disputatur. Ab hinc ut pro Aristotelis sententia, alteram tantùm omnis quæ proponitur orationis contradictionem complexæ, partem ueram esse posse. Demum id cōtemplari, num quæ concilianda proposita sunt, uera, non subdola & falsa specie secum ipsa pugnēt. Sunt enim quædam, quæ ita pugnantium speciem gerunt, ut planè constare non posse affirmes: quæ si intenta mente fueris complexus, non solùm non ipsa secum pugnare, sed unà stare, probeq; cohærere inuenias: quale quod nunc à me

concil

conciliandum ex Hippocrate propositum est. Nam neq; adducti loci pugnant, neq; etiam si pugnare detur, ab eodem sunt autore profecti.

Ostendamus uerò in primis controuersos non esse hos locos: nempe, aërem tum popularium tum priuatorum morborum causam statui, ut lib. de Flatibus scribitur. Rursusq; alios à uictus ratione morbos, alios ab spiritu fieri. Dico igitur, uerissimum id esse, aërem utrorumq; causam statui. Nam cùm eius tanta uis sit, ut corpus nostrum nulla res alia magis immutare alterareq; possit, ut cui nimirum perpetuò intra extraq; adsit, corpusq; nostrum contingat atq; afficiat, uti censet Hippocrates lib. de Aëre, aquis, & locis: consequens est, magnam ipsum in morbis creandis potestatem uimq; habere: adeò ut summus autor Hippocrates lib. de Flatibus (si modò is liber qui Hippocrati ascribatur dignus sit habendus) aërem ipsum morborum omnium causam statuerit. Quamobrem ne illud quidem mirum uideri debet, febrium earum, quæ à deprauato uictu eueniunt, causam & ipsum quoq; quadantenus constitui: ueluti enim concausa (philosophorum uoce utor) ad horum saltem generationem concurrit. Vnius enim effectionis plures esse causas nihil uetat. Sol & homo (ut uult Aristoteles) hominem generant. *2. de Physico auditu.* Febres item tum meatuum stipatio, tum obstructio, tum putredo, tum praua uictus ratio creant. Corporeæ nanq; internæq; causæ ab externis moueri concitariq; sæpenumero solent, ac proinde eæ Præincipientes uocari consueuere. Itaq; fit plerunque, ut cōplures ad rei cuiuspiam generationem concurrant causæ. Febrium uerò earum quæ ex putredine ortum habent, & à prauo uictu nascuntur, aërem quadantenus causam esse ipsa putredinis ratio indicat: quæ quidem ipsa, cùm uel Aristotelis testimonio, *4. Meteo.* corruptio quædam sit natiui caloris ab externa caliditate, ea autem sit, quæ ambientis, satis cōstat aërem in eius generis morbis haud minimum momenti habere: ut qui caliditate sua corpori quidem nostro extraria, putredinem febremq; non rarò excitet. Quod & ipsum nonnunquam frigiditate sua facere solet, externis corporis meatibus stipatis, prohibitaq; inde transpiratione, cuius repressu accendi sæpenumero febrem Galenus testatur. *8. 9. & 11. Method.* Quin & siccitate sua negotium sæpe magnum corpori facit, unde est illud Hippocratis, Venæ æstiuo tempore exicatæ, auellunt ad sese aërem biliosamq; saniem, unde & uehemens febris oritur, & corpus fatigatione oppressum laborat, & dolet. *4. de Rat. uict. acut.* Illud item Galeni: Febrem ardentem (ait) fieri nouimus æstiuo tempore, quando uenæ exiccatæ acutos ac biliosos ad se liquores attraxerint. *4. Aphor. cōment. 58.* Et illud quoque Hippocratis: In siccitatibus febres acutæ fiunt. *3. Aphor. 7.* Lentore uerò & humiditate immodica idipsum fieri posse sententia Hippocratis illa indicat: Morbi in pluuiarum multitudine magna ex parte fiunt, febres longæ, alui profluuia, putredines, comitiales. *3. Aphor. 16.* Et quid, quæso, alijs tam multis ea de re explicatis sententijs, tertia Aphorismorum sectione Hippocrates egit: quàm ut longissima serie aëris in morbis creandis uim potentiamq; nos doceret? Nihil mihi certè aliud sectione ea tota fecisse uidetur, ut in qua nimirum morbos eos omnes qui ab aëris conditione uicissitudineq; eueniunt, singillat

gillatim enumerauit, illud ut intelligeremus, non populares solùm & communes, uerùm & dispersos ab aëre ceu causa nasci. At popularium quidem aër præcipua primaq; causa, ut uult Hippocrates, est habenda: priuatorum uerò non prima nec præcipua, uerùm (ut philosophorum uoce utar) concausa, quòd simul cum aliis ad morbi generationem concurrat, ut paulò pòst sumus ostensuri.

Itaque uerum id est, (quod initio probandum assumpseram) utrorunq;, hoc est popularium, atq; priuatorum morborum aërem causam esse: illa ut Hippocratis integra maneat sententia, ἀμφοτέρων δὲ τούτων αἴτιος ὁ ἀὴρ, hoc est, utrorunq; causa aër. Verùm enimuero si sartam tectam hanc Hippocratis sententiam esse uolumus, qui diuisio illa, ab eodem autore lib. de Natura hum. posita, constare poterit, qua morbos alios à uictu, alios ab spiritu quem uiuentes attrahimus fieri scripsit? Si enim quidam à uictu ceu effectrice causa nascuntur, iam ii ab aëre non erunt.

Obiectioni porrò huic ita respondendum uidetur, ut dicamus, diuisionem illam ab Hippocrate positam (si modò Hippocrati iure sit adscribenda) ita intelligendam esse, ut alios quidem morbos ex aëre nullius alterius externæ causæ interuentu fieri, sed eius unius uitiosi quidem attractu & inspiratu; unde corporis succi noxam subeunt, affirmet: atq; inde populares & pestilentes nasci. Alios uerò à deprauata uictus ratione, per quam non cibus & potus modò, uerùm & somnus & uigilia, & corporis motio, atque quies, plenitas, & in primis ipsa aëris constitutio uariè quidem corpus afficiēs, & (ut in summa dicatur) reliqua omnia quæ necessariò nobis occurrunt, sine quorum ope degere non possumus, sunt intelligenda. Quæ quidem in commentario eius partis Galenus, ἐπιτηδεύματα nominat.

*Per uictus rationem quid intelligas.*

*Lib. de Natu. hum. cōment. secundæ partis.*

οὐ γὰρ ἐκ μόνων (inquit) ὧν ἐσθίομέν τε καὶ πίνομεν, ἀλλὰ καὶ ἐκ λουτρῶν, καὶ γυμνασίων, ἀργίας τε καὶ ἀγρυπνίας, καὶ λύπης, καὶ θυμοῦ, καὶ ψύξεως, καὶ ἐγκαύσεως αἱ νόσοι γίγνονται. πολλάκις δ' ἐκ τοῦ πνεύματος, μόνον ἐπὶ τὴν εἴσπνοιν ἡ βλάβη γίγνεται.

Quod est: Neque enim cibi modò & potiones, sed & balneæ, & exercitationes, otium, uigiliæ, motio, ira, frigus, atque æstus pariunt morbos: sæpe etiam spiritus, quem attrahimus noxam facit.

Itaque cùm in iis quæ ad uitæ rationem pertinent, frigus & æstum (à quibus priuati plerunque oriuntur morbi) reposuerit: consequens quidem est Aërem ipsum (à quo & frigus & æstus proueniunt) in huiusmodi morbis creandis non minimum momenti habere. Illud ut facilè intelligamus, dispersos etiam morbos haud secus quàm populares ab aëre sæpenumero gigni. Verùm hoc interest, quòd in popularibus illis & pestilentibus ab aëris uitio natis, hæc unica tantùm atque præcipua spectatur causa: nempe aëris in sui substantia, & ut ait Galenus, essentiæ proprietate uitium atque contagio: quæ plures uno tempore homines labefactat atque corripit, etiam si maximè sani sint. In dispersis uerò morbis, qui ab aëre fiunt, neque hæc contagio reperitur, sed nuda qualitas iusto uel frigidior uel calidior noxam afferens. Nec unica in iis creandis subest causa, sed unà cum aëris noxia qualitate internæ complures causæ, uel

etiam externæ: ac proinde non communis illius generis & pestilentis (cuius quidem causa, ut mox dictum est primaria & uniuersa, aër solus existit) esse censentur: sed alterius potius cuiusdam, quod ad priuatos & dispersos morbos pertineat, unde genus id febrium, quod ab aëris uel frigiditate, uel caliditate oritur: non hanc primò ac per se (ut medicorum more loquar) sed unà cum reliquis internis causis ueluti ex accidenti concausam habent, quæ reliquas quidem ad morbum creandū excitauit.

Quæ cùm ita se habeant, demonstrasse me arbitror, & ueram esse eam Hippocratis sententiam, Aërem tum popularium febrium, tum earum quæ à prauo uictu eueniunt, causam esse. Et rursus diuisionem illam ab eodem autore profectam, ut sint alij à deprauato uictu enati morbi, alij ab spiritu, unà cum præfata sententia probè consistere. Illud modò explicemus, uerum'ne sit quod ab ipso Hippocrate eodē loco subijcitur: Cùm plures eodem tempore homines, uno aliquo morbo laborant, eius tum mali causam in aërem esse reijciendam. Quod & ipsum etsi ueritatem habere uideatur, non prorsus tamen admittendum. Neque enim perpetuò uerum id est: cùm plerunq; fiat, ut uel aquarum, uel alimentorum prauitate absque ulla aëris noxa in populares morbos homines incurrant. Quamobrem eam Hippocratis sententiam, seu cuiusuis alterius enarrans Galenus ceu minus rectè positam damnat.

ὅτι μὲν τὸ κοινὸν πολλοῖς νοσήμασι κοινὴν ἔχει τὴν αἰτίαν, ὀρθῶς εἶπεν, ὥσπερ γε καὶ τὰ ἄλλα πάντα τὰ περὶ τὴν ῥῆσιν, ὃ μὲν ὀρθῶς εἰς μόνον τὸν ἀέρα τὴν τῶν κοινῶν νοσημάτων ἀναφέρει γένεσιν. εἴπερ οἱ γὰρ Αἴνῳ γὰρ λιμῷ ὀσπριοφαγέοντες σκελέων ἀκρατέες ἐγένοντο, ἀτὰρ καὶ οἱ ὀροβοφαγέοντες, γουναλγέες. ἴσμεν δὲ ὅτι καὶ πυρὸς ἡμισαπεῖς διὰ λιμὸν ἀναγκασθέντες ἐσθίειν τινὲς, κοινὸν ἀπὸ τῆς κοινῆς αἰτίας ἐνόσησαν νόσημα, καί ποτε στρατόπεδον ὅλον ὕδατι μοχθηρῷ χρησάμενον, ὁμοίως γὰρ ἅπασι τοῖς στρατιώταις τὴν βλάβην ἔσχε.

Id est: Quod commune multarum ægritudinum est, communem hoc causam habere rectè dixit, ut reliqua huius capitis omnia. At non rectè tamen communium morborum ortum in unum aërem cōfert, siquidem qui in Aeno grassante fame uescebantur leguminibus, cruribus debilitabantur: qui uerò erua essent, hos genuum dolor corripiebat. Neq; hoc nos ignoramus, quum in fame quidam frumentum semiputre coacti manducare essent, in communem communi de causa incidisse morbum. aliquando etiam cùm usus infecta aqua esset exercitus totus, similiter afflictos omnes milites fuisse.

Eadem ferè Paulus de popularibus morbis, quæ hic Galenus commemorat: nempe non in uniuersum in unum aërem eorum causam reijciendam: uerùm modò in alimentorum prauitatem, modò in aquarum uitium, & regionum naturas cæterasq; quas lib. I I. cumulatè enumerat. *Lib. 2. capite proprio.*

Πανδήμους καὶ κοινὰς νόσους (ait) τὰς πολλοῖς ἅμα συμπιπτούσας ὀνομάζουσιν. ὧν ὥσπερ ἡ γένεσις, οὕτω καὶ αἰτία κοινή· κοινὰ τε οὖν ἐδέσματα πονηρὰ τίκτουσι τοιαῦτα νοσήματα κοινὰ, καὶ ὕδατος μοχθηροῦ πόσις, &c.

Quod est: Publicè grassantes communesq; morbos nominant, qui multis simul eueniunt: quorum ut generatio, sic etiam causa communis est. Cibi igitur communes praui, eiusmodi morbos pariunt. Item communis

munis aquæ uitiatæ potio. Et quæ in eo capite sequuntur.

Ex quibus sane euidentissimū fit, non tam aëris, quàm alimentorum, aquarumq́ue uitium, regionum item quarundam, ac tractuum terræ naturas popularium morborum causas rectè constitui. Quamobrem illud meritò affirmasse Galenus est uisus, partem eam tractationis de Natura humana, in qua sententia illa scribitur, ad Hippocratem minimè pertinere, sed commentitiam totam eam esse, ab eoq́ inique suppositā, qui Hippocratis de Natura humana librum & Polybi de Valentium uictu, in unum uolumen coëgit. Quamobrem quum & temerè Hippocratis scriptis sit interiecta, & illius falsitatem Galenus & Paulus doceant, an non & à nobis iure erit optimo reijcienda? Quemadmodum & diuisionem illam ab Hippocratis adytis arcebimus, qua morbos alios à uiuendi ratione, alios ab spiritu fieri dicebamus. Nam etsi uera continet, Hippocratem tamen autorem referre minimè potest: ut cui (uel Galeni testimonio) falsò sit adscripta. Quæ quidem omnia ex Galeni in librum de Natura humana commentario secundo cuiuis perspicua esse possunt: de tota quidem libri serie grauem efficiente censuram, quæ oraculi instar esse omnibus queat.

*Comment. 2. in lib. de Nat. huma. statim ab initio.*

Verùm cùm de ijs, quæ libro de Natura humana habentur exactè sit à nobis dictum: cum his quæ ab Hippocrate libro de Flatibus scribuntur, exactior nobis ponenda ratio erit: ne uel ipsa autoris affixa libro autoritas, (Hippocrati enim adscribitur) uel sententiarum in eo claritas, uel dictionis obscuritas, ac ueluti laconismus, temerè nobis imponant. Ego certè etsi minimè mihi aut censoris aut iudicis partes arrogo, malimq́ ab alijs tanta de re, quàm à me iudicium ferri, sententiam tamen ipse meam, quasi unus è senatorum ordine in augustissimum medicinæ senatum adscitus, liberè dicam. Sentio autem, si quid est in me aut ingenii aut iudicii, librum illum non modò non Hippocratis illius nostri medicinæ parētis, & principis, sed ne docti quidem cuiusquam unquam fuisse: ut in quo nimirum plæraque non tam ab Hippocratis doctrina, quàm ab ueritate ipsa alienissima sint scripta: quæ ne gratis dixisse uideri possim, singillatim locos ex eo libro, priore mea enarratione attuli, qui non modò non solidam illam atque reconditam Hippocratis eruditionem, uerùm ne ullam quidem uerisimilitudinem referant: quod quando plenam ea res exigebat tractationem, & ipsa argumenti ratio, enarrationem quæ rem totam cumulatè explicaret, postulare uidebatur: ob id ad quantum quidem perficere mea qualicunque opera potui, id quicquid esset tractationis prima enarratione absoluendum duxi.

Concil

*Conciliatio locorum, ex Hippocrate, ut uidetur pugnantium, de pleuritidis curatione, dolore ad hypochondria descendente, quum* II. *de Ratione uictus acutorum textu* X. *pharmacum dari mox inchoante dolore præcipiat. Quarto autem eiusdem tractationis libro, textu* XIX. *id uetet.*

## ENARRATIO TERTIA.

HIPPOCRATES pleuritidis curationem ex professo tractans, libris de Victus ratione in acutis seruanda secundo, & quarto, diuersa propeq́ pugnantia eadem de re dixisse uidetur, magnumq́ ueluti scrupum iniecisse iis, qui paulò penitius illius dicta scrutantur. Siquidem secundo eius tractationis libro, pleuritidis curationem docens, ubi dolor eas partes, quæ sub septo transuerso sunt afficit, tum uel nigro ueratro, uel peplio ducendam aluum monet.

ἢν δὲ (inquit) ὑπὸ τὰς φρένας ᾖ τὸ ἄλγημα, ἐς δὲ τὴν κληῖδα μὴ σημαίνει, μαλθάσσειν χρὴ τὴν κοιλίην, ἢ μέλανι ἐλλεβόρῳ, ἢ πεπλίῳ.

Id est: Si uerò eas quæ sub septo transuerso sunt partes dolor infestat, nullamq́ ad clauiculam significationem fecerit, uel nigro ueratro uel peplio mollire uentrem oportet.

Statuit itaque hoc loco Hippocrates mouēdam in pleuritide aluum, idq́ ab initio, ubi dolor sese ad eas, quæ sub septo transuerso sunt partes egerit: illius nimirum sententiæ memor, quam in Aphorismis expressit.

ἃ δεῖ ἄγειν, ὅκου ἂν μάλιστα ῥέπῃ ἡ φύσις ταύτῃ ἄγειν, διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων. Aphor. 21. sect. 1.

Id est: Quæ ducere oportet, quò maximè natura uergit per loca conferentia eò ducere.

Docere autem Hippocratem mox ab initio in pleuritide mouendam aluum, dolore ad hypochondria descendente, ex ipso curationis ordine methodiq́ ratione fit euidentissimum. Siquidem lateris dolorem prius calidis fomentis discutere tentandum docet. Ab hinc nisi dolor sedatus fuerit, mox uel sanguinem mittendum, si ad iugulum, brachiū, uel mammillam dolor protenditur: uel si ab hipochondria desierit, mouendam aluum. Ex quo quidem ordine perspectissimum cuiuis esse debet, auxilia hæc uel mittendi sanguinis, uel molliendi uentris, tanquā initio morbi congruentia, excogitata ab Hippocrate esse: quod uel eiusdem testimonio. Cùm morbi inchoant si quid mouendum uideatur, mouendum id per initia sit, non cùm morbi consistant ac uigent: quo sanè tempore, ut idem monet, quietem habere melius est. 2. Sect. aphoris. 29. Constat igitur soluendam ab initio aluum præcepisse Hippocratem, ubi dolor in pleuritide eas quæ sub septo trāsuerso sunt partes infestauerit. At idem ipse quarto eiusdem tractationis libro, non contrarium modò sensisse, sed & conceptis uerbis expressisse planè est uisus. Sic enim ait:

ὁκόσοι δὲ τὰ φλεγμαίνοντα ἐν ἀρχῇ τῶν νούσων ἐπιθέως ἐπιχειρέουσι λύειν φαρμακείῃ, τοῦ μὲν ξυντεταμένου καὶ φλεγμαίνοντος, οὐδὲν ἀφαιρέουσιν· οὐ γὰρ διαδιδοῖ, ὠμὸν ἐὸν τὸ πάθος. τὰ δὲ ἀντέχοντα τῷ νοσήματι καὶ ὑγιεινὰ συντήκουσιν. ἀσθενέος δὲ τοῦ σώματος γιγνομένου, τὸ νόσημα ἐπικρατέει. ὁκόταν δὲ τὸ νόσημα ἐπικρατήσει τοῦ σώματος, τὸ τοιοῦτο ἀνίητως ἔχει.

Hoc est: Quicunque autem inflammata statim per morbi initia medicamento soluere conantur, ij à distenta inflammataq; parte, non solùm nihil adimũt, (cùm non cedat quæ adhuc cruda est affectio) uerùm quoque & quæ morbo resistentia & sana sunt, absumunt contabefaciuntq;: ductoq; ad imbecillitatem corpore, morbus superior euadit: qui ubi corpus uicerit, remedium non habet.

Vetat hoc loco apertissimè Hippocrates phlegmone obsessas distentasq; partes ab initio medicamento agitari. Cùm id facere tentanti non cedat affectio, ut potè cruda existens: sanæ autem, & morbo resistentes partes, à medicamento absumantur, & in imbecillitatem corpus dedatur: quo infirmiore facto, facilè morbus uincit: quod cùm euenit, in præcipiti rem esse manifestissimum est. Si igitur tot incommoda ex medicamenti usu in inflammatis partibus proueniunt, dandumq; hoc loco medicamentum inter morbi initia uetat Hippocrates: cur Elleborum & peplium dari in pleuritide statim ab initio iussit? non enim sine magna eum id ratione fecisse (qui omnia ex indicatione facere debere medicum ubique docuerit) existimandum est. Quòd si id ipsum rectè præcepisse confiteri uolumus (uti quidem omnibus in confesso est) cur nunc dari in eius generis affectionibus per initia uetuerit, nobis est inquirendum, inueniendusq; modus quo conciliari pugnantes ij loci possint. Quod ut fiat, altius nobis tota medendi pleuritidis ratio est repetenda, ut quibus scopis morbus hic cæteræq; internorum membrorum inflammationes curari debeant, perspicuum fiat.

*Pleuritidis curatio atq; natura.*
*2.&.5.de locis affect.*

Itaque cùm pleuritis, succingentis costas membranæ inflammatio sit, ũel Galeni testimonio: omnis autem inflãmatio de genere tumoris præter naturam sit, eodem etiam autore: omnis item præter naturam tumor se summouendum indicet: constat præcipuum curationis scopum hunc esse, ut quæ facta est inflammatio confestim summoueatur: quæ in generatione est, fieri prohibeatur. Cùm uerò inter acutos morbos atque exitiales pleuritis uel in primis numeretur, tanto maiorem sedulitatem atq; studium poscit, quanto maius ipsa secum periculum adfert: eò fit, ut ei morbo celerrimè succurrendum Galenus post Hippocratem optima ratione statuerit. Si dolor (inquit Hippocrates) ad clauiculam cõsensum significauerit, uel ad brachium grauitas, uel circa mammam, uel super septum transuersum, internam cubiti uenam secare expedit, neq; ut copiosè sanguis detrahatur est cunctandum: sed eousque est auferendus, donec rubidior multò, uel pro puro rubidoq; liuidus fluxerit: nam utrumque contingit. Galenus uerò eum locum enarrans, ita scribit. Quamuis (inquit) uenæ sectio undecunque fiat, euacuet à toto animalis corpore, non tamen ueslociter neque æqualiter ex omnibus uenis. Nos uerò (subdit) partem eam quæ phlegmone obsidetur, tum celeriter tum quàm cæteras partes magis, in acutis præsertim morbis, uacuare contendimus: quòd sanè interna cubiti uena facit.

*1.de Rat.uict. acut.tex.9.*

*2. de Rat. uictus acut. tex.10.*

Ex quibus sanè utriusque uerbis apertissimè constat, ut morbi tanti periculum uitetur, celerrimè moliendam esse curationem à medico, idq;

secta ab initio uena, si dolor iugulum petat: uel si hypochondria, dato medicamento. Pro eorum enim qui inflammationem pariunt humorum inclinatione, uacuationes facere Hippocratem eodem ipso commentario nos bellè docet Galenus: id affirmans uerissimum esse quod dicitur, Quò natura uergit, per loca conferentia eò ducere. Quia sanè ratione ductus Hippocrates internam ab affecta parte uenam secari iussit. Vbi dolor ad brachium mammam'ue protenditur, uel helleborum dari, dolore deorsum uergẽte, naturæ motum sequutus. Rectissimè autem id nos monuisse Galenus uidetur, ut à loco phlegmonem patiente, plus sanguinis ac celerius uacuemus, quàm à reliquis corporis partibus: quòd nisi ab inflammata parte celeriter uacuemus, magnum inde corpori periculum nascetur: tollere enim celeriter hominem solent internorum membrorum inflãmationes. Meritò igitur celerrimè tanto morbo succurrendum utriq; autores iudicauerunt. Siquidem (quod idem Hippocrates ait)

Φαρμακεύειν ἐν τοῖσιν λίην ὀξέσιν ἢν ὀργᾷ αὐθήμερον. χρονίζειν γὰρ ἐν τοῖσι τοιούτοισι κακόν.

Id est: Medicari in ualde acutis si materia turgeat, eadem die: tardare enim in talibus malum est. *4. Aphor. sect. 10.*

Cur uerò idem autor dolore deorsum uergente, helleborum dari, non uenam secari iusserit, causam in eius partis commentario (hoc est I I. de Ratione uictus acut. comm. X.) reddit Galenus: quòd dolores huiusmodi non admodum iuuet quæ in cubito fit sectio, corde scilicet mediũ occupante: quòd uena quæ inferiores thoracis partes alit, sub corde enascatur: ob id cùm facilius qui phlegmonem facit humor per inferna ducatur, (si ad hypochõdrium dolor descendat) medicamentum dari optima sanè ratione Hippocrates iubet. Vnde Galenus eum locum enarrans, Superiores (inquit) succingẽtis costas membranæ partes, cùm inflammantur, ad humerum brachiumq; & mammam condolentiam extendunt, inferiores uerò ad septum transuersum & hypochondrium. Cùm igitur superiorum condolentia signum fecerit, uenam in cubito eam secare oportet, quæ sanguinem ab affecta parte & magis & uelocius tum reuellere, tum uacuare possit. At si partibus infernis affectus consensum significauerit, purgatione uacuationem facere expedit.

Rectè igitur dolore in pleuritide deorsum uergente purgandum helleboro aut peplio docet Hippocrates, quòd in internis inflammationibus præcipuus is esse scopus debeat, ut celerrimè à loco phlegmone obsesso tum reuellamus tum uacuemus, quod optimè quæ purgatione fit per imum uentrem uacuatio præstat, ubi dolor eas quæ sub septo transuerso sunt partes infestauerit: exonerãtur enim purgatione facilè eæ partes, uenis scilicet quæ ipsas alunt cum uentre & intestinis communitatem habentibus, eaq; communione facilè excrementa in aluum mittentibus. Cur ergo medicamẽtum dari Hippocrates suadeat dolore deorsum uergente euidentissimum factum puto: purgandum enim ea ratione iubet: primùm, ut naturæ motum sequamur: deinde ut quàm celerrimè à loco phlegmone obsesso humorem regeramus, commodeq; uacuemus. Indicationem enim sumit non solùm ab affectu, uerùm & à parte affecta. Af- *In internorũ inflãmationibus quis scopus.*

fectus quidem ipse ob sui magnitudinem celerrimè se summouẽdum indicat: pars uerò affecta uacuationis modum. Si enim (quod sæpe à nobis antea dictum est) superiores septo transuerso partes afficiantur, secta uena occurrendum morbo iudicatur: si uerò inferiores, purgatione utendum. Verissimum enim est quod à Galeno dicitur, eam quæ à positu sumitur iudicationem, prætermittendam non esse: quòd per quæ euacuare oporteat, atque quomodo, ipsa demonstret. Sic iocinoris uariè affectæ partes, alium atque alium uacuationis modum indicant. Si enim gibbæ ipsius partes affectæ sint, tum per aluum atque urinas noxia uacuare expedit: si simæ tantum partes, per aluum, quæ docta Galeni sententia est.

*2. ad Glau. cap. 13. & 7. Metho. ad finem.*

At uerò cùm id Hippocratem præcepisse dico, dandum medicamentum dolore deorsum tendente, in id ut à loco phlegmone obsesso celerrimè uacuet, non ita accipi uelim, quasi existimarit Hippocrates, humorẽ qui inflammatum locum occupat, quique iam extra uasa in uacua spatia delapsus, succingentem costas membranam distendit, dato medicamento euacuari. non enim is dato deiectorio medicamento, per aluum educi ullo pacto potest: quòd iam uenas egressus, reingredi in ipsas, & ab iis in intestina atque aluum dilabi minimè queat. Sed solùm per sputum, uel suppurationem discuti, si salubris sit futurus morbus. Verùm is tantum humor ui medicamenti educitur, qui in proximis inflammato loco uenis, atque locum implentibus, phlegmonemque irritantibus, tum & qui in maiusculis, & remotioribus continetur: subtractus enim alui deiectione is humor, phlegmone ipsa augeri prohibetur: exoneranturque quę inflammatæ parti uitiosum suggerebãt humorem. Vnde & pars ipsa phlegmone affecta non minimum alleuatur.

*7. Metho. Loci Hippocratis explicatio.*

Quamobrem illud magna sanè ratione Galenus dixisse est uisus ut partem eam quæ phlegmone obsidetur, tum celeriter tum quàm cæteras partes magis uacuare contendamus, quod uel misso ex interna cubiti uena sanguine, uel dato medicamento, pulchrè perficimus. Verùm si medicamenti ea uis est, dandumque rectè hic Hippocrates iussit, cur altero illo loco eos damnat, qui inflammationes inter morbi initia medicamento soluere conantur? Dicendum meritò repræhensos eos ab Hippocrate esse, quòd cùm cocta tantum medicari atque mouere, non cruda oporteat: ut idem alio loco Hippocrates dixit: & quæ non turgent mouenda non sunt. Ii autem, qui purgationem in inflammationum initijs adhibent, ea mouere conantur quæ & cruda sunt, & quæ non iam turgẽt, sed in membro inflammato quietem agunt: putantes id quicquid est humoris quod iam membro hæsit, dato medicamento solui, meritò sanè conuellendos Hippocrates existimauit: ut qui cùm se prodesse putẽt, magnam noxam corpori inferunt: cruda enim affectio non cedit, & sanæ partes contabescunt, & ab inflammata distentaque parte nihil adimitur, uiresque corporis conuelluntur.

*2. de rati. uic. acut. tex. 10.*

*1. Aphor. 22.*

*4. de Ratione uict. acu.*

Non itaque prohibet hoc loco Hippocrates medicamentum in inflammationum initijs dari, cùm idipsum fecerit ipsemet Hippocrates in pleuritidis initio, helleborum & peplium exhibens: sed falsam redarguit eorum

*Cõciliatio et explicatio pugnantium locorum Hippocratis.*

rum ſententiam, qui dato medicamento humorem, qui inflammationem parit, uacuari exiſtimabant. quod illis Hippocratis uerbis apertiſsimè iudicatur, ὁκόσοι ἢ τὰ φλεγμαίνοντα: hoc eſt, quicunq; inflãmata ſeu inflammatas partes ab initio medicamẽto ſoluere conantur, ut indicet malè eos exiſtimaſſe qui inflammata dato medicamento ſolui putarent: non enim ſoluuntur, ut poſtea addit, imo ab eis nequicquam adimitur, crudo adhuc exiſtente morbo. Meritò igitur damnandos eos exiſtimauit, qui id poſſe medicamentum præſtare putabant: quod minimè efficere poteſt, ut à diſtenta inflammataq́ parte humorem auferret: non enim id ſanè præſtare poteſt: ſed tantùm eos qui in uenis conſiſtunt humores deturbare, forasq; pellere. Non itaque pugnant præcitati ex Hippocrate loci, neq; prohibet unus, quod alter præſcribit: ſed uno loco (nempe illo qui 11. de Ratione uictus acutæ ſcriptus eſt) quid faciendum ſit edocemur, dolore ad ſeptum tranſuerſum deſcendente: altero illo, quarto eiuſdem tractationis libro poſito, ĳ calumniantur, qui in id dari medicamẽtum exiſtimabant, ut à parte phlegmonem patiente noxium humorem auferrent. Non ſic ſanè Hippocrates, qui & ſi medicamentum dat, non in id dat, ut ab diſtenta inflammataq; parte quod lædit auferat: ſed ut qui locum inflammatum circumiacet humor, in uenis quidem adhuc conſiſtens, & phlegmonem irritans ſummoueatur, ſicq; quod in membro hæſit diſcuti facilius poſsit: eo ſublato quo tanquam fomite tum augebatur, tum grauabatur magis. Leuata enim (ut Galenus ait) quæ noſtrum corpus diſpenſat natura, & exonerata eo quo ueluti ſarcina premitur, facilius quod reliquum eſt uincit. 11. Metho.

Verùm huic noſtrę ſententiæ, non omnia planè ſubſcribere uidentur: cùm obĳcere quiſpiam poſsit, non in id ſolùm medicamentum conſulere Hippocratem dari, ut circumiacens tantùm humor euacuetur: uerùm ut qui etiam membrum obſeſsit. Nam ſi dolore ad iugulum aſcendente, eouſque mitti ſanguinem iubet, quoad rubidior multò, uel pro puro rubidoq; liuidus fluxerit, (quo ex mutatione coloris ſanguinis, indicetur à loco phlegmonem patiente euacuatum eſſe, coloris enim mutatio ſanguinis, ut Galenus ait, ex particula inflammata tranſmutationem ſufficienter commonſtrat) itidem dolore deſcendente dari in id medicamentum ualidum & efficax rectè conſuluit, ut non ſolùm qui circumſtat humor, uerùm & qui membro hæret ſoluatur: par enim utrobiq; eſt ratio. *Obiectio.* *2. de Ratione uic. acut. 10.*

At ſcrupus hic nullo negotio dilui poteſt. Siquidem & ſi eouſq; mittendum ſanguinem dolore aſcendente iuſſerit, ut mutatione coloris uacuationis ſufficiẽtia iudicetur: nõ tamẽ ab ipſomet loco affecto ſanguis is educitur, ſed à proximis affecto loco uenis, quæ tali calore affectum ſanguinem ob uicinitatẽ, & caloris redũdantiam habent: qualis eſt qui inflammatum occupat membrum: hic enim (ut affirmat Galenus) ob caloris abundantiam colore permutatur. Si nanque reliquus in corpore ſanguis pituitoſior fuerit, rubicũdior ſanè erit qui in eo quod phlegmone obſidetur latere continetur: ſic ſi ruber fuerit reliquus corporis ſanguis, is procul dubio qui ad phlegmonem eſt feruidus aſſatusq;, in ni- *Obiectionis dilutio.* *Vbi suprà.*

grum permutabitur: liuidus autẽ, in ea quæ fit à rubro ad nigrũ permutatione medium obtinet. Itaq; quũ & proximæ affecto lateri uenæ, quarum interuentu is ipse qui inflammationẽ facit humor in membrum descendit, calorem affecto loco penè parem conceperint, sanguinis colorem in ijs permutari (si Galeno creditur) consequens quidem est: qui cùm secta uena effluit, indicio est copiosum tum detractum sanguinem esse, nec amplius mittendum. Vacuandi enim sanguinis terminum in pleuritidis curatione esse coloris mutationem rectè Galenus dixit. Atque ijs ego & conciliatos abundè locos, qui secum ipsi pugnare uidebantur, & enodata quæ aduersum nostram sententiam adduci poterant, existimo.

*2. de Ratione uict. acu. tex. 10.*

*De amari saporis generatione atq; natura: non omnem à calido fieri, nec item amara omnia calida esse.*

## ENARRATIO QVARTA.

RECTISSIME illud Plato philosophorum omniũ summus dixisse uidetur, ἥδιστον μὲν εἶναι τῶν ἀκουσμάτων τὴν ἀλήθειαν: hoc est, suauissimam enarrationem ueritatem esse: ut quæ id præstet atque efficiat, ut se ipsam sua ui sustẽtet, ac cõtra hominum ingenia facilè se per seipsam defendat. Quamobrem cùm de uniuersa saporis amari natura, generatione, ac causis, certis ac firmis sit mihi in præsens demonstrationibus tractandum: & in ea tractatione aduersum Galeni placita ea ipsa de re multa sint à nobis constituenda, quæ non satis cum eo conueniant, aut potius illius mentem sententiamq; euertant: petendũ id in primis mihi omniq; studio à ueri amatoribus flagitandũ existimaui, ut si pro ueritate aduersus Galeni dogma stans tanti uiri sensa conuellere audeam, non id mihi impudentiæ aut temeritati, sed ueritatis studio prouehendæ adscribant: cuius cùm ea sit dignitas atque maiestas, ut secundum Deum rebus se omnibus anteferri uelit: nec ullius cuiusquam uel autoritate uel gratia labefactari: quis mihi iure succenseat, si huius amore adductus sententiam ipse meam (nullius addictus iurare in uerba magistri) aduersus Galenum proferam? Equidem si ueritatis dogmatum constitutio, non ex autorum testimoniis, sed demonstrationibus potius est æstimanda, ut ipse nos Galenus docuit, (qui ne Hippocrati quidem medicinę parenti ac principi ut testi, sed ut firmas demonstrationes afferenti assentiri dignatur) neque nos sane Galeno fidem adhibere conueniet, sicubi firmam assertionis suæ demonstrationem afferre non posit: præsertim ubi sensus & ratio ei assertioni repugnabunt. Nemini autem cuiquam sine firma eius quod asserit ostensione esse credendum, ipse nos Galenus in hæc uerba commonefecit:

*Libr. Quòd animi mores corporis temperaturã sequantur.*

Ἱπποκράτης μὲν οὖν ἐπιδείξας ἐν ὅλῳ τῷ περὶ ὑδάτων καὶ ὡρῶν κράσεως συγγράμματι, σώματος κράσει ἕπεσθαι τὰς τῆς ψυχῆς δυνάμεις, οὐ μόνον ὅσαι κατὰ τὸ θυμοειδὲς ἢ ἐπιθυμητικόν αὐτῆς εἰσιν, ἀλλὰ καὶ τὰς κατὰ τὸ λογιστικὸν ἁπάσας, ἀξιοπιστότατος ἐστὶ μάρτυς, εἴγε τις τῶν μαρτυρεῖ ποιεῖσθαι, καθάπερ ἐνίοις ἔθος ἐστὶ, τὴν τῶν δογμάτων ἀλήθειαν, ἐγὼ δ' οὐχ ὡς μάρτυρα τἀνδρὶ πιστεύω τοῖς πολλοῖς ὡσαύτως, ἀλλὰ ὅτι τὰς ἀποδείξεις αὐτοῦ βεβαίας ὁρῶ, διὰ τοῦτο γοῦν καὶ

*Vbi suprà.*

καὶ αὐτὸν ἐπαινῶ τὸν Ἱπποκράτην.

Quod est: Hippocrates quidem cùm in opere uniuerso de Aquarum & temporum anni temperatione, facultates animæ, non eas solùm quę in parte irascibili, aut concupiscibili, sed in rationali quoque consistuut, temperaturæ corporis comites consequentesque esse ostendat, idoneus maximè testis est, cui fidem adhibeas, si ex testimonio, ut mos est nonnullis, ueritatem æstimes dogmatum. Ego uerò ut testi huic uiro non credo, id quod alij faciunt: sed quòd certas firmasque eius demonstrationes uideam, ob id Hippocratem ipsum commendo.

Itaque si Galenus Hippocrati minimè assentitur, nisi quatenus dicti sui firmas affert demonstrationes: ne nos quidem ipsi Galeno ut testi credemus, si statas assertionis suæ demōstrationes afferre nō posit. Quamobrem hæc ipsa de Amaro sapore commentatio magnis errorum tenebris septa, in ueritatis lucem proferenda est: nec plus cuiquam tribuendū, quàm res & ueritas ipsa concedit. Galenus igitur. IIII. de Simplicium facult. Amari saporis generationem ex dulcibus prouenire, à calore extenuatis: ipsaque amara dulcibus & calidiora temperie esse, & tenuiora affirmauit. Illud item, Amarum omne caloris excessu fieri, amaraque omnia calida esse. Rursum, Amara tenuandi facultate esse prædita, ut quæ nimirum extenuent, incidant, abstergant. Demum, Amarum nunquam odoratū esse. Hæc Galeni de amaro sapore assertio, quam quidē suis omnibus partibus à ueritate longè abesse ostensuri sumus, si prius ipsamet Galeni uerba ad Græci codicis fidem huc de industria attulerimus, ne tanto uiro imposuisse uideri possimus.

*Cap.22.*

*Cap.9. quarti de Simpl. fac. & cap. 7. ad finem.*

Ἡ τοῦ πικροῦ γένεσις χυμοῦ ἐκ τῶν γλυκέων ὑπὸ θερμότητος λεπτυνομένων ἐφάνη συνίστασθαι, καὶ εἶναι δηλονότι θερμότερά τε καὶ λεπτομερέστερα τῇ κράσει τὰ πικρὰ τῶν γλυκέων. *4. de Simpl. fac. cap. 22.*

Quod est: Amari saporis generationem ex dulcibus à calore extenuatis prouenire, iam clarè docuimus: apparuitque calidiora atque tenuiora temperie esse amara quàm dulcia. Amarum uerò tale à caloris excessu fieri, idem Galenus ijs uerbis explicauit:

Τὸ γὰρ πικρὸν ἅπαν, ἄβρωτον ἐστὶν, ὃ γίγνεται δι' ὑπερβολὴν θερμασίας ὡς ἐφεξῆς ἀποδείξομεν. *Cap.9. quarti de Simpl.*

Id est: Amarum omne edi nequit, taleque fit à caloris excessu, uti postea monstrabimus.

Amara uerò omnia calida esse, in hæc uerba:

Καὶ τὰ πικρά γε δὲ πάντα θερμὰ, καθάπερ ἥτε χολὴ καὶ τὸ νίτρον, καὶ οἱ πάνυ παλαιοὶ τῶν οἴνων, καὶ τῶν σπερμάτων μυρία. *Cap.7. ad finem.*

Id est: Porrò amara omnia calida sunt, ueluti bilis, nitrum, uina ualde uetusta, & numerosa seminum copia.

Attenuandi autem & extergendi facultatem amaris inesse, his uerbis:

Περὶ δὲ τῶν πικρῶν χυμῶν τῆς δυνάμεως ἀφοριζόμενοι, καὶ τμητικὸς αὐτὸς εἰπόντες εἶναι, καὶ λεπτυντικὸς, καὶ ῥυπτικὸς, καὶ δηλονότι θερμὸς εἰς τοσοῦτον, ὡς μήπω καίειν, ἤδη σὺν δριμέσιν αὖθις ἴωμεν τῷ λόγῳ. *Cap.19.*

Id est: Postea uerò quàm de saporibus amaris definiuimus, diximusque quòd incidendi uim habeāt & extenuandi, tum extergēdi ac nimirū etiā

calefaciendi, ita tamen ut non urant: rursus ad acres sermonē uertamus.

Nullum uerò amarum odoratum esse (quod postremo nobis monstrandum est) ijs uerbis expresßit:

*Καί τοι τό γε πικρὸν οὐδέ ποτ᾽ ἦν εὐῶδες.*

Id est: tametsi amarum nunquam odoratum est.

Sex itaque sunt à Galeno de sapore amaro hic adducta paulò accuratius à nobis expendenda, & in ueritatis lucem proferenda.

Primùm, Amari saporis generationem non ex dulcibus prouenire à calore extenuatis uti Galenus existimauit.

Secundum, Amara non perpetuò dulcibus & calidiora, & tenuiora esse.

Tertium, Non amarum omne caloris excessu fieri.

Quartum, Non omnia amara calida esse, sed cōtrà multa frigidißima.

Quintum, Nec amara quidem omnia tenuandi & abstergendi ui esse prædita.

Sextum, Amara ut plurimum odorata esse, amaritudinemq́; (ut uoluit Theophrastus) odorum esse principium.

Primùm ut ostendamus, à saporis definitione nobis est inchoandum, ut postea quid amarus sapor sit compendio sciri poßit. Est itaq; sapor, uti Aristoteles cēset, affectio quædam à sicco in humore genita, gustum qui in potentia sit in actum demutans. Nam sentiendi uim quæ prius potestate erat eodem perducit. Eius autoris ea de re uerba hæc sunt.

*Lib. de Sensu & sensili. cap. 4.*

*Ἔστι τοίνυν χυμὸς τὸ γιγνόμενον ὑπὸ τοῦ εἰρημένου ξηροῦ πάθος ἐν τῷ ὑγρῷ τῆς γεύσεως, τῆς κατὰ δύναμιν ἀλλοιωτικὸν εἰς ἐνέργειαν, ἄγει γὰρ τὸ αἰσθητικὸν εἰς τοῦτο δυνάμει προϋπάρχον.*

Cùm enim natura (quod idem eodem loco Aristoteles docet) in humore partem siccam terrenamq́; diluit, aut per eandem humorem percolat, & calore coquit, (ueluti qui colores succos'ue in aqua eluunt, similem affuso succo reddere aquam solent) qualitatem quampiam inserit, quæ Sapor uocatur: quorum quemadmodum & colorum uariæ sunt species, aliæ atque aliæ differentiæ: quarū sanè extremæ illæ sunt, Dulce & Amarum, intermediæ multæ. Dulce quidem alendo est, Amarum edi nequit, ut suprà ex Galeno diximus,

*Τὸ γὰρ πικρὸν ἄπεπτον, ἄβρωτον ὄν.*

Id est: Amarum omne edi nequit.

Est autem sapor amarus qui linguæ substantiam adhæsu suo nimium abluit, naturæq́; ipsius nōnihil liquefacit uel Platonis testimonio. Vnde facile est Amari saporis generationem uenari: fit enim omnis sapor amarus ex siccis & terrenis partibus humidas magno interuallo uincētibus. Amarum enim omne siccum. Cùm enim natiuus calor plantæ, aut fructus, alterius'ue rei quæ saporis sit capax, terreas partes satis domare, & euincere, atque percoquere minimè potest ut mitescant, amarus gignitur sapor: quanquam non unica, nec simplex est saporis huius generatio, ut rectè Auerroës Arabs existimauit, non solùm enim à calido uel ascititio, uel interno plus æquo nimium excoquente, & quod in plantis dulce & tenue est dissoluente, amarus prouenit sapor: sed etiam à frigido cogente

*In Timæo.*

*5. Collectic-num. cap. 27. & 2. de anima & lib. de Sensu.*

gente & adstringente. Vt enim calor immodicus tenues magis & aëreas, quæq; alendo erant partes, ui sua dissipat, (unde amarum reddi quod hanc actionem excipiat necesse est, atque ob id mel si diutius excoquatur amarum effici, ut bellè nos Galenus docet) sic & frigidũ ipsum coactione quã facit, & adstrictione, si uehemens fuerit, id ipsum operatur. Disijcit enim dulces & aëreas in plãta partes, densando, cogẽdo, eaq; coactione & densitate, suaues partes exprimendo, ueluti exprimi & exugi omnis humor in spongia solet, si quis eam uehementer manibus compresserit. Vnde fit ut aëreis & tenuibus amissis partibus, quod reliquum est terrearum partium exuperantia amarum efficiatur. Nec hac solùm ratione frigus immodicum amaritudinẽ in rebus inferre potest: sed quum quæ frigida immodicè sunt, eadem & crassa, & densa, & bene concreta esse oporteat, uel Galeni & Aristotelis testimonio, (quorum sententijs receptum est, frigidi esse densare, cogere, adstringere, incrassare: ueluti calidi rarefacere, fundere, aperire, attenuare) fit inquam, ut substantiæ densitate & crassitie uetante, tenuesq; partes conculcante, quo minus se ipsæ per uniuersam plantæ substantiam diffundere possint, ut illæ ipsæ extinguantur & pereant. Ad quod maximè iuuat imbecillus eius plantæ calor, qui cùm à frigido ualdè superetur, dulces illas partes emittere & ueluti inserere minimè potest: nec etiã terreas ipsas domare: aut satis ut dulcescant excoquere. Quæ causa est, cur opium, cùm sit frigidissimũ, (nempe quarto excessu) idem & amarissimum sentiatur. Non enim potest qui exiguus in eo est calor, tenues quæ insunt diffundere partes quæ & ipsæ à frigoris excessu ueluti oppressæ atque enectæ, emoriuntur: uel etiam quod sese cogente à frigido ipsa opij substantia, quicquid tenue & elaboratum à calore fuerat ueluti expressum disijcitur, terreis manentibus partibus. Quæ sanè mihi amaritudinis in opio uerissimæ esse causæ uidẽtur: non quas attulit Apponensis Conciliator, qui hac in re pueriliter ineptire, aut potius desipere mihi uidetur: has referens uel in calorem, qualitatem omnium efficacissimam, omnia sibi coaptantem & assimilantem: uel in adustionem quãdam quæ opio accidit, quòd assetur super laminam ferream igneam, & rubrum efficiatur. Quorum utrumque manifestò falsum esse constat. Non enim (ut paulò antè monstrauimus) calor in opio, suo satis munere fungi potest: quod si posset, non se tot partibus à frigore uinci, non terreas partes dominari, non tam densa substantia opium esse fineret. Non itaque calori omnia coaptanti, & sibi assimilanti adscribi ullo pacto amaritudo opio potest: non enim hæc sibi coaptat & assimilat, quòd à frigoris excessu impediatur. Nec item uerum est, opium ustione illa amarorẽ sibi uendicare, nam natiuus quidam est plantæ succus, nempe meconij uocati, non factitia res, nec arte effecta, nec ipsum rubrum, sed subnigrum apparet. Nigredo enim non solùm à calore assante & urente, uerùm etiam ab frigore congelante non rarò prouenire solet: quod in arborum surculis, & uitium oculis sæpe à frigore congelatis uidere licet. Longum igitur ualere Apponensem cum sua omni infantia finamus, quod uerò instituimus, methodo atque ordine prosequamur: id inquam

*4. de Simpl. fac. cap. 17.*

*Vide Gal. 1. de Simpl. fac. ca. 20. & 4. eiusdem tractatiõis. ca. 1. & Aristo. 4. Meteor. cap. 7. & 8.*

*In Conciliatore. diff. 145.*

inquam quod primo loco assumpsimus, Non in uniuersum amari saporis generationem ex dulcibus prouenire à calore extenuatis, uti statuit Galenus. Nam etsi interdum id fit, ueluti in melle ex coctione immodica fieri idem autor monstrauit, non perpetuo tamen in omnibus id uerum erit. Non enim in opio (ut de hoc absoluam) quæ inest amaritudo, ex dulci à calore extenuato genita est, quum dulcis sapor eo in succo repertus sit nunquam: nec calor dulcedinem extenuare potuit, ut quæ nulla sit: nec si esset ulla, præ imbecillitate extenuare illam posset. Est enim in opio perquàm exiguus calor. In amygdalis item amaris unde quæso amaritudo genita? an ex dulci à calore extenuato? minimè sanè, nunquam enim quæ amaræ suapte natura sunt antea dulces fuere, ut dulcedine à calore extenuata in amarorem ipsæ conuersæ sint. Quin si uerum id perpetuò est, ut amari saporis generatio ex dulcibus à calore extenuatis proueniat, in fructibus & plantis ~~utrum id~~ uerum esse consequens quidem erit: quum ex ijs quædam amara suapte natura sint. Verùm si in fructibus qui amari sunt, amaritudo ex dulci genita est à calore extenuante, dulces ipsos sui ortus initio fuisse necessariū est, ut sapore eo tandem ui caloris dissipato, amarus gigni sapor posit. atqui nulli unquam fructus ortus sui initio (uel ipsiusmet Galeni sententia) dulces esse possunt: quòd dulcedo à temperato calore proueniat probè humidum concoquente, qui in fructibus immaturis esse non potest, ob idq́ ipsos in uniuersum acerbos esse & austeros quòd frigidiusculi sint, nec adhuc temperatum calorem nacti, ipse nos Galenus docuit. Fit itaque ut in eiuscemodi fructibus, amaritudo nō ex dulci à calore extenuato, sed à quauis alia potius causa proueniat: in id fateri uelimus, fructus ipsos sui ortus initio dulces quandoque esse, quod & experientiæ inconcussæq́ ueritati, atque adeò ipsiusmet Galeni sententiæ repugnat, qui ea de re ad hunc modum scripsit,

4. de Simpl. fac. cap. 22.

4. de Simpl. fac. cap. 7.

Vbi suprà.

Vbi suprà.

οἱ ἀπὸ τῶν δένδρων καρποὶ πάντες, ὅσοι γλυκεῖς ἡμῖν φαίνονται πεπεφθέντες, ἄρτι γεννώμενοι στρυφνοί τε εἰσὶ καὶ ξηροὶ ταῖς συστάσεσι, κατὰ τὴν τοῦ γεννῶντος δένδρου φύσιν ἕκαστος, ὥς που καὶ Θεόφραστος ἔλεγεν. ἐλαῖαι, σταφυλαί, μῆλα, ῥοιαί, μόρα, φοινικοβ, ἄπιοι. προϊόντες δὲ τῷ χρόνῳ, γίγνονται μὲν ὑγρότερα, προσλαμβάνουσι δὲ ὀξύτητα τῇ στρυφνότητι καὶ ταύτην ἀποτιθέμενοι, μετὰ βραχὺ γλυκεῖς αὖθις γίνονται τελεούμενοι.

Quod est: Arborum fructus quotquot nobis ubi maturuerint dulces apparent, recens nati acerbi sicciq́ consistentia sunt, pro sui nimirum parētis quisq́ natura (ut quodam in loco ait Theophrastus) oliuæ, uuæ, mala punica, mora, palmulæ, pira, progressu uerò temporis humidiores redduntur acquiruntq́ ad acerbitatem, aciditatem, quam breui exuentes, dum maturescunt ac perficiuntur, dulces euadunt.

Non itaq́ perpetuò amaritudinem ex dulci fieri, à calore extenuato abundè nobis demonstrasse uidemur. Illud nunc ostendamus quod secundo proposuimus loco, Amara dulcibus nec calidiora perpetuò, nec tenuiora esse. Quod non magno negotio euincemus, si id ostenderimus, ex amaris maximè frigida quædam esse. Constat autem uel ipso sensus iudicio pleraq́ talia inueniri. Quis enim nescit cicutam, & meconij succum frigidissima esse? quæ concors est & philosophorum & medicorum

omnium

omnium sententia. At ea gustus certissimus iudex uehementer amara esse ostendit. Quis autem tam desipiens sit, ut hæc ipsa, quæ eximiè amara sunt, melle uel zaccaro rebus dulcissimis, calidiora & tenuiora esse affirmare ausit? Cicutam enim atque meconij succum frigiditate immodica ne careo omnibus autorum omnium calculis atque sententijs est receptum: quod uel celebri Socratis morte cicutæ succo exitiali ab undecim Atheniensium uiris capite damnati, nobis factum est manifestum. Meconij uerò succus, ut qui lethali somno hominem perdat, frigidissimum esse constat. Quis itaque ni planè hebes sit & dementatus, horum alterum zacaro, melle, dulcibus malis, cærasijs, uel calidiora uel tenuiora esse credat? Quæ quoniam & ipsa sensuum fide constant: & ipsiusmet Galeni atque Dioscoridis sententia est receptum (frigidiora hæc inquam & substantia crassiora quibusque uel dulcissimis esse) diutius in hac re constituenda atque asserenda non immorabimur: & ad tertium propositorum sermonem uertemus.

*Socratis mors.*

Non omne amarum caloris excessu fieri. Cuius rei fidem uel amplissimam unius Pœni Auerrois testimonium locuples facit: si ex testimonio, ut mos est nonnullis, ueritatem dogmatum æstimare liceat: tum quæ ab ipso autore in id adducta ratio est, quæ mihi quidem demonstrationis robur habere uidetur. Non omne igitur amarum caloris excessu fieri is ad hunc modum probat, libro collectionum V. cap. XXVII. Super naturam amari (inquit) dominatur complexio sicca terrestris, & hoc potest nasci à calido & frigido. Notæ autem quibus alterum ab altero discrimines, hæ sunt: nam quod à frigore fit, dulce efficitur postquam fuit amarum, uti glandes, xylocaracta, & nonnullæ ex cucurbitis. Quod uerò à calore & terreitate, (sic enim illius interpres loquitur) amarum efficitur, postquàm fuit dulce. Id autem fit propterea, quòd amaritudo duas species temperamenti sequitur, aut calidam & siccam, aut frigidam & siccam: uti & calor niger qui interdum à calido, interdum à frigido fit. Atque hæc quidem, quæ de amaro affirmamus, non senserunt maiores nostri. Quin & Galenus calido tantùm congruere quod amarum est existimauit. Sed mirum id non eos præcogitasse, opium extremè amarum cùm sit, idem & frigidissimum esse, ut quod frigiditate sua resolutionem inferat: quia si fortè dixerint amaritudinem in opio non à parte frigida prouenire, erroris facilè conuincentur. Nam cùm amaritudo in eo uehemens sit, sapor autem fortis supra rei naturam iudicet: consequens est, opium ipsum calidius quàm frigidius censendum esse: quod & ueritati, & ipsiusmet Galeni assertioni repugnat. Hæc Auerrois aduersus Galenum plena roboris demonstratio. Equidem si amarum omne (ut uult Galenus) calidum est, & à caloris excessu gignitur: ubi plus amaritudinis, ibi plus caloris inesse necessarium quidem erit: cùm sapor effectricem suam causam sequatur, uti omnia effecta solent. Itaque quod summè amarum, idem summè & calidum erit: sapor enim uehemens potenter de rei natura iudicat, uel ipsius Galeni testimonio. Atqui opium extremè amarum est, itaque extremè & calidum erit: quod falsissimum esse

*4. de Simpl. fac. cap. 7. & 19.*

*4. de Simpl. fac.*

esse tum experimento, tum autorũ testimonio constat. Non igitur amarum omne caloris abundantia, sed interdum frigore nimio fit, ad eum quem supra explicauimus modum: tenuibus inquam & aëreis à frigiditate nimia concretis partibus, cõcretioneq́ ea emortuis, uel ipsis tandem à comprimente frigido expressis instar aquæ in spongia contentæ, ubi arctius manibus premitur.

Atque ex hoc ritè constanterq́ demonstrato, quartum & quintum propositorum deduci magna facilitate possunt. Non omnia, inquam, amara calida esse, nec tenuandi aut extergendi ui esse prædita. Non enim opium, non acuta, quæ eximiè amara sunt, calida temperamento, sed frigidissima statuuntur. Neque item ea attenuare, detergere, in farctu liberare: sed incrassare, implere, obstruere potius rectè quis dixerit, si Galeni & Aristotelis de frigidi natura sensa sequamur. Non item salix, cichorium, intybus, quæ insigniter amara cùm sint, non calida sed frigida potius ab ipsomet Gal. Dioscoride, & Paulo statuuntur.

Iam uerò ad ultimum firmandum properemus, Amara ut plurimum odorata esse, contrà quàm Galenus existimarit: amaritudinemq́ ipsam (ut uoluit Theophrastus) odorum esse principium. Existimauit Galenus, id est quod amarum sit odoratum nunquam esse:

6. de cau. plã tarũ. cap. 13. 4. de Simpl. fac. cap. 22.

Καὶ τοι τό γε πικρὸν (inquit) οὐδέποτ' ἦν εὐῶδες.

Id est: Amarum nunquam odoratum est.

Cui quidem sententiæ Peripatetici Aristoteles & Theophrastus, magister cum discipulo, apertissimè refragantur, Theophrastus namque, quæcunque propè odorata sunt, amara esse statuit. Eius porrò sexti de plantarũ causis. cap. XIII. uerba hæc sunt: Omnia propè odorata Amara sunt: sed causam huius postea dicemus. Cùm uerò illa duo cõtraria inter se sint, dulce atque amarum: alterum uelut initium grati saporis: alterum grati odoris esse uidetur: & quodammodo magis primordium dixerim, amarum grati odoris: quippe odoratum quin amarum sit comperire difficile est. Aristoteles uerò in problematis sectione XII. odorata omnia calida esse iure optimo affirmauit.

Διὰ τί τὰ ἄνθη καὶ τὰ θυμιώμενα, πόρρωθεν μᾶλλον ἥδιον ὄζει, ἐγγύθεν δὲ, τὰ μὲν ποωδέστερον, τὰ δὲ καπνωδέστερον. ἢ ὅτι ἡ ὀσμὴ, θερμότης τίς ἐστι, καὶ τὰ εὐώδη θερμά.

Quod est: Cur flores & suffitus suauius è longinquo olent, è propinquo autem herbam alia potius redolent, alia fumum? An quia calor quidam natura odoris est, odorataq́ omnia calida sunt?

Quæ rursum eadem sectione problemate XI. retractauit. Itaque si odorata omnia calida sunt, in ordineq́ calidorum proximè ab acribus amara apud Galenum statuuntur: consequens quidem est, ut quæ odorata sunt, eadem uel acria sint, uel amara: utrumque enim calidum. Rectissimè uerò Theophrastus sensisse uidetur, amarum grati odoris esse principiũ statuens: nam cùm odor exhalatio quædã aërea sit, atque in sicco potissimùm sita, consequens est ut quæ siccitatis & caloris non minimum obtinent, odorata ut sint. Cui rei experimentum maximum ac fidem præstant odoratorum pleraque, quæ insigniter amara cùm sint, eadem

4. de Simpl. fac. cap. 18.

dem ſunt & maximè odorata. Moſcho Aegyptio quid odoratius? at idem amarum guſtanti apparet: Roſa cùm ſuauiſsimè oleat, non contemnendam amaritudinem poſsidet: Citrij mali cortice nihil odoratius, eodem nihil penè amarius: Myrrha item quæ lectiſsima ſit, eadem & odorata ualde & amara conſpicitur. Dies me deficiet ſi omnia perſequi uelim: id nos demonſtraſſe abundè ſit, Amara plerunque odorata eſſe, quod Galenus nunquam fieri poſſe putauit. Quæ ego omnia, non ut me aduerſus Galenum opponerem, (quis enim tam deſipiens ſit, quis tantum unquam animi & uirium habuit, quis tanto ingenio, eruditione, rerum uſu atque cognitione fuit, ſibi id ut arrogare audeat, ut quæ Galenus ignorauit ſcire ſe poſſe arbitretur?) ſed ut quæ ueritati maximè conſentanea eſſe uiderentur, ea paulò plenius explicarem. Quæ mihi tantæ rei explicatio & ſi difficilis admodum fuit, quòd qui nobis coarguendus hac in parte erat, ueluti princeps quidam uenerandumque numen in medicina meritò ſemper habitus ſit. Tamen æquum eſt ueritatis retinendæ cauſa (philoſophos præſertim) ſua decreta tollere, etſi enim utraque chara ſunt: tamen, ut uult Ariſtoteles, præclarum eſt pluris æſtimare ueritatem: cuius unius cauſa nos hæc (uel ipſiuſmet Galeni exemplo) protulimus. Galenus enim Hippocratem, quem ut magiſtrum, & melioris medicinæ parentem perpetuò ueneratur, ueritatis tamen cauſa ſæpe conuellere non ueretur: interdum quòd aliquid prætermiſerit, ut II. Aphoriſmorū commentario XLIII. interdum ſe illius ignorare mentem confitetur, ut Aphoriſmo 40. VII. interdum inſufficientiæ, ut Aphoriſmo 28. III. & item 29. eiuſdem ſectionis. & 61. IIII. nonnunquā erroris, ut Aphoriſmo 79. IIII. nonnunquam obliuionis, ut Aphoriſmo 62. V. interdū non ſeruatæ proprietatis, ut Aphoriſmo 26. VI. Ariſtoteles item in Platonem præceptorem non rarò inſurgit: id ut compertū hominibus fiat, neminem eſſe in hac uita cui abſoluta ueritatis exactaque cognitio data ſit. Quamobrem puto me haud difficulter à ueritatis ſtudioſis ueniam impetraturū, ſi ueritatis unius tuendæ cauſa (qui unicus mihi ſemper ſcopus in omni uita propoſitus erit) nonnulla aduerſus Galenum ſtatuerim. 1. Ethicorū.

*Examinatur locus ille Galeni* XIII. *Methodi, locum inflammatum tum diſcutientibus, tum repellentibus medicamentis euacuari.*

ENARRATIO V.


HLEGMONARVM curationem ex profeſſo tractans Galenus Methodi medendi libro XIII. docens quando adſtringentibus & frigidis, quando item diſcutientibus medicamentis in ijs curandis utendum ſit, impletam partem non modo medicamentis ijs quæ digerūt, ſed ijs etiam quæ adſtringunt & refrigerant uacuari affirmat.

Κενοῦται δὲ τὸ πεπληρωμένον οὐ μόνον τοῖς διαφορητικοῖς φαρμάκοις, ἀλλὰ καὶ τοῖς στύφουσι καὶ τοῖς ψύχουσι.

Vacuatur (inquit) quod impletum eſt, non modò digerentibus medicamentis, ſed & adſtringentibus ac refrigerantibus.

Quod an uerum sit, nobis est paulò accuratius inquirendum: dubitationem enim non minimam hic locus habere uidetur. Nam si ea est adstringentium refrigerantiumq́ꝫ natura, ut à parte fluxione tentata humorem repellant, ac intrò agant, phlegmonemq́ꝫ augeri prohibeant, qua quidem ratione phlegmonarum initijs maximè conferre idem Galenus paulò pòst ijs uerbis expressit:

Καὶ μᾶλλον γ' ἤδη τῶν ἀρχομένων φλεγμονῶν τοῖς ψύχουσι χρηστέον, ἤπερ τοῖς διαφοροῦσιν.

Id est: Magisq́ꝫ profectò ad incipientes phlegmonas frigidis adstringentibusq́ꝫ, quàm ijs quæ digerunt est utendum.

Et idem III. de Simpl. medi. fac. cap. IX. Qui quæso fieri potest, ut ab ijs quod impletum est uacuetur? præsertim quum frigidi proprium sit compingere, incrassare, meatus obducere, & ad uacuationem omnino renitentem magis ac contumacem humorem efficere. Ad quod etiam facit, quòd quum in uacuatione omni, siue ea per discussionem, siue per expulsionem manifestam fiat, meatus fluxiles esse oporteat quò liber uacuando humori foras exitus pateat, testibus Hippocrate atq́ꝫ Galeno: reprimentia autem ac refrigerantia meatus ipsos (ut antea dictum est) obducant, contentumq́ꝫ ob id in ipsis humorem infigant magis, contumacemq́ꝫ expulsioni efficiant. Quomodo, inquam, si talia à medicamentorum reprimentium usu proueniunt (uti reuera proueniunt) inflammata ipsa pars ab ijs unquam euacuari poterit? Nam quum qui secundum inflammatã partem insidet humor, aut discussione, aut omnino expulsione post suppurationem uacuari debeat (quòd nulli sint alij uacuationum in inflammationibus modi quibus contētus in parte inflammata humor uacuari possit, ipsomet Galeno teste) neutrum uerò horum præstare reprimentia ac refrigerantia adhibita possint, (ut quę neque discussionem, neque etiam suppurationem facere queant, cùm altera calidis & siccis, altera calori nostro similibus, uel Galeni testimonio perfici habeat) non uideo quonam pacto impleta pars (quod hic ait Galenus) horum præsidio uacuari possit: ipsomet præsertim hoc ipso loco dicente, impletam partem discutientibus (quod & uerum est) uacuari.

*Ex Gal. 4. de simp. fac. c. 1.* — *2. Aphor. 9.* — *13. Metho. et 2. ad Glauc.* — *5. de Simpli. fac.*

Si igitur impleta pars digerentibus medicamentis exhalationem molientibus uacuatur: ijs autem contraria sint refrigerantia ac reprimentia: contraria uerò nunquam idem per se efficiant, uel Aristotelis testimonio: sequitur, impletam partem reprimentibus uacuari minimè posse. Contra quam conceptis uerbis hoc loco sensisse Galenus uidetur, qui inflammatam partem atq́ꝫ humore iam impletam, non discutientibus solùm medicamentis, uerùm etiam adstringentibus atque refrigerantibus uacuari affirmauit: idē scilicet à cōtrarijs per se fieri: quo quid absurdius?

Inuenienda itaque nobis uia quædam ac ratio erit, qua explicari locus hic commodè possit, Galenusq́ꝫ à repugnantia uindicari: quod ut fiat, tota inflammationum curandi ratio altius repetenda erit. Itaque Galenus cùm II. ad Glauc. tum XIII. & XIIII. Methodi, & arte medicinali inflammationum curandarum hos proposuit scopos: Eius scilicet quod influit repulsionem (quæ quidem ipsa tum reprimentibus ac refrigerantibus

bus medicamentis, tum uerò reuulsoria uocata) uacuatione, hoc est, per ἀντίσπασιν perfici debet, (iubēte nimirum Hippocrate, longissimè à tentata fluxione parte reuellēdum esse qui influit humorem) & eius quod iam parti ipsi incubuit dissipationem: quæ nimirum partim in uapores, resoluto eo quod influxit, partim manifestè & sensibiliter uacuato perficitur: id in Arte medicinali astruente Galeno.

Quin & illud quoque animaduertendum est, partem in inflammationibus impletam, non eam solùm Galeno intelligi, in quam superfluus incubuit humor iam uenas egressus: partemq́ ipsam in tumorem attollens, ad spatia utique uacua quæ in medio erant effuso humore: sed & circumpositas quoque partes quæ & ipsæ etiam ab influente humore implentur. Quod ex eo probari apertissimè potest, quod Galenus in Arte medicinali ex professo inflammationum methodum tradens supraiacentibus inflammato loco partibus ea imponi iubet, quæ influētem humorem repellendi uim habent: ea scilicet ratione, ut quæ circumpositæ partes sunt eo qui influebat humore distentæ, ab reprimentibus medicamentis exonerentur, in alias scilicet horum ui translato humore.

Non solùm igitur pars ea in cuius medijs spatijs superfluus influxit humor, impleta esse re uera depræhenditur, sed & quæ circūpositæ partes sunt: quòd consensu quodam & propinquitate partis ad partē distendantur & ipsæ. Impletam itaq; partem non solum digerentibus medicamentis, sed & repellentibus uacuari ita accipiendum, ut intelligamus retrocessione eius, qui influebat humoris, distentā partē exonerari. Nam adhibitis reprimentibus (si totum prius corpus probè uacuatū sit, inanitaq; uasa uel misso sanguine, uel purgatione adhibita) pars ipsa roborata uigore ex medicaminibus adstringentibus addito, à se ad alia influentem humorem remittit. quæ docta Galeni in arte medicinali sentētia est, quū quidem transmissione efficitur, ut quæ ab influente humore impletæ prius partes erant, exonerentur, alio scilicet regerentibus afflictis partibus & ob inanitionem trahentibus alijs, exinanita enim loca, ut bellè idem ait Galenus, attrahunt ad seipsa quæcunque repercutiuntur. Nec obstat quo minus impleta pars reprimētibus uacuetur, quod hęc & meatus adstringant, & crassiores humores reddant, eoq; uacuationi ineptiores. Nam etsi id facere per naturam reprimentia possunt, uti III. de simpli. facul. cap. IX. à Galeno proditum est: tum temporis tamen, nempe in inflammationum initijs, id efficere minimè possunt, tenui & fluxili existente qui decurrit humore: unde fit, ut qui influit humor, facilè tenuitate sua ui reprimentis medicamenti retro cedat: de his enim hic inflammationibus loquimur, quæ à sufficienter calido, tum etiam tenui humore nascuntur: de quibus intellexisse Galenum dubium nō est, quum dixit, impletam partem reprimentibus uacuari. Nam quæ à crasso prodeunt humore, reprimentibus non uacuantur, sed magis implentur, crassiore utique effecto humore: tum enim refrigerantia & adstringētia minimè conueniunt, sed potius quæ cum moderato calore nonnihil habeant adstrictionis, ut in œdematum curatione nos bellè docuit Galenus, & in alijs

*Obiectio.*

*Obiectionis dilutio.*

*2. ad Glauco.*

& 4. Met. & in Arte Medici. tumoribus omnibus, qui à crasso succo proueniunt, quibus talia non conuenire idem milies in mille locis prodidit. Euacuatur itaque impleta pars, cùm qui insidet humor, digerentium medicamentorum ui in uapores resolutus abit, quæ quidem uacuatio sensum fugit: tum item, cùm reprimentiũ & refrigerantiũ ope retrò cedit qui influebat humor. Nam cùm redundantia humoris in imbecilliorem partem procumbentis affectam partẽ distẽdat atque impleat, efficitur ut repulsione eius ipsius, quæ prius implebatur pars, inanita atque sic uacuata eo quo implebatur humore remaneat: secũdum quem sensum loquutũ fuisse Galenũ exploratissimum cuique esse debet. Non enim digerentiũ more reprimentia impletam partem uacuant, humorem scilicet attenuando & in uapores transmutando, quod digerẽtia medicamẽta calore suo perficere possunt: sed repellendo, & humorum cursum prohibendo non solùm quod impletum erat uacuare, sed etiam ne impleatur prohibere ui sua adstrictoria atque refrigeratoria possunt. 5. de Simpl. fac. Hæc enim autore Galeno uerè reprimentium natura atque facultas est, quorum ope ab initio euacuari pars inflammata potest.

*Galenum de hordei natura sibi contrarium uideri, quum VII. de Simplicium facultatibus frigidum statuat: IIII. uerò Methodi medendi suppuratiuum esse affirmet, atque ideò calidum.*

## ENARRATIO VI.

DE HORDEI natura tractans Galenus, uaria de eodem, atque adeo pugnantia attulisse mihi est uisus: modò scilicet frigidum, modò calidum statuens. Siquidem quum VII. de Simplicium facul. tum I. de alimentorum facul. frigidũ utrobique statuit. IIII. uerò Methodi medendi, suppurandi ipsum potestate pollere scribit, eoque necessariò calidum esse. Quæcunque enim suppurandi facultatem habent, ea quidem uel eiusdem Galeni testimonio calida humidaque esse ac calori nostro persimilem habere calorem oportet. 5. de Simpl. fac. cap. 2. 5. & 8. Inuenienda itaque nobis ratio aliqua erit, qua ipsum à contradictionis nota uindicare possimus. Quod antequàm aggredior, pugnantes prius afferre locos peropportunum mihi est uisum, ut postea planius conciliari à nobis ij ipsi loci possint. Frigidum itaque hordeum esse VII. de Simplicium facult. in hæc uerba scripsit:

Κριθαὶ δὲ πρώτης εἰσὶ τάξεως ἐν τῷ ξηραίνειν τε καὶ ψύχειν, ἔχουσι δέ τι καὶ ῥυπτικὸν ὀλίγον· εἰσὶ δὲ τοῦ τῶν κυάμων ἀλεύρου τοῦ χωρὶς τοῦ λέμματος βραχεῖ τινὶ ξηραντικώτεραι.

Quod est: Hordeum primi est ordinis in exsiccando & refrigerando: habet etiam abstersionis nonnihil. Paulò etiam plus desiccat quàm fabacea farina, cui non insint cortices.

Primo uerò de alimentorum facul. in hunc modum:

Πολλὴ καὶ τούτου τοῦ σπέρματος ἡ χρεία τοῖς ἀνθρώποις ἐστὶν οὐ τὴν αὐτὴν ἔχοντος δύναμιν τοῖς πυροῖς· ἐκεῖνος μὲν γὰρ θερμαίνουσιν φανερῶς, οὗτος δὲ οὐ μόνον ἀποκεχώρηκε τοῦ θερμαίνειν ὥσπερ ἔνια μεταξὺ τοῦ θερμαίνειν καὶ ψύχειν ὄντα καθάπερ ἄμυλόν τε καὶ ὁ πλυτὸς ἄρτος, ἀλλὰ καὶ ψυκτικὸν ἔχειν τι φαίνεται.

Quod est: Hoc item semen (de hordeo loquens) in frequenti apud homines usu habetur, diuersæ à tritico facultatis: siquidem hoc palàm calefaciente, illud adeo non calefacit, ceu quodam in calidi frigidiq́ꝫ medio constitutum, uti amylum, & elotus panis, ut etiam refrigerare aliqua ex parte appareat.

Quibus sanè locis apertissimum est hordeo ex Galeni sententia uim refrigeratoriam atque detersoriam inesse: cui etiam sententiæ accedit Paulus libro sui compendij septimo, qui de simpliciũ facultatibus inscriptus ad Galeni imitationem est.

Suppurandi autem ipsum potestate præditum esse, idem autor IIII. Methodi medendi sic explicauit:

*τὰ δὲ ἐκ τῆς ὠμηλύσεως καταπλάσματα, θερμαίνοντά τε καὶ ὑγραίνοντα προσφέρομεν ἐπὶ πασῶν τῶν ἐκπυῆσαι δεομένων, διαθέσεων. ὠμήλυσις γὰρ δι' ὑδρελαίου, καὶ ἄρτος δι' ὑδρελαίου, καὶ καταιόνησις δι' ὕδατος θερμοῦ πολλοῦ, καὶ ἡ τετραφάρμακος δύναμις, ἅπαντά τε τὰ θερμαίνοντα καὶ ὑγραίνοντα, διαπυΐσκει τάχιστα.*

Hoc est: Quæ cataplasmata ex hordei farina cõponuntur ceu quæ calefaciant humectentq́ꝫ, omnibus ijs affectibus quibus moueri pus expedit admouemus. Hordei namq́ꝫ farina ex aqua & oleo, itemq́ꝫ panis ex aqua & oleo, præterea fotus aquæ calidæ multæ & tetrapharmaci uis, omnia deniq́ꝫ quæ calefaciunt & humectant celerrimè pus mouent.

Apertissimè hoc loco Galenus hordeo pus mouendi facultatem inesse, conceptis etiam uerbis docuit: cùm cataplasmata ex hordei polline confecta, aqua oleoq́ꝫ mistis, ceu quæ abundè calefaciant humectentq́ꝫ puri mouendo idonea esse scripsit. Quod si, ut uult Galenus, suppuratorium id est, calidum igitur esse necessarium quidem est, uel eiusdem autoris cùm hoc loco, tum V. de Simpl. fac. sententia. At uerò non solùm in hordei temperie statuẽda aduersum sibi fuisse Galenũ, ex ijs quos attulimus locis euidentissimum est: cùm modò calidum, modò frigidum statuerit: uerumetiam in eiusdem uiribus ac facultatibus describendis. Siquidem Methodi medendi libro IIII. suppurandi ipsum potestatem habere scripsit. V. uerò de Simplicium facul. id ipsum explicatissimis uerbis negauit. Eius autem hæc sunt uerba de pus mouentium medicamentorum uiribus atq́ꝫ natura ex professo tractantis: Cap. 2. 5. et 8.

*ὡς ὅσαγε τῶν καταπλασμάτων, ἢ τῷ ῥύπτειν, ἢ τῷ θερμαίνειν σφοδρότερον ἐπιτρέπει διαφορεῖσθαι τοὺς ἀτμοὺς· ξηραίνει μὲν, οὐ μὴν ἐμπυΐσκειν· τοιαῦτα δὲ ἐστὶν τό τε τῶν κριθῶν, καὶ τῶν ἐρεβίνθων, καὶ τὸ τῆς τήλεως, καὶ τὸ τῶν κυάμων ἄλευρον.* 5. de Simpli. cap. 8.

Et non multò pòst.

*διαφορεῖται δὲ ὑπό τε τῶν ῥυπτόντων οἷάπερ ἐστὶν τό τε τῶν κριθῶν καὶ τὸ τῶν κυάμων ἄλευρον.*

Quod est: Siquidem cataplasmata ea quæ aut detergentia aut uehementius calefacientia halitus difflari permittunt, exiccant quidem, sed pus non mouent: talis est hordei, cicerum, fœni græci, fabaceaq́ꝫ farina.

Et item: Digeritur (subdit, de spiritu natiuoq́ꝫ calore agens) tum ab euaporantibus ac detergẽtibus, qualis est hordeacea fabaceaq́ꝫ farina.

Quibus quidem Galeni locis apertissimè constat hordei farinam suppurandi uim non habere: ut quæ nimirum detersione sua halitus spiri-

tumq́ natiuum difflari permittat, ac digerat: cuius sanè difflatione ac perspiratu suppurationem prohiberi idem autor eodem ipso loco uerè affirmauit. Quum enim ea quæ in pus fit conuersio, unum sit ex naturæ operibus (quædam enim illic perficitur coctio, in qua perficienda quàm plurimum intus seruari spiritum natiuumq́ calorem, non difflari oportet) calore id perfici opus consequens quidem est. Vnde fit, ut quæ innati caloris intus substantiam augent, ea puri mouendo idonea esse proditum sit. Quãobrem & calorem ea ipsa habere natiuo quàm simillimum, & corporis meatus obstruere, quò uidelicet halituosos transpiratus includant rectissimè Galenus scripsit. Qua quidem facultate cùm hordeum careat, ut quod nimirum & potestate frigidum sit, ut V I I. Simplicium scribitur, & detergendi facultate præditum, calorem natiuum difflari permittat, ut V. eiusdem tractationis libro idem tradit Galenus: necessariò consequitur, ipsum puri mouendo minimè idoneũ esse: contrà quàm quarto Methodi medendi scriptum est. Neq́ uideo quonam alio conciliari pugnantes hi loci modo possint: nisi dicamus, hordeum ipsum suppurationem non per se & primo, sed ex accidenti eorum scilicet ratione quæ illi miscentur, facere, nempe olei & aquæ, quibus quidem pollini hordei admistis, & obstruendi corporis meatus, & augendi caloris facultas inest. unde meritò suppurationem ab ijs fieri est censendum. Multa enim sunt quæ per se ipsa efficere unum aliquid nequicquam possunt, admista uerò cum alijs id possunt: uti bellissimè de ærugine, cera, oleo docet I I I. Methodi medendi Galenus: quorum cùm nullum per se cauum ulcus implere possit, admista inuicem possunt.

*5. de Simpl. fac. cap. 8.*

*Conciliatio pugnantium locorum Galeni.*

Non ergo ærugo per se, oleum'ue, aut cera, cauum ulcus carne implere sunt dicenda, nisi mistionis ratione, quòd ex ijs debita mensura confusis, siccans fiat medicamentum implendo ulceri cauo idoneum. Sic de hordeo in præsens dicendum: non enim ipsum per se puri mouendo idoneum ulla ratione erit, ijs quas suprà ex Galeno attulimus rationibus: sed ipsum tamen in pollinem redactum, & aquæ oleoq́ admistum suppuratorium sanè fit, quòd aquæ oleiq́ ratione tum emplasticum, tum obstruens corporis meatus, atq́ subinde reflexu quasi quodam ad intima natiuum calorem adaugens reddatur: quibus sanè rationibus pus moueri V. de Simplicium facul. docuit Galenus. Secundum quem modum intelligere rectè possumus, puris mouẽdi facultatem hordeo inesse quandam, non sui quidem merito, non facultate, non temperie sua. Quum enim & detergendi atq́ digerendi facultate præditum sit, & temperatura frigidum statuatur: qui quæso humores in pus conuertere ullo modo possit? Quæ enim pus mouent & calida esse, & minimè detergẽtia oportet, uti V. de Simplicium facultatibus edocemur.

Non igitur proprijs hordei uiribus tribuendum, quod in inflammatione tentatis locis, humor ad suppurationem ducatur. Quod si quandoque eueniat ut cataplasmate ex eius polline confecto, humor ad suppurationem ducatur, alterum duorum æstimãdum, uel exiguum atq́ tenuem fuisse humorem, qui in pus uertendus erat (minore enim negotio, quod paucum

paucum, quodq́ tenue est, eo quod multum est atq́ crassum, ad suppurationem ducitur) uel tandem non ipsius hordei ratione ut anteà dictum, sed olei & aquæ potius ad suppurationem ductum fuisse humorem. Constat enim ad suppurationem, & natiuo calore aucto opus esse, & ijs quæ calefaciendo humectent, meatusq́ corporis obstruant, ut uegetior redditus natiuus calor, suppurationem moliatur: quorum sanè neutrū hordeo inest. Nihilo secius tamen has illi uires non Galenus solùm, sed & Paulus & Dioscorides passim tribuunt. Quo loco enim Paulus de phrenitide agit, hisce cataplasmatis utendum esse docet, quæ ex hordei farina constant.

Μετὰ δὲ (ait) τὴν ἑβδόμην εἰ φλεγμαίνοι τὰ σπλάγχνα τοῖς διὰ λινοσπέρμου καὶ τῆς ὠμῆς λύσεως ἐν ὑδρελαίῳ καταπλάσμασιν αὐτὰ παρηγορήσομεν.

Quod est: Si uerò in phrenitide post septimam diem uiscera inflammabuntur, cataplasmatis ea leniemus, quæ lini semine, & hordeacea farina constant. In angina item curanda docens præter alia quibus id malum curatur, succida lana aut oleo madente tegendum & inuoluendum ægroti collum, illinendumq́ esse τοῖς δι᾽ ὠμῆς λύσεως. id est, polenta ex cruda hordei farina confecta. Id enim nomen ὠμηλύσις significare uidetur. Est enim ea uox medicorum propria, qua hordeaceam farinam crudam (ut nomen ipsum indicat) & quæ ex ea cataplasmata fiunt designare uolunt. Exigi autem hordeaceam farinam in eos usus, locupletissimus testis Plinius est, qui semper omnibus locis quibus Dioscorides ὠμὴν λύσιν dixit, ille hordei farinā uertit: idq́ primum in abrotono deprænditur, in quo quod Dioscorides ait διαφορεῖ καὶ φύματα μετὰ ὠμῆς λύσεως λεῖον ἑψηθὲν, Plinius ait, Concoquit panes cum farina hordeacea. Deprehenditur & in telephio, in qua ea Dioscoridis uerba, δεῖ δὲ μὴν ταῦτα ὠμῇ λύσει χρίσθαι, Plinius trāsfert, Illinitur & in uitiligine ternis ferè mensibus senis horis diei aut noctis, postea farina hordeacea illinitur. Et ne longiores simus, quoties Plinio id ex Gręcis fuit uertendum, nunquam non farinam hordeaceam dixit. Quæ ob id de industria adferre uoluimus, id ut ostenderemus, ὠμὴν λύσιν, hordeaceam farinam Latinis esse, qua sæpe ad suppurandos tumores uarij autores usi sunt: de quo plura qui uolet, Marcellum Vergilium legat commentario ad caput de hordeo secundi libri Dioscoridis. Atque hæc in præsens proposito dubio sufficiant.

*Lib.21.Nat. hist.cap.21.*

*Lib.28.Natura. histor. cap.13.*

## *De pituitæ salsæ generatione & causis, pro Galeno aduersus Auicennam.*

## ENARRATIO VII.

CVM Auicennæ de humoribus tractationem legerem, quæ quidem ab eo Fen prima prioris canonis sui scripta est, magnaq́ animi attentione cuncta examinarem, & ad Galeni sensa (cuius se ille interpretem facit) referre tentarem, multa mihi caput id primum de humoribus legēti occurrerūt, quæ mihi maximè non probabātur, ut pote à ueritate & Galeni dogmate

te alienissima: inter quæ id præcipuum, quod ab eodem Auicenna de pituitæ salsæ generatione & causis scribitur, dum salsam pituitam ob mistionem terrearum quarundam partium adustarum & saporis amari (si eæ quidem terreæ & saporis amari partes æquali temperamento, hoc est pari portione, cum aquoso humore misceantur) creari scribit. Hæc enim eius Autoris uerba sunt: Et ex flegmate, inquit, est quoddam quod est salsum, quod omnibus flegmatis speciebus acutius est, & siccius, & leuius. Omnis uerò salsuginis causa est, ut aquosæ humiditati pauci saporis, aut priuatæ eo terreæ partes adustæ complexionũ siccarum, & saporis amari æquali temperamento misceantur. Si enim multæ fuerint, amarus sapor prouenit, & ex hoc quidem similiter fiunt sales, & aquæ salsæ. Similiter quoque flegmati tenui quod saporem non habet, aut cuius sapor adeò est paruus quod non superat cũ cholera sicca natura se miscuerit adustę, qualitatis admixtione ipsum faciet salsum. Hactenus Auicẽna, qui in salsuginis enarrandis causis, item in pituitæ salsæ generatione & modò fedissimè lapsus est, longéque à philosophorum placitis dissidens: qui (ut mox ex eorum schola deprompturi sumus) salsedinis multò dissimilimas attulerunt causas. Falsum enim est, omnis salsuginis causam esse (ut uult Auicenna) ut aquosæ humiditati terreæ partes saporis amari æquali portione misceantur, ut mox edocturi sumus. Falsum & illud, salem salsásque aquas ad eum modum fieri. Quin & illud à ueritate alienissimũ, admixtã pituitæ tenui insipidæ bilim amaram siccam, pituitam ipsam salsam reddere. Quæ ne calumniandi studio magis quàm ueritatis tutandæ causa attulisse uideamur, ex Galeni, Platonis, Aristotelísque schola refellere Auicennæ dogma nitemur. Quod ut ordinata methodo facere possimus, de salso sapore, déque illius generatione naturáque: item & de sale ipso, unde salsi saporis ratio noménque dimanauit, nobis erit in primis dicendum. Itaque Plato, philosophorum omnium summus, in eo libro qui de Natura inscribitur, Sal corpus terreum quoddam esse affirmat, à quo quidem multus fit ui ignis exhaustus humor, uerùm non in totum sublatus. Cùm enim ignis terram ui sua calefactam haud parum attenuauerit, ab eáque plurimum humoris exhauserit, quod reliquum est ueluti semiglaciatum concrescit, relicto in tenuibus terræ partibus aliquanto humore cuius commixtione liquabile ipsum efficitur, quod uerò ex hac miscella cõstat sal nuncupatur Deo amicum corpus. Platonis porrò hæc uerba sunt.

*Auicẽnæ lapsus.*

*Sal quid.*

*Sal cur liquabilis.*

τῷ δ' αὖ κατὰ ταυτὰ μὲν ταῦτα ἐκ ξυμμίξεως ὕδατος ἀποστερουμένῳ πολλοῦ, λεπτοτέρων δὲ ἐκ γῆς μερῶν, ἁλμυρῷ τε ὄντι, ἡμιπαγεῖ γενομένῳ, καὶ αὐτῷ πάλιν ὑφ' ὕδατος τὸ μὲν ἐλαίου καὶ γῆς καθαρτικὸν γένος, νίτρον. τὸ δὲ εὐάρμοστον ἐν ταῖς κοινωνίαις, ταῖς περὶ τὴν τοῦ σώματος αἴσθησιν, ἅλς ἂν κατὰ λόγον νόμου θεοφιλὲς σῶμα ἐγένετο.

Quod est: Quando, inquit, idipsum (de terreo corpore loquens) similiter ex cõmixtione multo priuatur humore, sed tenuioribus terræ partibus constat, salsúmque est, & semiglaciale fit, pérque aquam emergit partim quidem olei terræque purgatorium genus, nitrum dicitur: partim uerò quotidiano uictui cõmodissimum legitimè, sal Deo amicum corpus.

Atque ab hoc quidem sale salsa omnia uires nomenclaturámque accipiunt

piũt, ut Salsum id propriè dicatur, quod salis naturam referat, quod eius misturæ quæ sal efficit participatu constet: & ut magis minus'ue hanc in se naturam corpora conceperint, sic magis minus'ue salsa dicentur. *Salsum.* Sapor uerò salsus eodem Platone autore is est, qui linguæ hærens lenius, *Sapor salsus.* quàm quæ amara sunt sine amaritudinis asperitate, linguam ipsam abstergit abluitq́ꝫ: ob idq́ꝫ amaro nitrosoq́ꝫ temperatiorem esse, nobisq́ꝫ magis amicum. Quoniam uerò perpulchra sunt quæ de hac re à Platone scribuntur, illius seriem totam appingere utpote dignoscendis saporum differentijs aptam haud pigebit.

ὅσα μὲν γὰρ (ait) εἰσιόντα περὶ τὰ φλέβια, οἷόνπερ δοκίμια τῆς γλώττης, τεταμένα δ' ἐπὶ τὴν καρδίαν εἰς τὰ μανότερα τῆς σαρκὸς καὶ ἁπαλὰ ἐμπίπτοντα γήϊνα τινὰ μέρη κατατηκόμενα, ξυνάγει τὰ φλέβια καὶ ἀποξηραίνει, τραχύτερα μὲν ὄντα, στρυφνά, ἧττον δὲ τραχύνοντα, αὐστηρὰ λέγεται. τὰ δὲ τούτων ῥυπτικὰ καὶ πᾶν τὸ περὶ τὴν γλῶτταν ἀποπλύνοντα, πέρα μὲν τοῦ μετρίου τοῦτο δρῶντα, καὶ προσεπιλαμβανόμενα, ὥστε ἀποτήκειν αὐτῆς τι τῆς φύσεως, οἷον ἡ τῶν νίτρων δύναμις, πικρὰ πάνθ' οὕτως ὠνόμασται. τὰ δὲ ὑποδεέστερα τῆς νιτρώδους ἕξεως, ἐπὶ τὸ μετριόν τε τῇ ῥύψει χρώμενα, ἁλυκὰ ἄνευ πικρότητος τραχείας, καὶ φίλα μᾶλλον ἡμῖν φαντάζεται. *In Timæo.*

Tenduntur (inquit) à lingua uenæ ad cor saporum nuntiæ, in quas si qua ita inciderint ut humidam carnis mollitiem penetrantia terrestri sua natura modicè liquefacta, uenas contrahant, atq́ꝫ desiccent: si quidem asperiora sint, acerba: sin minus, austera dicuntur. Cæterùm quæ eas abstergunt, totamq́ꝫ linguam abluunt, si quidem supra modum id efficiant, simulq́ꝫ aliquid absumant, ut de natura aliquid colliquent (qualis est nitrorum facultas) amara omnia appellantur: sin autem uim nitro inferiorem habent, leniusq́ꝫ abstergunt, salsa sine amaritudinis asperitate, magisq́ꝫ amica nobis apparent.

Hæc Platonis de salsi natura atq́ꝫ sapore sententia: id enim omne quod linguam contactu suo leniter abstergit, eluitq́ꝫ citra amaritudinis asperitatem, salsum est, salisq́ꝫ naturæ particeps. Aristoteles uerò philosophorum uno excepto Platone maximus, *Lib. de Sensu & sensili.* amarum & salsum saporem ueluti priuationem quandam esse dulcis in humore qui alere posit, quemadmodum nigrum in coloribus priuatio est albi in perspicuo corpore, ut doctè sic uerissimè affirmauit. idq́ꝫ etiam salsedinem ipsam halituum humidorum cum sicco mistione quadam certa & determinata prouenire. *2. Meteor. cap. 3.* ipsumq́ꝫ quod salsum est, ueluti excrementum quoddam esse minimè concoctum, nec à natura euictum. ob idq́ꝫ minimè alendo esse, sed pro condimento tantùm cibis apponi, dulci enim tantùm uel simplici uel cõmixto (ut idem ait) omnia aluntur. Natiuus enim calor ut auget corpus, sic & *Lib. de Sensu & sensili.* alimentum præparat: atq́ꝫ quod leue est attrahit, quod uerò salsum, amarum'ue fuerit, ob grauitatem ceu ineptum alimoniæ, relinquit. Ob id igitur urina sudorq́ꝫ salsa sunt quòd à calore natiuo probè elaborata non sint. Eius porrò lib. de Sensu & sensili hæc sunt uerba:

Καὶ ὥσπερ τὸ μέλαν στέρησις ἐν τῷ διαφανεῖ τοῦ λευκοῦ, οὕτω τὸ ἁλμυρὸν καὶ τὸ πικρὸν, τοῦ γλυκέος ἐν τῷ τροφίμῳ ὑγρῷ.

Id est: Et quemadmodum nigrum priuatio est albi in perspicuo: sic

ſalſum & amarum dulcis in humido qui alere poſsit. Lib. uerò Meteororum II.

*ἡμεῖς δὲ λέγωμεν ἀρχὴν λαβόντες τὴν αὐτὴν ἣν καὶ πρότερον. ἐπεὶ γὰρ κεῖται διπλῆν εἶναι τὴν ἀναθυμίασιν, τὴν μὲν ὑγρὰν, τὴν δὲ ξηρὰν, δῆλον ὅτι ταύτην οἰητέον ἀρχὴν εἶναι τῶν τοιούτων.*

Quod eſt: Nos autem eodem quo prius ſumpto initio dicamus. cùm enim duplicem eſſe halitum, alterũ humidum, alterum ſiccum poſitum ſit, eum eiuſmodi affectuum principium eſſe arbitrari oportere conſtat.

Ex ĳs igitur Ariſtotelis locis ſalſedinis cauſam miſtionem quandam eſſe humidorum halituum cum ſiccis certa quadam proportione miſtorum colligere poſſumus. Ob id enim mare ipſum ſalſum eſſe exiſtimat, quòd cum terra ingentem halituum ſiccorum ac ueluti uſtorum copiam ſuppeditet, ĳ autem uaporoſis & humidis item halitibus miſceantur, qui ſæpe in nubes & aquam coguntur, neceſſariò accidit ut ſemper huius facultatis non parua quædam portio intercipiatur, à qua ſalſuginoſum mare reddatur. Hæc enim Ariſtotelis ea de re ſententia eſt.

*Mare cur ſalſum.*

*2. Meteor. cap. 3.*

Itaq; falſum id erit, quod ab Auicenna dictum eſt, ſalſedinis cauſam eſſe æquam terrearum partium ſaporis amari cum humido miſtionem. Nam neque terreæ ipſæ partes ſaporis amari ſunt, neque ſi eſſent, ex harum æquali cum humidis miſtione ſapor naſceretur ſalſus, ſed potius amarus. Equidem ſi uel minima fellei ſucci, uel aloës portio, multæ aquæ admixta, amarum ſaporem non ſalſum reddit, (quod experientia ipſa planè edocet) quid fieri putandum, ubi æqua erit rei amaræ cum humida miſtio? Certè amaror uel ſummus uel ſummo proximus ex tali miſcella proueniet. Quinimo (quod in uomitibus ſæpe ſpectare licet) ingẽtem non rarò eſt uomitu eiectam pituitam intueri modicæ bili admixtã, quę id efficit ut amaritudo maxima, non ſalſedo ulla in ore percipiatur.

Non itaque ex amari cum humido miſtione ſalſus ſapor prouenit, neque item ad hunc modum ſalſæ fiunt aquæ, ut Auicenna putauit: nunquam enim ex amaro ſalſum, ſed ex ſalſo interdũ amaror prouenit. Vbi enim ſuperflua ſalſedo, uel ob nimium feruorem, uel ob aliam quampiam cauſam prouenerit, in amarum ſaporem degenerabit: ob id enim nitrum amarum non ſalſum efficitur, uel Platonis teſtimonio.

*In Timæo.*

Non temerè igitur Auicennæ credendum, qui citra omnem rationẽ, contra etiam experientiæ fidem ex amari cum humido miſtione idq; pari portione facta (quod eſt à ueritate alieniſsimum) ſalſum reſultare ſaporem affirmauit. Rectius Galenus, ut eſt rerum naturæ ſolertiſsimus indagator, qui pituitam ſalſam uel ob putredinem fieri, uel ob ſalſæ ſeroſæ cuiuſpiam humiditatis cum pituita miſtionẽ magna certè ratione aſtruxit. Eius II. de Febrium differ. hæc ſunt uerba:

*ἔστι γε δή τι καὶ τρίτον ἄλλο φλέγματος εἶδος αὐτοῖς τοῖς πτύουσιν ὀξὺ φαινόμενον, ἧττον δὲ τοῦ ὑαλώδους, μᾶλλον ἢ τοῦ γλυκέος ψυχρὸν, ὥσπερ ἕτερον ἁλμυρὸν, ἤτοι διὰ σῆψιν, ἢ δι' ἐπιμιξίαν ἁλυκῆς ὀῤῥώδους ὑγρότητος.*

Eſt (inquit) & tertia alia pituitæ ſpecies, quæ expuentibus acida apparet, eſt autem minus quàm uitrea, magis quàm dulcis frigida: Sicuti & altera ſpecies eſt ſalſa, aut propter putredinem, aut propter ſalſæ ſeroſæ

sæ humiditatis admixtionem.

Duas hic Galenus salsæ pituitæ causas easq; uerissimas assignat: putredinem, & salsæ serosæ humiditatis cum pituita mistionem. Putredo enim ob id salsuginem in humoribus inferre solet, quòd quæ putrescunt, ab externo calore feruorem quẽdam ac ebullitionẽ patiuntur: qua quicquid tenue aëreum, suaue & dulce est, dissoluitur: unde crassum & terreũ fieri, & ueluti semiassatum quod putrescit consequens quidem est. Quæ quidem terreæ partes in humore à putredine relictæ, & aqueis quibusdam admixtæ salsum saporem efficiunt: ad quem quidem modum salsas fieri aquas philosophorum summus uoluit Aristoteles. Quod sensuum fide probatur: Puteales enim quasdam aquas, si modò crassiusculæ sint, & diutius igni sint admotæ, unde feruorem acquirãt, salsas fieri uidemus: ut in Arelatensium putealibus aquis ipse de industria sæpè probaui. Atq; ad hunc modum putredo salsuginem efficit. Serosa uerò humiditas non omnis quidem id efficere apta est: sed ea tantum, quæ & suapte natura salsa est, & pituitæ ipsi aquosæ admiscetur. participatu enim suo communicationeq; eius quam possidet qualitatis (quæ salsa quidem ipsa est) salsum totum reddere potest.

*2.Meteo. cap.3.*

Hæc certè germanæ sunt salsæ pituitæ causæ: non quas attulit ineptus hoc loco Galeni interpres Auicenna, qui hunc locum Galeni enarrans, dictionem (aut) quæ disiungendi nota est, copulatiuè sumendam esse affirmauit: quod stare nullo pacto potest, ut quod diuisionẽ atq; disiunctionem significat, coniunctionis unquam sit nota.

Sed ineptior atque impudentior Gentilis, qui ruditatis arguere Galenum est ausus, rudemq; eum nominare, quauis ipse marpesia caute rudior. Hic enim diuinum hominem Galenum ruditatis titulo dedecorare est ausus? putans in eo quod salsam pituitam fieri dixit salsæ serosæ humiditatis admistione, idem eum dixisse, ac si diceret, salsam pituitam ex salsæ pituitæ mixtione fieri: quo quid ineptius? Sed tu supinitate tua & hebetudine uidere minimè potuisti, ab reliquis humoribus & natura, & substantia toto genere diuersam esse serosam humiditatem, quæ ipsa nec pituita est, nec sanguis, nec bilis, nec melancholia: ueluti serum in lacte, quod neque butyrum est, neque caseus.

*Gentilis Auicennæ interpres arguitur.*

Itaque quum salsam fieri Galenus pituitam salsæ serosæ humiditatis admistione non minus doctè quàm uerè affirmauit: nõ idem ex suɋpsius admistione fieri, hoc est pituitam ex pituita salsam reddi (ut Gentilis putauit) dixit: sed illud, pituitam salsam interdum gigni, cùm salsa quædam humiditas seri speciem referens, secum admixta fuerit, cuius communicatione talis in pituita sapor gignatur, quali serosa ipsa humiditas prædita fuerit. Atque ipsa quidem salsa pituita, ut plus saporis huius minus'ue contraxit, ita calidior aut minus calida erit. pituita enim omnis, nisi salsa fuerit, frigida & humida esse solet, uel Galeni testimonio: siquidem succum omnem in corpore frigidum & humidum pituitam appellare Galenus consueuit 11. de Febrium differ.

*2.de Fac. natu.& 2.de febri.diff.ca.6.*

Itaque cùm omnis pituita frigida sit & humida, sola salsa pituita calorem

rem nacta est, uel ob putredinem, uel ob excrementitiam quandam humiditatem secum admixtam, quæ potestate calida est. Perpetuò igitur Galenus hanc calidam potestate esse uerissimè affirmauit: nempe III. Aphor. cõmento XII. & IIII. de Ratione uictus acut. ad principiũ, & lib. de Simpliciũ facul. IIII. hoc expressis uerbis apertissimè explicauit.

Cap. 21.

πλησίον μὲν γὰρ ὅδ᾽ ἐστὶν ὁ ἁλυκὸς χυμὸς τοῦ πικροῦ, καὶ γὰρ γεώδεις ἀμφότεροι καὶ θερμοί.

Id est: Proximus quidem est salsus sapor amaro, quippe terreni ambo sunt & calidi.

*In Manardum.*

Vnde maximè miror Manardum doctissimum hominem, & in Galeni præsertim lectione exercitatissimum, Galenum salsam pituitã quandoque frigidam esse, dixisse: sic enim de illo Epist. V. libri XVIII. Nemo (inquit) admiratione affici debet, si eam etiam Galenus (de salsa pituita loquens) quandoque calidam, quandoque frigidam dicit. Libri siquidem de Victu morb. acut. IIII. & II. de Natur. facul. frigidam, primo uerò de Simplicibus medicamentis, & III. Aphorismorum calidã.

Ego certè quum hac de causa certo proposito omnes de pituita salsa ex Galeno locos colligerem, nullibi eum inueni salsam pituitam frigidã pronuntiasse. Pituitam enim absolutè ubique ipse frigidam & humidam asserit: salsam uerò ubique calidam: ut mirari subeat Manardum talia de Galeno pronuntiasse: non enim IIII. de Morbis acutis frigidam, imò apertissimè calidam dixit. Nec minus II. de Naturalibus facultatibus, ut legere est in illis locis. Quæ ego solùm obiter hic non calumniandi studio, sed ueritatis propalandæ causa attigisse uolui, ne non hæc animaduertisse uideri possem.

*Morbillos, quos nunc recepto nomine appellamus, quiq; in pestilentibus & malignis febribus sæpe apparere per modum decretorij solent, exanthemata à Galeno non esse dicta, contra Manardi sententiam: neq; Herpetes esse, ut idem uult Manardus.*

ENARRATIO VIII.



MANARDVS Ferrariensis, uir quum de bonis disciplinis omnibus, tum uerò in primis de re medica optimè meritus, lib. Epistolarũ septimo, Epistol. II. qua morborum omnium nomina uel à nostris recepta, uel à priscis prodita explicantur, Morbillos Variolasq; à nostris dicta, exanthematum nomine Galeno explicata esse recenset: uultq; ex Hippocratis, ut ille putat, sententia, morbillos quos uocamus, herpetum genus esse. Quæ cùm mihi non maximè probarentur, animaduersionem in id pro ueritatis amore esse à me faciendam existimaui. quod neq; morbillij, qui sæpe nobis in malignarum febrium exacerbationibus, aut decretorijs apparere solent, exanthemata sint uspiam à Galeno dicta: neq; de Herpetum genere ab Hippocrate sint habita. Quæ ut planius monstrem, ea nobis ex Manardo testimonia recensenda sunt, quibus ille ad id probandum ex Galeno atq; Hippocrate nititur. Eius itaq; hæc sunt uerba:

Si

Si quis, inquit, pertinax adeò fuerit, ut morbum non posse curari putet, eius proprio ignorato nomine, pergatq; adhuc inquirere, sub qua uoce de eis scripserit Galenus: dicam uocari ab eo Exanthemata: quod apertè cognoscitur legenti cap. XI. libri quinti Artis curatiuæ: ubi pustulas in quadam pestilentia in asperarum arteriarum interiore tunica, totaq; extima corporis parte contingentes, non alio quàm exanthematum nomine appellauit. Et paulò pòst: Si quis uerò adhuc aliud nomen inquirit, legat Hippocratē III. libro Epidemiorū in pestilenti cōstitutione aduenisse inter alios morbos dicentem magna ecthymata: quem locum enarrans Galenus, nuncupari ait ἐκθύματα tumores sponte in cute florentes à crassis humoribus genitos. Additq;, quòd tenues humores exulcerationem potius faciūt quàm tumorem: crassi in tumorem cutem extollunt. Ex quibus certè uerbis licet colligere, non solùm quo nomine uocati hi morbi ab antiquis sint, sed quomodo etiam inter se differant. Variolæ enim & Scopuli, à uulgo lingua Italica uocati, à materia fiunt crassiore, Morbilli à tenuiore: & illi quidem ecthymata magna, seu scopuli, minora uariolæ. Hi, hoc est morbilli, Herpetes nominātur: de quibus eodem loco ait Hippocrates, Herpetes multi magni. Magnos (ait Galenus) Hippocrates dixit, uel quia magnum occupant locum, uel quia cum maligna contingunt erosione. Vidimus autem nos morbillos quandoque altero tantum, quandoque utroq; modo magnos. Hactenus Manardus: cuius nunc sensa à nobis paulò altius ad ueri fidem sunt examinanda.

Primum omnium, Variolas atq; morbillos uno exanthematum nomine à Galeno uocata esse minimè ex illo Galeni loco V. Artis curatiuæ citato, probare Manardus potest. Nam ut fateamur pustulas eas, quas inibi exanthematum nomine appellat Galenus, cum nostris uariolis satis conuenire, quòd à sanguinis ueluti cinere atque reliquijs eius qui per febrem putruerat humoris propulsæ in extimam cutem naturæ opera sint: tamen morbillos esse non posse, nec illis id nominis conuenire, ex eo constat, quod qui morbilli à nobis uocantur pustulæ dici non merentur: quum neq; cutem pustularum in morem attollant, neq; humidum quicquam intra se contineant, quò attolli uel cutis uel subdita caro possit: sed efflorescentiæ quædam sunt ac maculæ rubeæ ex sanguine tenui & bilioso in cutem ui naturæ propulso. ut uerius στίγματα, hoc est, maculæ quædam punctorum quantitate & forma, hominis cutem & superficiem decolorantes ac uariantes, quàm ἐξανθήματα dici mereantur. Hæc enim, uel autore Galeno, tumores quidam sunt sponte in cute florentes, à crassis & cuti impactis humoribus nati. Quemadmodum uerò turgentium ad florem gemmarum in plantis modo tument, ideo nomen hoc apud Græcos inuenerunt. 5. Meth. & 5. Epidem.

Quin & ex ipsa narrata à Gal. lib. V. Artis curatiuæ historia probari id ipsum uel nullo negotio potest. Quæ enim exanthemata in pestilenti illa constitutione ijs qui euasuri essent nata recenset, & nigras fuisse pustulas, & ulcerosas apertè testatur: tum asperas atque etiam scabiosas, ut

à quibus nimirum ueluti cortex quidam decideret, uti in lepra ac psora fieri consueuit. At quis morbillis nostratibus horum quicquam conuenire dicat? nemo sanè qui probè morbillorum naturam omnem pernouerit: neq; enim exulcerantur nisi rarissimè, neq; nigri, sed rubentes plærunq; apparent: neq; ab ijs cortex squamma'ue decidit: sed ubi ui naturæ in cutem propulsi fuerint, spontè deflorescunt ac sidunt, pruritum tantum ob humoris acrimoniam inferentes.

Non est igitur quur se eo Galeni loco qui V. Therapeu. methodi scriptus est, Manardus tueatur. Nam nihil mihi minus ea narratione, & pustularum pestilentium descriptione, quàm morbilli describi uidentur. Quanquam enim ego sub exanthematũ nomine comprehendi eos commodè posse non nego, quòd (quemadmodum antea dixi) turgentium ad florem gemmarum in plantis modo tument: tamen sub eo exanthematum seu pustularum genere contineri, de quo præfato loco Galenus, ut credam adduci minimè possum. Non enim profectò de nostratibus morbillis eo loco locutus fuisse Galenus, sed magis de pustulis quibusdã crustosis & uariolis ulcerosis à crasso & fæculento sanguine genitis, ipsa eiusdem loci series demonstrat.

Nec quæ ab Hippocrate III. Epidemiorum libro in pestilenti constitutione euenisse magna ἐκθύματα affirmat, morbillos fuisse ex Galeni commentario constat. eum enim locum enarrans Galenus, ἐκθύματα tumores in cute sponte florentes à crassis humoribus genitos uocari ait: non ergo morbilli ecthymata esse possunt: quum illi à tenui & bilioso sanguine, hæc à crassis humoribus, ut testatur Galenus, fiant. Vnde falsum hoc loci fuisse Manardum abundè constat, qui morbillos ecthymata uocata fuisse ab Hippocrate affirmat, & Herpetes nominari ab eodem dixit.

In quem errorem, tantum alioqui uirum, lapsum fuisse maximè miror: quis enim unquam Herpetum uel naturam uel nomen morbillis accommodauit? nemo sanè Græcorum, nemo Arabum, nemo Latinorum, quod equidem sciam. Sunt enim Herpetes autoribus Hippocrate, Galeno, Paulo, Aëtio, fluxiones seu præter naturã tumores, à bili sola enatæ, cùm bilis ipsa excreta in aliquo membro sola constiterit. quæ si crassa sit secundum substantiam, Herpetem exedentem quem uocat Hippocrates facit: si uerò tantum cutem deurat, herpes simpliciter uocatur. Itaq; Herpetes omnes uel cutem deurunt, uel si crassiore substantia sint, carnem exedunt: morbilli uerò nec à bile sola, sed magis à sanguine bili permisto, ut uult Auicennas, nascuntur: nec cutem exedunt, ulcus'ue creant, sed ruborem quendam cum pruritu inferunt ac sponte sidunt, ut experientia comprobatur.

*Ex Gal. 2. ad Glau.*

*Fen. 1. quarti.*

Mirari igitur subit, quid Manardo in mentẽ uenerit, ut Herpetes morbillos esse crediderit: quũ longissime & substantia, & euentu, & symptomatis ab inuicem differre uideantur. Adde quòd non ad fidem Græci codicis Hippocratis uerba Manardus citare uidetur: sic enim de Hippocratis sententia locũ adfert, Herpetes multi magni. Cùm apud Hippocratem non sic legatur, sed Herpetes multis magni. Sic enim Græcè habetur.

Καὶ αἰθιόπισιν ἄνθρακες πολλοὶ κατὰ θέρος. Καὶ ἄλλα ἃ σὴψ καλέεται, ἐκθύματα μεγάλα. ἕρπητες πολλοῖσι μεγάλοι.

Quod est: Carbunculi per æstatem multi, & aliæ quæ seps uocantur, pustulæ magnæ. Herpetes multis magni.

Quanquam in idem ferè coincidunt dicere, Herpetes multis magni.

Atq; hic quidem modicus est lapsus: maior ille quidem certè, quòd morbillos nostrates herpetum, genus esse existimarit: quum Hippocrates atq; Galenus eo quem citat loco, diuersum omnino censuerint. Voluerunt enim ob prauos consistentes in corpore succos, putredinem increuisse magis: æstate uerò excipiente, neq; ipsa Etesias habente, multò magis inualuisse: ideóq; & calidos morbos plures, & prioribus deteriores uiguisse (carbones nempe, papulas, & Herpetes, seu serpentia ulcera) quæ quidem ob id magna ab Hippocrate uocari scribit Galenus, aut quòd adiunctam malam exulcerationem haberent: aut quòd multum occuparent loci: Morbillos uerò neq; plurimum occupare loci, ob idq; nec magnos dici, nec in ulcus desinere unquam (nisi rarissimè) sanè uidemus, cùm ipsi sponte breuiq; posteaquàm in cute effloruerunt tempore euanescant, nulla relicta ulceratione.

Plenius itaq; de ijs, & quantum ad substantiæ rationem, & quantum ad curationem, Arabes medici quàm Græci tractauerũt. Auicenna præcipuè, qui Fen prima quarti, post febris pestilentis tractationem, eximiam subiecit de uariolis & morbillis narrationem: indicans & ab sanguinis & humorum feruore isthæc papularum genera nasci: & per modum crisis cuiusdam fieri, transmittente scilicet quæ nostrum corpus regit facultate, in extimas corporis partes uitiosos succos: ostendens etiam, & quibus temporibus, ætatibus, anni constitutionibus magis eueniant: & qua methodo sint persanãdæ: idq; profectò non minus copiosè quàm doctè. Nam cùm & à sanguinis feruore quodam nasci, & naturæ opera extrudi in cutem rectè existimarit, utriq; magna methodo occurrit: feruori quidem, illam per sanguinis missionẽ à principio extinguẽdo: naturæ uerò decretorio, illam ad expulsionem congruis medicaminibus iuuando, iuxta illud Hippocratis, Quæ ducere oportet, quò maximè natura uergit per loca conferentia eò ducere. Quam quidem ego methodum omnium longè absolutissimam puto, quum sit nimirum medicus (uel autore Hippocrate) naturæ minister, eam quoad fieri potest coadiuuans. Atq; hæc ego in præsens de Auicenna, id ut ostenderem non omnino (ut pleriq; nunc uolunt) tanti uiri dogma abijciendum esse: sed multoties amplectendum, atque imitandum, ubi præsertim rectè quid tractasse nobis exacto iudicio illius methodum examinantibus uidebitur.

*Explicationes dubiorum ac locorum quorundam ex meis in Galenum commentarijs ad libros de morbis & symptomatis Galeni ad Ludouicum Cuarinum medicum.*

## ENARRATIO IX.

REDDITAE mihi sunt à te literæ, quæ mihi sanè gratissimæ atq; iucundissimæ, uti quæ à bonis & doctis proficiscuntur omnia, acciderunt. In quibus ipsis, cùm & dictionis filum, structuram, sermonis simplicitatem ualde probarim, multò certè magis animi in me tui propensionem, rectitudinem, summamq; quandam prudentiam, qua maximè ornari epistola tua mihi est uisa: est enim prudenter & doctè scripta. Quantò autem studium tuum in percipienda ueritate eorum de quibus ad me scribis probo, tanto certè illud alterum minus probo, aut potius in te damno, quòd me immodicè laudas: quas ego laudes, si tam ex iudicio quàm ex amore profectas intelligerem, agnoscerem fortasse: nunc uerò reijcio. Respondebo autē literis his tuis ut occupatissimus, sic tamen ut officium tu à me desiderare minimè possis. Explicationem eius loci apud Galenum quæris. Si detur corpus quàm simplicissimum, atque unum ipsum neq; intendi nec minui posse. Locum hunc, ni meus me fallit animi sensus, in meis commentarijs uideor exactè satis & dilucidè explicasse: tamen hic compendio, quæ tibi satisfactura putem, adijciam: illud inquam, Scopum fuisse in libro de Morb. differ. Galeno, omnes morborum differentias demonstratiua quadam mothodo pertractare, atq; docere. Quamobrem ab certissimis quibusdam & solidis principijs tractationem omnem ingredi eum oportuit: quale illud est, Quod moderatum est, naturale esse: quod immoderatum, contra naturam. Et item, Quēuis se sanum esse putare, quum partiū corporis adminiculo munijs ad uitam necessarijs citra noxam fungi potest. Quum uerò morborum multiplices differentias propius esset traditurus, à uarijs compositionis corporis modis inchoandum illi fuit, ut à quibus omnis morborum uarietas nasceretur: ex quo enim corpus ex multis uarijsq; partibus constat, multiplicesq; admittit maioris, & minoris differentias, ob id certè uarijs est obnoxium morbis: uti etiam Hippocrates apertissimè libro de Humana natura monstrauit, inquiens:

Ἐγὼ δέ φημι εἰ ἓν ἦν ὁ ἄνθρωπος, οὐδέποτ' ἂν ἤλγεεν. οὐδὲ γὰρ ἂν ἦν ὑπὸ τοῦ ἀλγήσειεν ἓν ἐόν. εἰ δ' οὖν καὶ ἀλγήσει, ἀνάγκη καὶ τὸ ἰώμενον, ἓν εἶναι. νυνὶ δὲ πολλά, πολλὰ γάρ ἐστιν ἐν τῷ σώματι ἐόντα, ἃ ὁκόταν ὑπ' ἀλλήλων παρὰ φύσιν θερμαίνηταί τε καὶ ψύχηται, καὶ ξηραίνηταί τε καὶ ὑγραίνηται, νόσους τίκτει. ὥστε πολλαὶ μὲν ἰδέαι τῶν νοσημάτων, πολλὴ δὲ καὶ ἡ ἴησις αὐτέων ἐστίν.

Quod est: Ego uerò dico, si homo una re constaret, haud utiq; doleret, neq; enim esset unde doleret, si unum tantummodo foret. Quòd si affligeretur, una utique curatio necessariò foret. Contrà nunc plures existunt, quia plura in corpore sunt, quæ cùm plus iusto inuicē calefiūt, aut refrigerantur, aut siccescunt, aut humectantur, morbos pariunt: ex quo multæ habentur morborum species, multæ & eorūdem curationes.

*Explicatio loci Galeni.*

Quod

Quod Galenus demonstrare uolens, ab Hippocratica demonstratione exorditur: nempe ea, Si detur corpus simplicissimum, ac maximè unum, ipsum neque intendi, nec minui posse. Est autem hoc Hippocrati in libro de Humana natura demonstratum ad hunc modum: Quod dolet, ex pluribus conflatum esse oportet: dolet autem homo: igitur ex pluribus constat: (nam hoc unum præcipuè demonstrare uult eo loco Hippocrates, hominem ex pluribus constare, aduersus eos, qui unum esse dicebant) demonstratio sanè est hæc, in eo libro tractata. Cuius erat assumptum illud probandum Hippocrati, Quod dolet, ex pluribus esse conflatum. Probat autem hoc medio: Nam quod unum omnino est, dolere non potest, non enim esset à quo doleret, si unum tantùm foret.

Vides igitur quod hic à Galeno dicitur, si detur corpus simplicissimum, medium esse Hippocraticæ demonstrationis? Quod quidem Galeni dictum, de uno siue specie, siue numero, siue genere intelligatur, uerissimum esse puto: siue enim homo in specie simplicissimum quid atq; unum sit, omnem multiplicitatem excludens, atq; omnem compositionis modum, uerissimum erit, ipsum in specie sua neque intendi, nec minui posse: neq; corpus illud specie unum, numero plura, ut tu uis, maioris minorisq; rationem suscipiet, si ad hunc Galeni modum simplicissimum, & maximè unum constituatur: non enim habebit unde hanc diuersitatem suscipiat, ex quo simplicissimũ & maximè unum esse ponitur. Nam esse maximè unum, omnem multiplicitatem atque uarietatem excludit. Ego tamen in exemplo locutum fuisse Galenum, atq; de uno numero intellexisse, uel ex ipsa textus serie testatissimum puto.

Quòd me de humoribus mentionem fecisse ais: feci quidem, & ad Hippocratis mentem arctissimè me coniunxi. Quid enim ille præcitato libro? Corpus, inquit, humanum continet sanguinem, pituitam, & bilem duplicem, tam flauam quàm amaram: & hæc illi sunt natura corporis, & propter hæc ægrotat & ualet. Quæ eadem in meis commentarijs scripsi. Hæc de primo.

De secundo illa, Mirum tibi minimè uideri debere, Galenum qualitates elementares pro suis ipsorum formis aut potius naturis (nam Galenus formas non agnoscit, naturas agnoscit) posuisse. Frequens est hoc Galeno, frequens Hippocrati, ut qualitates, quæ secundum rei naturam insunt, formas rerum, & naturas appellent. Sic Hippocratem temperiem naturam nostram esse dixit: sic quoq; Galenus. Ille enim conflatam ex calido, frigido, humido, & sicco symmetriam, hominis naturam multis in locis esse testatur. Galenus uerò 1. de Vsu partium, Temperamenta, inquit, propriam particularum substantiam complent. Corpus enim tale pro natura est, propterea quòd caliditate, frigiditate, humiditate, siccitate sic commistum est: nam carni esse carnem, & neruo neruum, & aliorum unicuiq; id esse quod est, per qualitatum quatuor prædictarum certam quandam temperaturã mistionemq; contingit. Hæc igitur eis (subdit) secundum substantiæ rationem insunt.

Vides Galenum temperiem substantiam appellare, & eam esse pro-

priam particularum substantiam? sumunt enim medici substantiæ nomen paulò crassius & latius quàm philosophi, pro eo scilicet quod cuiusq; rei essentiam uel constituit uel conseruat: secundum quem modum in Arte medicinali ea quæ ingrediuntur medicinæ definitionem, atq; adeo definitionem eam quæ optima sit, substantialem uocat. Et de signis eodem libro loquens, quædam ex his secundum substantiæ rationem inhærere scribit. Quo loquendi modo Aristotelem quandoque usum fuisse legimus, dum diuitias hominum substantiam esse dixit, quòd eæ hominem conseruent, & à periculis tueantur. Quo pacto Galenum dixisse crediderim, temperiem propriam particularum substantiam complere: quòd eam stabiliant atque conseruent. Pereunte enim temperamento partis, perire quoq; & functionem eius est necesse.

Tertium quod quæris est, cur omnium morborum acutorum incertas esse mortis aut salutis prædictiones dixerim. Ego uerò nullibi id me dixisse iurare sanctissimè possum: neq; tu illud in meis commentarijs legisse potuisti, tantum id me dixisse confiteor de occultis morbis opinione quàm arte potius iudicari quod interni morbi aut non omnino certas & euidentes, aut certè coniecturales habeant notas: quod in de Locis affectis libris Galenus testatur, adducitq; eo loco Hippocratis aphorismum Græcè, particulamq; illam πάμπαν pro non omnino interpretor, non autem pro omnium: neq; enim sum tam insciens Græci sermonis, ut uoces has duas πάμπαν & πάντων, distinguere nesciam. Commentarios itaq; meos, seriemq; huius rei omnem, quæ pagina XLIII. meorum Commentariorum scripta est, maiori deinceps iudicio, atque attentione leges.

Venio ad historiam de Boëthi uxore seruata, quam in oratione mea reprehendis. Meritò quidem reprehendenda illa à te esset, si ex me esse intelligeres. sed scito deprauatissimum esse à nebulone castigatore hunc locum, quem dij hominem male perdant. Nam in exemplari manu mea scripto sic à me posita est: Galenus certè ob unam Boëthi uxorem muliebri profluuio liberatam, quadringentos se aureos nummos (regium planè munus) mercedis loco accepisse testatur. Castigator uerò pro regium munus, regium morbum apposuit. Vides erratum insigne. An me tu tam lectionis Galenicæ contemptorem esse credis, non ut illam totam historiam in lib. de prænoscendo positam, atq; adeò uniuersum librum & milies legerim, & memoriæ commendarim? Habebor fortasse à quibusdam malus orator: sed modò non malus medicus susq; deq; faciam.

Hæc habui Ludouice, quæ ad te pro me scribenda medijs in occupationibus habui. Tu boni consules & defensionem meam doctis aliquot si tibi uidebitur communicabis, quò per te tutari à calumnia possim. Efficies uerò quod Galenus uirtutis & ueritatis amantes atque studiosos facere iubet, ut in percipiendis demonstrationibus industriam omnem ponas, non facilè uerò insurgas: sic enim te decet. Vale.

*In Commentarijs ad lib. de Nat. hum.*

Super

*Super iisdem dubiis atq; nonnullis aliis ad eundem Ludouicum Guarinum explicationes.*

ENARRATIO X.



ETSI ita uariis curis distineor, ut uix mihi ad mea priuata studia tractanda (à quibus iam ferè alienior sum factus) tempus supersit ullum: tamen quum te miro sciendi atq; intelligendi studio teneri, summoq; quodam ueritatis amore flagrare perspiciam: committendum mihi sanè non putaui, quando tantum tu mihi tribuis, ut de quibus dubitas, certior per me fieri uelis, idq; tibi persuaseris, ego in hoc genere officij tibi desim. Itaq; quid ad proposita mihi à te dubia recenti hac tua epistola respondendum existimem, breui explicabo: præteritis ijs, de quibus per Saportam scripsi. Nam longum esset ea recensere, nec epistolæ modus caperet. Tantum dicam de incerta acutorum præsagitione non aliena me ab Hippocratis & Galeni sensis in meis commentarijs adduxisse. Nam etsi particulam (Non omnino) pro Non omnium, explicare in aphorismi commentario uidetur Galenus: ut sit sensus, Non omnium acutorum incertas esse salutis aut mortis prænuntiationes, quum sint aliquorum certissimæ, uti ex II. Præsagiorum libro de Crisibus, & de Prænoscendo, probari facillimè potest: tamen non eò fit, quin interni morbi (de quibus in meorum commentariorum pagina XLIII. loquor) & incerti sint, & de ijs ipsis opinione potius quàm arte iudicetur (sic enim lib. de Flatibus scribit Hippocrates, aut quisquis tandem illius libri autor fuerit) sed & in acutis illud quoque uerissimum est, quanquam non omnibus. Nam in ijs, quod ait Galenus, propter subitam in iudicatione permutationem, uariumq; agitatum humorum, falli interdum medicum contingit. Quod & in pestilenti febre quàm sæpissimè euenire testatum Auicenna facit. Sed hæc de primo. quin 2. Aphor. cō ment. 19. Fen. 1. quarti

Quòd uerò Calculum, Suffusionem, & id genus cætera, morbos constituerim: cum Galeno id mihi iure uideor fecisse, qui isthæc omnia morborum nomine dignatus est. Nec id repugnat cum eo, quod paulò pòst à me pagina LXXXV. adfertur, Morbum esse qualitatem. Nam etsi præfata omnia, Calculus, Grando, Suffusio substantiæ quædam sunt, non ea tamen ratione morbi sunt censendi: sed qua constitutiones quædam sunt præter naturam primò actioni incommodantes. Est enim perpetuò Morbus in prædicamento qualitatis, ueluti eius contrarium Sanitas: utrunque enim in habitus uel dispositionis ordine. Nec inconuenit idem sub diuersis attributis (quæ Prædicamenta uocant) alia atq; alia ratione locari. Pater enim in prædicamento est substantiæ, atq; relationis: sic calculus, grando, suffusio si eorum naturæ spectentur, substantiæ sunt: si prout læsionem inferunt, habitus uel dispositiones. Sicq; omnis mihi tolli pugnantia uidetur.

Tertium illud est, Cur ab eorum albo quæ propriam actionem habere dicantur, cutem non exceperim. Si de externa loqueris, illam ego in-

strumenti loco non habendam iure censeo: si de interna, & quæ uel Aristotelis testimonio tactus organum est, minimè excludere eam debui: propriam enim ipsa habet actionem: hoc est, eius generis, quæ à nullo alio quàm ab ipsa cute perfici possit, nempe qualitatū discrimen. Discernit nanque ipsa tangibiles qualitates omnes, ut libris de Vsu partium, & de Temperamentis Gal.

Explicatio uerò eius Galeni loci mea (quod si corpus quod in tumorem attollitur nullam propriam habeat actionem) duriuscula tibi, ac nonnullis alijs uidetur. Ego tamen, si quid in Galeni sensis explicandis iudicij habeo, uideor mihi congruentissimè eam partem ad Galeni mentem explicasse. Nam quum 1. de Vsu partium, multisq; alijs locis, scriptum sit ex Aristotelis dogmate, partes à natura non frustra, sed in usum aliquem esse factas: alienum sit à ueritate dicere, uenæ tunicam, de qua in exemplo Galenus, nullam propriam habere actionem: habet enim saltem eam, cuius gratia facta est, nempe ut uenam integat, & firmiorem ab iniurijs reddat: actionem igitur unam aliquam ea pars habet: si modò hoc actionem uocare uolumus. Sed quum ea pars, nempe uenæ tunica, nihil per se ipsa efficiat quod ad corporis conseruationem alicuius sit momenti, propterea nullam propriam habere actionem iure dicetur: non enim concoquit cibum, aut sanguinem conficit, non distribuit, non quicquam facit unde corpus iuuari possit. Nec ego id de instrumentario tantùm, sed & de simplici, ut tu rectè sentis, intelligendum censeo. adæquè enim de utroq; uerum est quod eo loco adfert Galenus. Tu uerò meliora ipse statues, deq; re tota pro doctrinæ tuæ puritate atq; magnitudine iudicabis. Es enim tu in ea urbe, in qua uel parietes ipsi solidam doctrinam spirantes meliora te docere poterunt: sic de Athenarum scholis olim dictum legi. Tu ualebis, & præstantes istos uiros, professores medicos, plurimum ex me saluere iubebis: in primis D. Saportam, & Rondelesium, atque Staphetum.

*Primi libri enarrationum Medicinalium finis.*

# FRANCISCI VALLERIOLAE MEDICI ENARRATIONVM MEDICINALIVM LIBER SECVNDVS.

*Aliquot Caleni locorum explicationes ad An. Saportam medicum.*

## ENARRATIO PRIMA.



VM ME tua omnia incredibiliter delectare soleant, tum quæ mihi à te recens data est epistola, mirificam mihi lætitiam uoluptatemq; attulit: erat enim tum elegans & docta, tum amoris & officij plenissima. Illud enim ego à te rectè amanterq; factum sum arbitratus, quòd quum eam fuisse amicitiæ nostræ uel conseruandæ, uel etiam augendæ rationem meam intellexeris, ut ea nulla esse alia maior potuerit, in eoq; officij genere, tanta mihi contentione atq; studio decertandum putaui, quãta nunquam antea ulla in re, deesse tu tibi noluisti, quin mihi quanta maxima posses cura, animi in me amando tui propensionem, multis iam & claris testimonijs mihi perspectam atque probatam, suauissimis etiam tuis ad me literis declarares. Quæ in eo potissimùm summum tuum erga me amorem indicare sunt uisæ, quòd quæ tibi ex meis Commentarijs maximè non probantur, ea ipsa à te seueriore iudicio sub censuram reuocata, in medium à me uel planius explicanda, uel doctius interpretanda adduxisti: idq; cùm doctè & acutè, tum certè plenè & luculenter. Quibus omnino literis quoniam me amantissimè prouocas, respondebo: non tam quidem aduersandi tibi studio, quàm tuendi mei: neq; tam refellendæ tuæ sententiæ causa, quàm ut quæ me rationes impulerunt ut sic Galenum interpretarer, eas tu rationes cognosceres. Siquidem reddendam esse suam cuiq; sententiæ rationem à Cicerone tuo proditum est. Eam uerò epistolæ tuæ partem, qua commentarios meos eruditionis & eloquentiæ titulis immodicè ornas, quos ego neq; agnosco, neq; sine rubore (tenuitatis utiq; meæ conscius) audire possum, totam relinquam, in teq; ac tui similes totam conferam: qui & ingenio, & eruditione, & multa multarum rerum cognitione & usu præstatis.

Sed iam ad locos à te notatos, quorum prior ille est, quòd caput ego secundum primi libri enarrans, per meatus, Galenum patentiores quasdam, ac tenuiores nostri corporis partes per uniuersum diffusas (ut mea ipse uerba referam) intellexisse existimo. Rursusq; caput eiusdem libri quartum exponens, per meatus non tam partes has, quàm internas quasdam

dam eodem ipso meatuum nomine intelligi uolo : uti uesicam, intestina, uenas, & arterias : quæ tu pugnare inuicem putas, nec item meatuum externorum ope difflari corpora nostra, sed cordis & arteriarum munere existimas.

Respondeo, diuersa omnino esse, aliquid ueluti definitione explicare, & hoc ipsum quod definitione explicatum est, è mente autoris, quem interpretamur esse dicere. Ego quum caput secundum libri primi interpretor, quid sint Meatus descriptione quadam explico : esse inquam tenuiores quasdam nostri corporis partes totius, difflationi ac perspiratui seruientes, quas Græci πόρους uocant : non tamen illud dico, de ijs solis Galenum esse locutum, quanquam eo loci uerisimile est de ijs intellexisse, quòd ijs uel plus iusto nimium adstrictis, uel reseratis, morbi sequerentur. ut paulò pòst sub initium quarti capitis idem autor in hæc uerba pronuntiat. Itaque (inquit) si uel ossium aliquod, uel caro, uel reliquorum corporum quæ sensus iudicio simplicia uidentur aliqua adeò fuerint uel astricta, uel rara, ut à mediocritate aberrent ea malè affecta esse pronuntiabimus.

Ex quo loco facile est uidere non tam Galenum de meatibus illis partium uerè simplicium, ut tu arbitraris : quàm, ut ego interpretor, de ijs etiam quæ sensus iudicio simplicia uidentur, qualia sunt uenæ, & arteriæ, intellexisse : uti etiam ex VI. Anatomicarum administrationum, & in de Vsu partium mille locis probari apertissimè potest, quum Galenus meatus fellis, & urinarios, instrumenta uocat, ut intelligas meatus nomine illa etiam comprehendi, quæ instrumenta sunt, & cauitates habent : siquidem πόρος Græcè foramen meatumque significat.

Porrò meatibus ipsis, per uniuersum diffusis, non solis arterijs ac corde difflari corpora nostra tam est ex Hippocrate & Galeno manifestũ, ut probatione non egeat. Conspirabile est (inquit Hippocrates) uniuersum corpus. Galenus uerò in commentario ad librum Hippocratis de Ratione uictus priuatorum (quem nonnulli Polybio adscribunt) Respirationem eam uocat, quæ fit per os & nares spiritus translationem : Perspirationem uerò, aut Transpiratum, qui per totum ex æquo corpus accidit. atque idem XI. Methodi. Alioqui nisi meatuum ope interna perfrigerentur, qui fieri potest, ut ijs stipatis, aut alioqui obstructis, calor in corpore accendatur, eisdem reseratis discutiatur? ut IX. Methodi Galenus. Ex causis enim caloris, meatuum stipationem unam esse Galenus II. de Morborum causis VIII. & IX. Methodi uoluit. Sed hæc de primo.

Facilior est ad secundum dilutio. Rectissimè enim mihi & ad Galeni mentem eam capitis secundi partem [Verùm etiam per se tota maioris minorisque rationem suscipient] interpretari uideor : tum enim maximè ipsa per se tota alterari corpora uidentur, quum uel plurimæ, uel saltem principes partes contrarijs qualitatibus inuicem agunt. Quum enim alteratio omnis à contrario sit, uel omnium philosophorum & medicorum communi sententia : tum sanè ipsa per se tota alterari corpora continget, quum aliæ in alias partes repugnantibus iusto tẽperamenti modo

do qualitatibus agent, idq; ab interno principio quodam, quod uerba illa [Per se] indicant.

Itaq; quum ex elementis & corpora ipsa, & corporum partes (ut tu rectissimè sentis) constituantur, tum sanè tota per se alterabuntur corpora, quum hæc ex quibus constant, contrarijs quibusdam ac naturæ repugnantibus motibus inuicem agere cœperint. Agunt autem tum maximè in hunc modum, quum quæ calidiora in corpore sunt, in frigida agunt, uel contrà: & quæ humidiora in licciora. At ubi hæc magis fieri uideas, quàm ubi uel plurimæ in corpore partes, uel saltem principes (à quibus totum corpus coaffici uehementer solet) diuerso & contrario influxu inuicem agunt? Verissimũ igitur illud est, & Galeni sententiæ congruens, Ipsa per se tota corpora alterari, alijs in alias partibus influxu quopiam contrario agentibus: quanquam & alijs modis possunt per se ipsa tota corpora alterari.

Quod tertio loco affers de carne musculi, non magnam difficultatem habet. Nam etsi in textu Galenus Musculum, ego Carnem pro musculo in Commentario quarti capitis posuerim, idem cum Galeno dixisse uideor, qui interdum musculum nomine carnis intelligi uult, uti XII. de Vsu partium, quo loco musculi & tendinum constitutionem ex professo tractat: nam ab ea, ut quæ mole totum superat, nominari rectè musculus potest. quanquam ipsa actionis præcipua causa non sit. Nam etsi Galenus tendinem esse dicit actionis præcipuam causam, quo nunc citaui loco: tamen I. de Motu musculorum, non tendini neque carni, sed neruo principatum actionis tribuit: inquit enim, Quid igitur sit musculus clarè dictum est, nempe motus uoluntarij instrumentum. dictum est etiam, unde principium motus sit ipsi, & per quæ: puta à cerebro, & per neruos. Hæc in de Motu musculorum. Pauloq; antea dixerat, Proprium uoluntarij motus instrumentum musculum esse. Vides igitur in hac re Galenum uarium esse, ut modò musculo per neruum, modò per tendinem principatum uoluntarij motus tribuat? Sed hac de re plenius in quadam in id facta enarratione à me dicetur.

Ad aliud de gargareone uenio. Legeram quos adfers ex Galeno & Paulo locos, sciebamq; uuam gargareonis affectum quendam esse; sed id non facit quo minus & parti ipsi non conueniat, recteq; gurgulio uua uocari possit. Sic enim Plinius, Celsus, Alexander Benedictus, primæ notæ homines nominandam censent. Plinius enim de Brassica lib. XX. *cap.10.* tractans, Radicum cinis (ait) uuæ in faucibus tumenti tactu medetur. Et de oniti prasio, capite eiusdem libri XVII. Tonsillis (ait) & uuis medetur. & cap. XVIII. de aneto: Cinis eius uuam in faucibus leuat. Et millies alibi. Celsus lib. VI. cap. XIIII. idipsum: Vuæ, inquit, inflammatio terrere quoq; debet. Et paulò pòst, Illinenda ipsa uua uel omphacio uel galla. Alexander Benedictus lib. VII. cap. IIII. uuæ nomen tam parti ipsi, quàm morbo commune esse apertè declarat. An non me grauissimis autoribus tueor? Sed hæc leuis est de nomine contentio: quorum ut non omnino curam omnem abijcere oportet; sic anxiè in illis

uersari

uersari ineptissimum Galeno semper uisum est. Sed hæc hactenus.

Quòd pagina LXVI. meorum Commentariorum à me dictum non probas, Tendones membris membra annectere ac colligare, idq; ligamento potius quàm tendoni conuenire arbitraris: errati ueniam deprecarer, ni Galenum ducem strenuum à me stätem haberem, qui id munus, membris membra connectendi, non tam ligamentis, quàm tendonibus tribuit. Libro enim de Vsu partium primo, utilitatem tendinum recensens, ad hunc modum loquitur: Vtilitas (inquit) eorum est secundum componentium naturam: etenim sentiunt & mouentur secundum impetum, & colligant musculos osibus. Quid apertius dici potest? quid ad meam firmandam interpretationem ualentius, aut planius? Sed quid ille idem meus & omnium bonorum dux lib. I. de Musculorum motu? Meritò, inquit, sanè tantus & talis factus est (de tendonis structura loquens): ut qui & ligamenti & nerui usum exhibiturus sit: alligat enim musculum subiectis osibus in quæ inseritur. Hoc duce, atque patrono, in hac parte planè mihi palmam ipse uolens sciensq; tribuo: illudq; ex eiusdem autoris sensis adiicio, Ligamenti duplex esse nomen, cõmune scilicet, & proprium. Hoc quidem, quòd ei tantum parti conueniat, quæ neruosæ naturæ cùm sit, ex osse prodeat, & in diuersam quandam ab osse naturam degeneret. Illud, quòd ex æquo tendoni in os & articulos desinenti musculosq; osi colligãti conueniat. An non hæc Galeni sunt? quæ quoniam reuera sunt, quantum momenti atq; præsidij ad mea roboranda habeant tute ipse perspicere planè potes.

*1. de Motu muscul.*

Postremò illud, Tu minimè fieri posse putas, ut peritoneum (quod ego pagina LXIIII. meorum commentariorum affirmo) in scrotum deuoluatur, nouamq; esse ramicis speciem medicis incognitam existimas. At ea Auicennæ fuit non ignota, qui inter ramicis species eam adnumerat, quæ ex uelamine descendente fit: per uelamen, peritoneum, ut omnes eius interpretes uolunt, intelligens: quod & ipsa literæ series indicat. Fit (inquit) ruptura ex coitu super nauseatiuam satietatem, & aggregationem uentositatis, & egestionis in uentre: quare descendit aut zirbus, aut uelamen & intestina. Hoc item Paulo fuit persuasum, quum interdum protruso peritoneo ramicem fieri prodidit. At quò protrudi peritoneum potest? In inguen scilicet, si leuis sit causa: uel si paulò fortior, etiam in scrotum: quanquam raró id ego fieri planè confiteor.

*Fen. 22. tertij. cap. 2.*

*lib. 3. cap. 53.*

Atq; hæc ego ad te in præsens mi Saporta tumultuaria scriptione in medijs occupationum fluctibus sufficere arbitror. Quæ si à me non ea puritate atq; dictionis & sententiarum ubertate scripta sunt, quae uel eruditio tua, & ampla rerum cognitio: uel ipsa rei dignitas postulabat, quum ingenij mei uiribus, (planè ut scis exiguis) tum occupationibus uarijs meis, quibus in diuersum rapior, iure adscribes. Vale, & collegas tuos omnes, uiros præstantissimos ex me plurimùm saluere iubeto.

Acut

*Acutior'ne sit ex sanguinis & humorum putredine intra uasa quæ nascitur febris, quam συνοχὸν Græci uocant, an quæ ardens uocatur: & an idem sit acutam esse febrim atq; ardentem dicere: Disputatio cum Hieronymo Lopi medico præstantissimo habita.*

## ENARRATIO II.



AD Lopij mei ædeis, quò sæpe ego non animi causa solùm, sed instruendæ atq; informandæ rectius mentis gratia (est enim sanè quàm doctus homo, & omnibus omnium bonarum disciplinarum atq; artium ornamentis illustris) de multo manè cùm diuertissem, statim ille me in aperta illa sua ambulatione, uti semper solet, complexus, consalutauimus inuicem: mox'q; spatijs à nobis aliquot confectis, quum de illo interrogassem, ecquidnam matutino illo tempore serij studij tractasset.

In eo, inquit, Francisce totus hodie fui, ut quid Galenus & Paulus de continentibus febribus sentirent, tota mentis intentione conquirerem atq; peruestigarem: in eum'q; legendo incidi locum, qui mihi scrupum sanè non minimum nec satis, ut mihi quidem uidetur, explicatu facilem iniecit: de quo tecum in præsens, quando ita sors tulit, ut in tempore adueneris, disserere prolixius meo more constitui. Atq; illud in primis de te quæro, utra'ne tibi febris acutior uideatur: an quæ ex putredine sanguinis nascitur, an quæ ex putrescente bile, id'q; intra uasa, quod genus febris qui Græcè sciunt καῦσον ab ardore uocari uolunt, uti illud alterum genus συνοχόν.

Ad quæ ego: Ne tu quidem hodie Hieronyme matutinas has horas malè reposuisse mihi es uisus, qui in hac re bonæ frugis plenissima meditatò uersatus sis: ea'q; nunc diluenda proposueris, quæ tu iam longo studio atq; intenta meditatione perspecta prorsus'q; confirmata habes: quæ in id mihi nunc à te proposita arbitror, ut quantũ iudicio, quantũ ingenio, & extẽporario de re quapiam disserendi usu ualeam (quæ in me sanè omnia minus quàm mediocria esse sentio) hac ueluti exercitatione experiare. Quanquã uerò mearũ uirium conscius, haud satis pro rei propositæ magnitudine tibi uiro acutissimo satisfacere me posse confidã: dicam tamen ut in buccam uenerit, quicquid diluendæ propositæ mihi abs te quæstioni idoneum esse fuero arbitratus, hinc sumpto initio.

Continentes uocatas febres eò maximè dici, quòd ad infebricitationem (Græcis ἀπυρεξίαν uocatam) antequã ex toto soluantur non desinant; sic nanq; Galenus de Crisibus II. IX. Methodi, & de febrium differ. II. quas quidem communi nomine omnes Græci συνεχεῖς nominandas statuunt, ueluti quandam earum speciem συνοχόν, quæ scilicet ex sanguine intra uasa efferuescente, uel certè putrente nascitur. Harum porrò omnium etsi multiplex est differentia, unus tamen generationis modus, nempe corporis succis intra uasa efferuescentibus, uel certè corruptis. Quippe quum occasione accepta aliqua, uel refrigerationis, uel stipatæ cutis, uel calfactionis immodicæ à sole, motu, balneo, ira, uenere, incauta uictus ratio-

ne, qui intus in uenis reconditi sunt humores agitari cœperint, si non liberè perflentur, accendi atque putrescere solent, sicque febrem gignere, quæ propterea continens est, quòd eius qui accenditur humoris nihil quicquam effatu dignum ab initio ad crisim usque foras effluat, nempe intra uasa conclusum: atque ob id ad infebricitationem non perueniunt, quòd perpetua è uasis ipsis in quibus accensus concluditur humor, ad cor ipsum euaporatio fiat. Tumque solui febris solet, quum naturæ opera foras pelli humor potest, uno aliquo excretionis genere, nempe sudore, soluta aluo, sanguinis profusione, aut uomitu. Propterea uerò intermittentibus acutiores hæ sunt, quòd maius naturæ negotium maioremque noxam principibus partibus inferant. Quippe quum nulla sit in ijs intermissio, sed perpetuus calor, opprimi uehementer languentem oportet. Quamobrem rectissimè illud ab Hippocrate dictum uidetur, Inter acutos morbos continentem quidem febrim ut plurimum hominem tollere.

*1.de Rat.uic. acut.tex.8.*

Ἔστι δὲ ταῦτα ὀξέα, ὁκοῖα ὀνόμασαν οἱ ἀρχαῖοι πλευρῖτιν, καὶ περιπνευμονίην, καὶ φρενῖτιν καὶ λήθαργον, καὶ καῦσον, καὶ τὰ ἄλλα νοσήματα, ὁκόσα τουτέων ἐχόμενα ἐστιν, ὧν οἱ πυρετοὶ τὸ ἐπίπαν ξυνεχέες ὄντες κτείνουσιν.

Quod est: Sunt autem acuti morbi quos ueteres nominarunt, pleuritis, peripneumonia, phrenitis, læthargus, & ardens febris, & si qui alij morbi illos sequuntur: atque inter hos febres continuæ ægros interficiunt.

Differentiæ uerò continentium febrium tot numero sunt, quot humores qui has creare solent, speciatim uerò in synochis uocatis, tres à Galeno IX. Methodi statuuntur. Nam aut æquale est quod putret ei quod dissoluitur, sicque ὁμοτόνος uocata, id est, in eodem semper uigore consistens efficitur. Sin maius est quod accenditur quàm quod naturæ beneficio effluit, ἐπακμαστικόν, id est, increscentem facit. Si uerò quod difflatur eo quod putrescit amplius fuerit, παρακμαστικόν, id est, decrescentem.

Iam uerò propius ad quæsiti enodationē accedētes explicatione illud dignissimū uidetur, quinā acuti morbi medicis dicātur: sunt autē autore Galeno qui præterquam quòd celeriter iudicantur, statim etiam magnitudinem habent. Statim autem magnitudinem ij habere morbi dicuntur, qui ocyssimè ad statum perueniunt, & uehementia symptomata habent: dicente utique Hippocrate, In statu fortiora omnia esse: ipsumque statum omnium morbi temporum, autore Galeno, uehementissimum esse. Quamobrem qui ad statum celerrimè accedunt, magnitudinem meritò habere dicuntur: ob idque ratione optima tenuissimo tum uictu utendum Hippocrates iusserit.

*2.Aphor.cōment.19.*
*2.Aphor.30.*
*1.de Crisibus*
*1. Aphor. 7. & 10. apho.*
*Acutum quid*

Pulchrè autem inditum acuti nomen ijs morbis est, qui suum celerrimè uigorem nanciscuntur, quòd Acutum id propriè dicatur, quod breuissimo tempore opus suum perficiat. Vnde acutum telum, acutum mucronem eum appellamus, qui se citissimè in profunda adactum agere possit. Cōtrà Retusum, qui tardissimè atque ægrè. Sic Acutum ingenium, quod temporis puncto, solertia & natiua quadam pernicitate se in difficillima quæque ferat, extemplo consequatur, perdiscat, teneat, memoretur. Sic Acuto iudicio quemquam, quum cita mētis agitatione censuram de re

de re quapiam grauem & excussam ferre potest. Ad quem sanè modum sese accommodantes medici, eos Acutos uocarunt morbos, qui cum grauitate casuum celerrimè finiantur: ad salutem, inquam, uincente natura: uel ad mortem, superante morbo.

Quanquam autem morborum acuciem ex temporis modo & symptomatum magnitudine metiri Galenus uideatur: non ab his tantùm, sed & ab humoris morbum facientis acrimonia sumendam esse, ratio ipsa atque Hippocratis & Galeni sensa monstrare uidentur. Siquidem Hippocrates febres in siccitatibus fieri acutiores tradit. non ob id sanè, ut arbitror aliud, quàm quòd siccitas nimia humores accendat, & acriores reddat: dicente utique post Hippocratē Galeno, Siccitatem pauciores quidē humores, sed qualitate biliosiores efficere: atque ob id febres in siccitatibus numero quidē pauciores, quàm in pluuiosis, sed tamē acutiores fieri: humoribus quidem per siccitatē acrioribus effectis. Quibus ex uerbis uidere est, Galenum febriū acuciem in siccitatibus, acrimoniæ humorū tribuere.

2. Aphoris. comment. 19.
3. Aphor. 7.
3. Aphoris. comment. 7.

Quanquam non illud perpetuò uerum est, acutos morbos acres secum humores comites habere: siquidem attonitus morbus, angina, lethargus, uoluulus, inter acutos morbos rectè annumerantur: qui tamen ut plurimùm non ab acutis & acribus succis, sed à multis & lentis potius fiunt. Perpetuum autem illud est, acres & tenues succos, uehementes & acutos creare morbos solere: quòd tenuitate sua & acrimonia insignem quendam sui sensum inferant: hucque atque illuc uagantes, turgeant: cuius rei meritò, si quid Hippocrati creditur, acutos morbos creare dicuntur.

Quid uerò Synochus sit, quid Ardens febris, explicatius est quàm ut à nobis declarari oporteat. Ad id tantum animum aduertere operæpretium est, Galenum ardentium febrium duo in de Crisibus libro, atque mille alijs locis statuere genera: alterum, quod ex impermista & exquisita bile intra uasa calescente nascitur: quod & ipsum cōgeneris prorsus cum exquisita tertiana esse uult naturæ: eo tantum ab illa distans, quòd neque cum rigore inuadit, neque ad infebricitationem desinit. Alterum esse uult deurentis febris genus, in quo neque declinatio aliqua sensibus deprehendi apta appareat, & à primo febris principio ad crisim usque similis perseueret: eò tantum à priore genere discretum, quòd acutior sit huius quàm alterius generis febris, eademque biliosa & peracuta, Sic enim II. de Crisibus libro, cap. VI. ad uerbum:

1. Aphor. 22.
2. de Crisib. cap. 6.

*Συνεχῆ μὲν δὴ πυρετὸν ὀνομάζω, τὸν εἰς ἀπυρεξίαν, πρὶν τελέως λυθῆναι, μὴ παυόμενον, κἂν παρακμή τις αἰσθητὴ φαίνηται. ὅταν δὲ μηδὲ παρακμή τις αἰσθητὴ γίνηται, διὰ παντὸς δὲ ἀεὶ ἀπὸ τῆς πρώτης ἀρχῆς ἄχρι κρίσεως ὅμοιος διαμένει, τοῦ γένους μὲν ἐστὶν καὶ οὗτος τῶν καυσωδῶν πυρετῶν, ὀξύτητι δὲ αὐτῶν διενήνοχεν.*

Quod est: Continuam quidem (inquit) nomino febrim, quæ ad infebricitationem antequam ex toto soluatur non desinit, etiamsi declinatio sensibilis quædam appareat. Cùm uerò neque declinatio aliqua sensibilis apparuerit, semper uerò à primo principio febris usque ad crisim similis perseuerauerit, erit & hæc ex genere febrium deurentium: ab ijsdem uerò acutie differt. Et paucis interpositis,

Ἀρκεῖ γὰρ τὸ γένος γνωρίζειν, ὅτι χολώδης τε καὶ περικαὴς, καὶ κατόξυς· οὐδὲ γὰρ εἰ συνόχον ὀνομάζει τις αὐτὸν, ὥσπερ ἔνιοι τῶν ἰατρῶν, ὅλῳ τῷ γένει διοίσει τῶν καυσωδῶν πυρετῶν ἕνεκά γε τῆς προσηγορίας.

Quod eſt: Sufficit enim (ſubdit) genus agnoſcere: quòd & biliosa ſit, atq; deurens, & peracuta: neq; enim ſi etiam ſynochum ipſam nominaueris, ut quidam medici faciunt, appellationis ratione à febribus deurentibus differt.

Qua ex uerborum ſerie id apertiſsimè colligere promptum eſt, Synochum uocatam ex deurentium genere eſſe: atque altero genere, quod ex bili naſci idem Galenus dixerat, acutie grauiorem. Inquit enim, Acutie ab illis differt: quod minimè dixiſſet, ni acutiorem hanc illa iudicaſſet. Quoties enim quippiam ab altero differre qualitate una aliqua dicimus, qualitatem eam ei prorſus ineſſe oportet quod alteri comparatur: alioqui enim ſi non adſit ea qualitas, ab illo cui confertur differre tali qualitate minimè poterit. Vt ſi dixero, Platonem ab Ariſtotele ſapientia differre: illud ſignificari uolo, utrique quidem ſapientiam ineſſe, maiorem tamen Platoni, eoq; ab illo differre, quòd huic maior inſit. Hic enim eſt in comparationibus, quæ ad aliquid unum fiunt, certa comparandi ratio: etſi in differentijs aſsignandis non id quod de qualitate diximus perpetuum eſſe oportet.

In quem modum ad præſens locutus fuiſſe Galenus uidetur, quum de ſynocho loquens, atq; eam ardenti febri comparans dixit, Ab ardente febri acutie illam differre: hoc eſt, acutiorem eſſe: quod paulò pòſt ſubdita uerba confirmant, cùm inquit, Quòd biliosa eſt, & peracuta, & ſimilis ab initio ſui ad criſim perſeuerat. Nam hæc omnia ad acutiem morbi faciunt. Ex quo enim biliosa eſt iam effecta, celeres & citatos habeat motus oportet; ex quo autem peracuta, breuiſsimo tempore finiri neceſſarium erit. Quatenus uerò ſimilis ſui ad criſim perſeuerat, ingentes omnino habebit labores: quum nulla in ea fiat remiſsio, nulla (ut ait Galenus) declinatio: ſed perpetuus tenor. Quamobrem meritò acutior erit iudicanda, quum & temporis adſit breuitas, nempe quòd in IIII. finiatur, ut etiam IX. Therap. ait Galenus, ſi nullus cõmittatur error: & magnitudinem habeat, ob ſimilitudinem noxæ & laboris uſq; ad criſim. Quæ quum non omnia in ea ardenti febre ſint, quæ ex bili eſt, ut quæ nimirum non in IIII. ſed in VII. ut plurimum finiatur, & in ea ſubſint remiſsiones aliquæ ægrum alleuantes, conſequitur illam alteram, quam ſynochon appellari diximus, hac acutiorem eſſe. Idq; etiam præter Galenum ſenſiſſe Paulum, quo loco de ijs febribus ex profeſſo tractat, nempe lib. II. cap. XXVI. cuius uerba hæc ſunt.

Συνεχὴς οὖν ἐστὶ πυρετὸς, ὁ εἰς μὲν ἀπυρεξίαν πρὶν τελέως λυθῆναι μὴ παυόμενος. ὅταν δὲ μὴ παρακμή τις φανῇ, τοῦ γένους μέν ἐστι καὶ οὗτος τῶν καυσωδῶν, ὀξύτητι δὲ αὐτῶν διενήνοχεν.

Quod eſt: Continens quidem febris ea eſt, quæ ad infebricitationem priuſquam ex toto ſoluatur non deſinit. Cùm autem nulla declinatio apparuerit, quæ ſenſibus percipi queat, hæc quoq; ex ardentium genere habetur: ſed acrimonia ab ipſis uariat.

Ad

Ad quod facit humoris id genus febris creantis tum copia, tum maligna putredo. Nam cùm sanguis bili sit copiosior, & eius putredo putredine bilis deterior, (ut ex quo putrente in graue uitæ discrimen, ni celerrimè sucurratur æger incurrat) consequens est illam quæ à sanguine putrefacto nascitur, hac esse acutiorem, quòd tantam noxam æger perferre minimè posit. Nam præterquam quòd biliosus ex putredine factus est sanguis, nidorosa quædam sui generis in eo nata ex putredine qualitas accedit, quæ deteriorem faciat morbum. Nam qui sic affecti sunt, uirus quoddam hircorũ more, ut tradit Galenus, olere solent. Nec ualet quod obijci hic partem in alteram ab aduersario posset, Vehementiora esse in ardenti febre symptomata: nempe delyrium, linguæ nigritiem ac siccitatem, inquietudinem, inexplebilem sitim, caloris acrimoniam, pulsuum uelocitatem maiorem, & cætera id genus. Nam & si hæc in ardenti febre symptomata adsunt, quorum merito acutior dici posset: non minora tamen nec sanè leuiora in altera illa, quam ex sanguinis putredine oriri diximus, symptomata insunt: ut quæ & ipsa de ardentium genere à Galeno statuatur. Nec omnino confiteri oportet, in qua febri grauiora adsint symptomata, eam ipsam acutiorem dici debere. Siquidem in pestilenti febre, leuiora plærunq; quam in ardenti febre symptomata insunt: nemo tamen ardentem febrim pestilenti acutiorem, aut periculosiorem unquam dixerit. *9. Metho.*

Esse autem in ardenti febre grauiora plerunq; quàm in pestilenti symptomata, illud indicat, quòd sæpenumero in pestilenti, neq; pulsus, neque urina, neq; ad tactum perceptus calor, ut uult Auicenna, ab eo quod secundum naturam est ualde immutentur: & æger tamen tum quum nullis ferè symptomatis premitur, in mortem derepente ruit. Sic sanè ad eundem modum in apoplexia, quàm in ardenti febri non tam grandia apparent symptomata, quum sit tamen apoplexia ardenti febre acutior. Non igitur penes symptomatum naturam, sed morbi potius essentiam & magnitudinem, atq; temporis breuitatem, de acutie iudicandum, ut mox à nobis propositis exemplis dilucidè apertéq; monstratum. *Fen 1. quarti cap. proprio.*

Itaq; prima illa quæstionis pars sic mihi diluenda uidetur, ut dicatur acutior quidem esse, quæ ex sanguine putrescente nascitur febris, quàm quæ ex bili: idq; si temporis quo se utraque finit moram, si morbi uigorem qui fermè à principio ad crisim usque par perseuerat, si putredinis malignitatem, si etiam morbi magnitudinem, decretorij celeritatem, ac casuum magnitudinem spectemus: quæ sanè propria sunt acuti morbi significata, uel Galeni testimonio Aphorismorũ II. cõmentario XIX. cùm inquit, Acuti morbi præter id quod celeriter iudicantur, statim etiam magnitudinem habent. Verùm si acutiem eam quæ ex humoris acrimonia ducitur & tenuitate attendamus, symptomatumq; uehementiam plerunque maiorem, ardentem febrim synocho acutiorem iure dicere poterimus. Hocq; pacto conciliari Arabes Græcis poterunt: quum hi synochon ardenti febre acutiorem, illi ardẽtem synocho existimarunt.

Postrema uerò dubitationis propositæ pars, difficultatis nihil pror-

sus habere uidetur: nam in confesso est, idem non esse, ardentem atq; acutam febrim dicere: quum acuta aliqua esse posit eadem quæ ardens minimè erit, uti de pestilenti monstratum: rationemq; hæc inuicem superioris atq; inferioris seruant, quum omnis quidem ardens acuta sit, non omnis autem acuta ardens: estq; alterum alterius genus, alterum species.

Quæ quum dixissem, uellemq; in longiores moras perpetua atq; continenti oratione cœptam disceptationem persequi (quòd gratum mihi atque iucundum esset cum docto de re docta homine, longos, ut sæpe soleo, in multum diem sermones protrahere) hic me Hieronymus ueluti comprimens, Siste hic, ait, Francisce gradum: longius enim quàm putaram quamq; existimabam te posse imparato de re tanta differere, prouectus es: eos nimirũ imitatus, qui per præceps decliueq; sese impetu facto demittunt: qui ubi semel uestigia mouerint, quò postea gradum sistant (nempe per prona delapsi) non habent. Sic tu, etsi multa non omnino ineptè, pleraque tamen tua ista linguæ uolubili celeritate non presè, non acutè, non etiam uerè dixisse mihi es uisus: quæ ego seria &, ni fallor, etiam arguta oratione refellerem, nisi nos ambos, uti scis, & apta iam uisendis ægris hora, & incalescens iam nimisq; nostram hanc ambulationem illustrans sol, hinc nos migrare cogerent. Quare in postmeridianum, si tibi uidetur, tempus (quo otium somnumq;, qui tum grauis longis his diebus occupare nos solet fallamus) quod reliquum est disputationis seruemus: ut & requiete hac, atque remisione leuati, ad postmeridianam disputationem in umbraculo nostro sedentes alacriores uenire posimus. Quibus dictis, quum peragendi pensi hora instaret, illeq; uestem de famulo postulasset, ad uisendos ægros unà perreximus.

Ad meridiem uerò eius diei, quo cœpta nobis hac ipsa de re tota, disputatio fuerat, cùm me ad Hieronymum contulissem, (eram enim pollicitus sub id tempus me ad se in Lopianum uenturum) mox ille: Næ tu quidem Francisce (ait) homo mihi coniunctus fidelisima gratia, tuiq; probè obseruans, cùm semper aliàs, tum modò in primis mihi es uisus. Qui, nescio an uisendi mei causa, an disputationis matutinæ quod reliquum est de me audiendi cupiditate, temporius ad me ueneris. Sunt enim meæ nunc partes, contra ea quæ tu acutè & doctè de synochis & ardentibus febribus disputasti, ea adferre, quæ tuam illam de hac re tibi tantopere probatam assertionem conuellere, aut potius euertere omnino posint. Rectè autem atq; amanter factum à te est, cùm eo desiderio ea intelligendi teneare, quæ semel intellecta uberrimum sunt ex se fructum adlatura.

Itaque quæ constitui antequam exequar, tua prius firmioribus præsidijs confirmabo, dein meam ipse hac de re sententiam multis ac maximis summorum uirorum testimonijs, ualidisq; rationibus cõmunitam, breuiter ac dulucidè explicabo.

Tuam autem Francisce opinionem qua synochon uocatam, ardenti acutiorem existimas, multa autorum dicta confirmare uidentur: in primis illud Galeni, quod tu magna certè ratione pro tua tuenda opinione II. de Crisibus adduxisti: quò eam à cæteris acutie differre dixit: id minimè

nimè dicturus, ni hæc cæteras omnes acutie uinceret. Quod mox eodẽ loco confirmare Galenus uidetur, eã ipsam febrim inter deurentes atq; peracutas collocans. Sufficit enim, inquit, genus agnoscere, quòd scilicet biliosa sit, atq; deurens, & peracuta. Quòd si peracuta est, erit certè non minus ardentibus febribus acuta: non enim acutiores peracutis usquam dari possunt: de quibus rectè illud Hippocratis, Vbi morbus peracutus est, statim extremos labores habet. *1.Aphor.7.* & Galenus in commentario. Etenim accessiones, uel simpliciter omnia accidentia in uniuersum exhibet morbus peracutus quàm maximè uehementia & uiolenta, primis diebus protinus ab ægrotatione: nam in ipsos statim incidit morbi uigor, qui nihil aliud certè est, quàm morbi in accidentibus summum.

Statim autem, intelligendum est, circa primos quatuor dies. De ardentibus uerò absolutè uocatis, eas dicit acutas, non autẽ peracutas esse, inquiens: In continuis uerò incendentes seu ardores acuti sunt. Non igitur peracutas, sed acutas tantũ ardentes uocat. *Gal.1.Apho. comment.12.* Quanquam III. de Crisi, *cap.4.* ardores etiam absolutè dictos in albo peracutorum statuat, inquiens: In omnibus morbis peracutis, noscendum est accessiones uel synochas esse, uel continuas quæ per tertium acerbantur. Peracutos autem eos Galeno & Hippocrati uocari, qui ualde acuti sint, ex illo Aphorismo & illius *4.Aphor.10.* Commentario constat medicari in ualde acutis.

Rursus hac potest ualida, ni fallor, ratione mens tua probari. Nam *1.Aphor.7.* morbus ille peracutus censendus, qui statim in summo uigore consistit, moxq; extremos & summos labores habet: (acuti nanque morbi magni sunt, & ad suum uigorem celerrimè properant.) *2. Aphoris. comment.19. & 23.* Itaque erit morbus ille altero acutior, qui suum ocius uigorem nanciscetur, extremosq; labores habebit. Constat uerò synochon citius reliquis ardoribus in summo uigore consistere, summosq; habere casus: igitur erit ardentibus febribus acutior. Assumptio uerò probari ex eo potest, quòd synochi uocatæ febris longus est status, aut potius ipsa tota status est. *Gal.3.de Crisi.cap.4.* Eius uerò quæ synochos non est, non tamen desinit ad infebricitationem, cùm status alijs temporibus longior existit, motus est uelox, quòd si breuior sit status, tardus est motus, ut III. de Crisi. Galenus.

Ex quo apertissimè constat, uelocitatem motus in morbis, præcipuéq; continuis febribus, ex status longitudine, & ad morbi initium uicinitate metiri Galeno solere: ut dicatur is morbus ueclociorem habere motum, qui statum habet principio proximum, eundemq; longum, ut præcitata Galeni series III. de Crisi, euidentissimè indicare uidetur. Synochon uerò propriè dictum confestim ad uigorem peruenire, Galeni sententia constat inquientis, *3.de Crisi. cap.4.* eam ipsam febrim, si nullus accidat error quarto die per crisim finiri.

Cuius dicti hæc planè est euidens ratio, quòd cùm febris magna sit atq; ardens, (nimirum ex putrescentibus intus succis, in omnibus uasis, aut saltem maximis inter alas inguináq; constitutis) nulláq; fiat febris remissio aut declinatio, *Ex Gal.9. Metho.* sed perpetua accessio, in eodem semper uigore permanens, ut homoteno, aut increscens, uti in acmastico, necessum inquam

est; breui eam febrim finiri, ac planè citius quàm ubi aliqua contigerit accessionis remissio, ueluti in reliquis contingit ardentibus febribus, in quibus per tertium quemque diem, ut uult Galenus, fiunt accessiones: quæ etsi ad infebricitationem non desinunt, ad declinationem tamen aliquam sensibilem deducuntur: alioqui iam à propriè uocatis synochis non distinguerentur, sed essent plane ipsæ synochi, (id enim est nomen earum, quæ unicam habent accessionem absque sensili declinatione ad crisim usque) ut enim antea dictum est, si cætera paria sint, assiduitas perseuerantiæ febris, sine ulla accessionis remissione, acutiorem & breuiorem morbum reddit: cùm nullum habeat natura interuallum, nullam quietem, aut remissionem, sed semper similem ac sibi constantem febris uehementiam: cuius quidem perpetuam indesinentiam ad morbi citiorem terminationem facere certum est. & Galenus innuit tum alibi, tum in commentario illius Aphorismi, Acuti morbi quatuordecim diebus finiuntur. Morbi (inquit) continui acuties nūquam potest plures quàm quatuordecim obtinere dies. Ex ijs uerò qui motus habent inæquales, multi extenduntur ad aliquod usque tempus exterius præfinitum. Non enim tolerare potest natura longiori tempore magnum laborem.

*2. de Crisi. cap.6.* *2. Aphor. 23.*

Quin & Auicenna (si tamen eum recipis, & contrà quàm Manardus sentiat, in probatorum numerum admittendum censes) ardentem febrim inter non ualde acutas statuit: sic enim de ea: Tertiana (ait) Pura & Causon de acutis non ualde sunt, moxque subdit: Et si non fuerint illic paroxysmi, imò materia eius fuerit acuta, uelut synochi, tunc ægritudo erit acuta. En quàm apertissimè Arabs Auicenna uelit tum solùm ardentem febrim acutam dici debere, cùm in ea accessiones non sunt, uti in synocho, & in eius materia ueluti synochi fuerit acuta: alioqui non ualde acutam aut esse, aut haberi. An non locus hic plenissimè locum illum Galeni & confirmare & planius etiam explicare (dicant hic quod uelint Auicennæ mastiges) uidetur? quo synochon ab ardente acutie differre dixit: hoc est, esse illam hac acutiorem? quod ex eo constat, quòd ardentem febrim synocho Auicenna comparans, tum acutam censeri debere testatur, cùm illius materia synochi materiæ fuerit quàm simillima, & progressus modus ei qui in synocho est quàm finitimus.

*Fen 1. quarti, cap.4.* *2. de Crisi.*

Erit igitur meritò synochos ardenti acutior, quum hæc ad illius collationem & similitudinem acuta dicatur. Nec huic tuæ assertioni illud obstare uidetur, quòd synochos à multis dicatur ex sanguine fieri, à quo sanè humore facti morbi uel omnium testimonio mitiores esse solent: ardens uerò à bile, cuius affectus acutiores sunt. Nam loquimur ex Galeni sententia, qui synochum etiam ex bile fieri censet, uti 11. de Febrium diff. & de Crisib. item 11. Vnde in commentario illius Aphorismi (quæ ducere oportet) laudat sanguinis missionem in febribus ardentissimis ad animi usque deliquium: id minimè consulturus ni de synochis, non de ardentibus intellexisset: in quibus tanta certè sanguinis missio minimè competit, utpotè perducere nata ad biliosorum ebullitionem. Non enim tu cum academia Florentina (opinor) sentis, Non posse sanguinis missione

*cap.2.* *cap.6.*

ægrum

ægrum ad biliosorum feruorem, uel frigidorum cruditatem duci. Florentini enim falsò id ab Auicenna atq; temerè dictũ (nescio quàm rectè,) constanter tamen certè asseuerant.

Adde quòd I X. Methodi febrim ex copia sanguinis & feruore natam, Galenus calidissimam esse affirmat. Quanto igitur magis quæ ex putredine æqualiter in omnibus uasis, aut saltem primoribus diffusa? quod sanè in synochis propriè uocatis fieri solet. Nam in alijs continuis, quæ accessiones habent, uel quotidiè, uel per tertium quenq; diem, putredo in una quapiam parte subsistit, quæ uel phlegmone tentatur, uel etiam citra phlegmonem ueluti in foco quodam principium febris in se continet. Id enim causam esse nouæ accessionis declarat prolixè Galenus *cap.ult.* I I. de Febrium differ. inquiens: Quæcunq; per circuitus aliquos ægritudinum accessiones fiunt, ex membrorum dispositionibus ortum habent, quæ scilicet membra, uel mittunt, uel suscipiunt, uel generant, uel attrahunt superfluitates eo quo nuper diximus modo. Sed quæ (subdit) circuitus non habent, in his nulla est corporis pars, quæ præcipuè sit offensa. At omnes qui in uenis & arterijs continentur humores, atq; ij præ- *Gal.9.Meth.* sertim, qui in maximis atque plurimo calore abundantibus sunt: aut ob aliam quampiam causam, ut in ephemeris, aut ob putrefactionem, feruentem febrem accendunt synocham appellatam: quæ à principio ad finem nullam habet intermissionem: ac tandiu perseuerat, hominemq; deurit, donec qui eam adferunt humores aut ex toto absumantur, aut coquantur, aut utrumq; patiantur.

Itaq; rationi, & ueritati, atq; Galeni sensis maximè consentaneum uidetur, febrim huius modi ex putredine contingente in omnibus uasis, aut maximis, & præcipuis factam, ea acutiorem esse, quæ ex putredine fit solius alicuius humoris, quamuis biliosi, in aliqua tantum parte putrentis. Vnde nimirum crisis eius aut in quarto fit, aut omnino intra septimum, Galeno asserente libro de Crisibus tertio. *cap.4.*

Atq; hic ille ad me, Videor'ne tibi partes tuas, Francisce, pulchrè sustinuisse, easq; fortissimis præsidijs adeò communisse, ut uel nullis hostium incursionibus oppugnari ullatenus possint? Sanè inquã ego: ita enim nunc mihi in ea quam prius exposui sententia, hisce quas tu non minore doctrina quàm facundia attulisti rationibus confirmatus uideor, ut dimoueri de sententia ne aduersario quidem Galeno possim. Vereorq; plurimum, ne ita tu ualidissimis copijs aciem instruxeris meam, ut infirmissima manu (eam tu si euertere exercitibus tuis contenderis) aduersum ire possis. Quid enim tibi pro te copiarum ad congrediendum uel uincendum tantis iam armatorum cuneis in mea castra traductis superesse potest? Experiar tamen infracto constantiq; animo tuorum militum fortissimam manum: hoc est, rationum tuarum (quas si non multas quidem illas, firmissimas tamen & bene robustas habere te arbitror) uim, roburq; omne. Tu iam ad conferendam manum instructis ac dispositis copijs te para.

Ad quæ Hieronymus: Educam inquam posteaquam tibi tantopere fidis,

fidis, è munitissimis meis castris eam militum manum, quæ uel aspectu ipso, nedum congressu ita tuas copias omnes & cuneos euertat ac dissipet, ut ad primum armorum strepitum, tubæq; sonum, sis multo cum dedecore multa certè tua clade atq; tuorum iactura terga daturus. Quæ ut cuncta opere magis quàm uerbis & terroribus compleam, è media Græcia duces strenuos atque inuictos Galenum, Paulum, Aëtium: ex Arabia Rasios, Auicennas, Auerroas: ex intima Barbaria Gentiles, Nugones (Hugones dicere uolui) Herculanos & sexcentos huiusmodi proferam, qui ardentem febrim synocho non paulò plurimum acutiorem esse doceant: ut eorum sensis doctissimus quisque sit protinus manus daturus.

*Prima ratio.* Principio, omnium sententia cõstat, tam Græcorum, quàm Arabum, ex sanguine efferuescente, aut etiam putrescente, in omnibus aut præcipuis uasis, synochon fieri, quæ causa est unicæ eius ab initio ad crisim usq; accessionis: reliquos uerò καύσους ac præcipuè exquisitos, à flaua bile, exquisita quidem illa, ac intra uasa putrente: (sic enim Galenus 11. de Crisibus) *Cap. 6.* Atqui morbi ex sanguine facti mitiores sunt biliosis: Erit igitur synochos uocata, ardente mitior, atq; ob id minus acuta.

Esse autem biliosos morbos sanguineis acutiores, omnium sententijs comprobatur, dicentium, Ex bili exquisita morbos acutissimos nasci. *3. Aphor. 9.* Quamobrem in autumno, ut uult Hippocrates, acutissimæ ægritudines fiunt, & ut plurimum lethales: & in siccitatibus febres acutiores, in pluuijs longiores. *3. Aphor. 7. & 16.* Galenus autẽ apertissimè 11. de Febr. differentijs, uelle uidetur, *Secũda ratio.* à sanguine putrescente factam febrim, simpliciorem esse, hoc est, mitiorem: nimirum ob sanguinis benignitatem & humiditatem, à quo quidem plurimus, sed mitis attollitur uapor. Quamobrem erit illius calor, ardentis calore mitior: qua una re à biliosa febri, ea discriminatur quæ ex sanguinis transmutatione fit, ut eo loco ait Galenus.

*Tertia ratio.* Eadem rursus sententia Galeno expressa uidetur præsagiorũ 11. *Commẽt. 46. Præsagiorum.* nempe à sanguine & pituita morbos, biliosis esse prolixiores, quod altero ex Hippocrate & Galeno loco roborari firmissimè potest, ubi de urina rubea hypostasim similiter rubeam habente loquuntur, quam ipsam, salubrem quidem, sed longam significare ægritudinem uolunt. Ex quo apparet sanguineos morbos biliosis esse prolixiores.

*Quarta ratio.* Quod & ipsum amplius æstatis conditio declarat: nam æstas autore Hippocrate morbos abbreuiat, *2. Apho. 25.* æstatis autem morbi biliosi sunt, eiusdem testimonio: *3. Aphor. 21.* erunt igitur ij alijs quibuscunq; breuiores, atq; ob id acutiores. Item cùm exquisita febris ardens à bili orta, intra uenas putrente, plerunque tertio die ad crisim, ratione motus materiæ perueniat, Galeno teste: *2. de Crisib.* synochos autem nunquam citius quarta: erit aliqua igitur ardens febris synocho acutior.

*Quinta ratio.* Quod ex symptomatum item magnitudine, uehementia, & multitudine confirmari rectissimè potest: nempe incendio, uigilia, furore, siti, linguæ siccitate, angustia, syncopi, alijsq; multis quæ in exquisitis ardentibus febribus, amplius quàm in synochis euenire solent. ob humoris fe-

brem

brem creantis acrimoniam, tenuitatem, siccitatem, celeremq; motum. Quæ cùm in synocho saltem per initia minimè eueniant, (est enim tum ut uult I X. Methodi Galenus de genere ephemerarum) consequitur ardentem febrim synocho acutiorem esse.

Adde quòd sanguis uel solus, uel alijs admixtus atq; confusus humoribus dulcedine sua, humiditate leni, substantiæq; mediocritate, aliorum acrimoniam obtundere solet: cùm sint ex sincera bili facti morbi deteriores longè, humore nimirum acri rodente, & acrimoniæ sensum inferente. unde meritò herpes, elephas, cancer, phagedena & id genus, inflammatione, bubonibus à sanguine factis, & reliquis ab eodem humore deteriores atq; acutiores creduntur. Nec obstat quòd optima quæq; cùm immutantur & corrumpuntur, in pessimam soleant qualitatem coüerti: quod ouorum, & spermatis mala corruptio indicat, atq; adeò sanguinis extra uasa deducti in pus conuersio: fit enim in his ex contrario in contrarium ingens mutatio. Nam etsi uerum id est, non tamen momento fieri eam mutationem quis unquam dixerit: non enim (ut philosophi dicere solent) fieri transitus extremi in extremum nisi per congrua media solet. Quamobrem & si sanguis corruptus in pessimam tandem abit naturam, non tamen confestim ab initio, nec etiam unquam in deteriorem, quàm possit bilis ipsa peruenire, deducetur, quum sit nimirum bilis suapte natura malus & acris admodum humor. *Sexta ratio.*

Poteram & pleraq; alia propositæ nostræ disputationi ualde accommoda, huc non ineptè afferre. sed quando hæc potiora atq; præstantiora uisa sunt, reliqua à me consultò (ne in longum euadat oratio & tibi negotium in his diluẽdis faciam) omittentur. Tu cui nunc præcipuè incumbit ualidam hanc hostium manum (ut tute dicere soles) forti impetu conterere, effice modò, ut uires ingenij neruosq; omnes in ijs meis euertendis effundas: sic enim aut te ipse in opinione tua maximè confirmabis: aut meam ipse (uincere si nescias) robustiorem reddes.

Cui ego: Minimè, inquam, tibi illud concessero, me hoc in prælio uincendo non esse. Nam etsi uiribus ingenij meis parum omnino possum, auxiliaribus tamen copijs, mihi sanè & fide & præstantia probatissimis, & districtis gladijs congredi, & fortiter uincere me posse spero. Itaque respondeo ad rationes tuas singulatim omnes. Ad eam præsertim, quam ueluti principem, ducis fortissimi instar in prima acie collocasti. illudq; inprimis minimè sum admissurus, quod à te primò assumptum est, Ex sanguine solum synochon nasci. Non enim ex unico tantum, sed pluribus, aut potius omnibus intus succis æquabiliter putrescẽtibus unà cum Galeno febrim hanc nasci iure credimus. Eam enim quæ ex solo sanguinis feruore fit, citra putredinem quis unquam ardenti acutiorem dixerit? est siquidem ipsa ex diariarũ genere atq; natura, uel Galeni testimonio, quamobrem causo acutior esse nullatenus potest. neq; ego id mihi aduersum te sustinendum proposui, (quis enim tantas ineptias efferat?) sed illud, continentem eam quæ ex succorum intus omnium corruptela atq; putredine oritur, καύσῳ à bili exquisita multò esse grauiorem, acutiorem, maior *Primæ rationis dilutio.* *9. Meth.* *9. Meth.*

maioris etiam periculi. Nam & si bilis ipsa suapte natura mali moris est acuta, rodens, incendi atq; in omnem corporis partem tenuitate sua ferri facilis: quis tamen non eam ipsam uniuersa humorum intus putrescentium mole multò mitiorem iudicet? cui enim uel ualentissimo & fortissimo homini, non longè facilius sit & expeditius, unicum quēuis strenuum hostem, quàm multos etiam imbelles commissa pugna uincere?

At tecum ipse Hieronyme cogita quibus cum, & qualibus, quàm immitibus & effrenatis, sit naturæ ipsi in synocho ex putredine hostibus congrediendum? An non multis, ualidissimis, uno simul impetu in illius castra irruentibus? Equidem illud si cogites, quid negotij putrescens sanguis nidore suo, copia, humiditate, impletione: quid bilis acrimonia, tenuitate, incensione, mobilitate; quid pituita lentore, crassicie, obstructione: quid demum atra bilis densitate, soliditate, impactione & certa sui generis malitia naturæ nostræ faciant, (putrescunt enim hæc eodem tempore, ijsdem locis simul, pariq; in synocho comitatu aduersum naturæ uires insistunt) illud quoq; uel inuitus & nolens confiteberis, grauiorem esse ab ijs omnibus unà putrescentibus, quàm uel ab exquisitissima bili natam febrim. Nam dum se natura à sanguinis nidore & copia, uno aliquo excretionis genere uel per nares, mariscas, aut menses alleuare tentat: impeditur pituitæ cum sanguine mixtæ lentore, obstructione, crassicie. Mitem autem sanguinis qualitatem acuit & ueluti subditis flammis incendit, bilis feruor, & atræ bilis densitas: quæ se ergo uel potentissima uis ab his tam immanibus & truculentis hostibus facilè explicet? ac integris copijs saluam in arcem subducat? eò fit, ut in synocho eius generis, omnium simul humorum aut plurium fermè semper symptomata appareant, in causa unius tantum. Quæ causa est, cur & somno graues, & prostratos nonnunquam, paulò pòst ualide agitatos, uigiles, furiosos, sitientes, fatigatione atq; æstu affectos, angustia, cordis morsu, syncopa præhensos, demum morientes (ni naturæ uirium robur & operosa medentium manus adsit) cernamus. Varij hi sunt humorum atque naturæ motus, uarij in se erigendo & à morbi iniuria uindicando labores.

Itaq; & si tibi illud donem, mitiores esse à sanguine quàm à bili morbos; nunquam illud certe concessero, ab omnibus succis æquabiliter genitos morbos, ijs qui à bili sunt leuiores esse. Adde, quod fieri ego minimè posse puto, (neq; etiam è nostris præstantissimi quique putant) ut à solo sanguine in uasis putrente simplex accendatur febris: sunt enim unà confusi ibi humores. Vnde illud rectissimè Galeno V I I. de Vsu partiū dictum est, Nihil prorsus esse in corpore simplex atque purum. Et illud item Elementorum I I. reliquos corporis succos cum sanguine permistos inueniri: quod in de Humana natura innuere apertissimè uoluisse uetustissimus Hippocrates est uisus, & Galenus rursus I. de Morbi differ. confirmauit.

Quòd si è nostris plurimi hanc huic febri nomenclaturam tribuunt, ut à sanguine natam prædicent, à uincente quidem & præcipua humoris febrem facientis parte: non ab exquisita materia & continente causa denomin

nominationem fecerunt (est enim, ut Philosophi uolunt, à superante sumenda denominatio) nisi & id fortasse una cùm Haly sanguinem nuncupare uoluerint, quod in uasis rubrum ac cæteris confusum humoribus apparet. Tunc quidem uerisimum erit, à sanguine febrim hanc nasci: sed qui si sic confusus putrescat, perniciosissimi generis febrim creabit. Vnde illud appositissimè Galeno dictum est, ab huiusmodi morbo in summum uitæ discrimen ægros deduci, ni celerrimè sanguis mittatur. Et illud item ab Hippocrate, Inter acutos morbos cōtinentes febres ægros plurimum interimere solere. Quod de nullo altero febrium genere quàm hoc uerius dictum existimare oportet. Non enim ardores, continuæ tertianæ, quartanæ'ue tam propriè continentes atque synochi (etiam si ad indesinentiam non perueniant) dici ullatenus debent: quòd nulla sit in synocho remissio, nulla quies, perpetua accesio, & calor ad crisim usque immitis. In alijs contrà remissiones, & tepores per status quosdam dies inuenias.

*2.artis Medicinalis tract. de hepate.cōment.22.* — *9.Meth.* — *1.de Ratione uic. acut. textu 8.*

Quamobrem grauiorem certè febrim illam existimare atque grandiorem oportet, in qua æger magis de uita periclitatur. Cuius sanè morbi magnitudinem curationis modus indicat: qui sanguinis missione ad animi deliquium usque facta perfici omnino uel Galeni censura debet. sic enim ille IX. Methodi, & in commentario XXIII. primi Aphorismorum, ubi ardentissimis febribus celerrimè hoc pacto subueniri, multa certè ratione affirmat. Per ardentissimas uerò febres, huius generis eo loco intellexisse Galenum, hoc est synochos, non autem ardentes, illud maximè indicat, quòd IX. Methodi harum ipsarum curationem ex professo tractans, eadem illa subijcit uerba quæ in præfato commentario adiecit: dum ardentissimis febribus larga sanguinis missione obuiam iri statuit. Ardentissimas igitur iure optimo synochas uocauit, & summis præsidijs persanandas. Extremis enim morbis extrema exquisitè remedia prosunt. Est autem sanguinis missio ad animi deliquium facta, extremum & planè præsens auxilium. quis autem ardenti tam potens remedium nisi planè ἀμέθοδος adhibuerit? Hippocrates certè ardoribus, aquæ mulsæ potu, uomitione, alui ex cocto asinæ lacte ductione, non sanguinis missione succurrendum consulit, cur? quòd mitiori morbo mitiora auxilia magis conueniant. Auicenna certè non improbus autor, ardoris curationem eandem exquisitæ tertianæ atque parem esse uult: neque sanguinis missionem metu efferuescentiæ bilis admittit. Idemque causodes non multo exquisitis tertianis acutiores meritò existimat.

*1.Aphor.6.* — *4.de Ratione uic. acut. 5.6.7.* — *Fen.1.quarti tract. 2. cap. 44.*

Falsum itidem illud est (quod tua uenia dictum uelim) quod in argumento assumpsisti, (nudè si proferatur) à sanguine factos morbos biliosis esse mitiores: nam ut quidque in suo genere præstantius, sic uitiatum pestilentissimum efficitur. Quod genitalis seminis intus retenti nocentissima in uenenosum humorem mutatio, sanguinis copiosi corruptela, ouorum nidorosa putredo apertissimè indicant. Quamobrem non ineptè Isaac tanto hunc humorem naturæ fieri odiosiorem, si à sua ipsius degeneret natura, quāto erat ille suam seruans naturam gratior & charior, iucundiorque nempe naturæ filius.

*Libro de Febribus.*

Quod uerò subijcis, in autumno & siccitatibus, ob id acutiores fieri morbos, quòd à bili sint: Id non omnifariam uerum: nam non ea tantùm ratione, quàm quòd in autumno dissoluta sit ab præcedente æstate ægrotantium uirtus, inæqualisq; temporis constitutio, naturæ non minimum negotij inferens difficiles morbos reddat. In siccitatibus uerò etsi acutiores, quàm in pluuiosis morbi sunt, non tamen synochis nostris grauiores: cùm illi acrimoniæ tantum meritò, quæ illis à temporis sicca constitutione euenit acuti censeantur: hi ab ipsa morbi essentia, maligna putredine, malo more, uerendisq; symptomatis. Atq; hæc ad primam.

*Secundæ rationis dilutio* Secũdæ uerò tuæ rationi quæ Galeni sententiæ 11. de Febrium differ. innititur, acutior aliqua erit excogitanda dilutio, est enim discussu paulò difficilior. Vult enim eo loco Galenus à sanguine etiam putrente mitiorem creari febrem. Quid igitur ad hoc? Respondeo Hieronyme, nusquam ne hoc quidem loco à Galeno pronuntiatum mitiorem à putredine sanguinis quàm ab alijs humoribus nasci febrim: si de ea putredine loquimur quæ illi intra uasa ab ipsorum stipatione & obstructione contingit. Nam eo quem tu citas loco id tantum apertissimè uoluit, sanguinem in ijs quæ inflammationem patiuntur particulis subire putredinem posse: ueluti in phlegmone uocato, à qua sanè putredine, mitiorem quàm ab alijs, & simpliciorem fieri febrim affirmauit. Quod & ego ultrò confiteor & uolens etiam tibi dono. cùm enim peculiari aliquo loco extra uasa putret sanguis, & inflammationem facit, simpliciorem certè quàm bilis pura excitat febrem: quòd tum non omnes succi æquabiliter in uenis, uti in synocho, putreant, sed modica sanguinis extra uasa deducti portio. à quo, ut non maligna nasci putredo, sic nec grauis oriri febris potest. Mitis enim & uaporosus potius, quàm acris & mordax per continuitatem à loco inflãmatione tentato attollitur calor: quòd non multus sit putrens sanguis: non in amplis & præcipuis uasis, uti in synocho, sed in musculis sit conclusus, non multi secum confusi humores.

Maneo itaq; in sententia, nec quicquam me de statione deiectum hac tua irruptione puto. Quo etiam ingenio reliqua ex Gal. 11. Præsagiorum, & Hippocrate in Aphorismis de æstate morbos abbreuiante quæ adfers refelli possunt. Nempe longiores esse & salubriores ex sanguine, quàm ex bili factos morbos. Sed nihil aduersum me, qui tantùm de ea febri intelligo, non quæ in sanguine solo, sed quæ in omnibus æquabiliter succis intus putrentibus sedem suam habeat: quam in primæ tuæ rationis dilutione abundè cæteris cunctis grauiorem & acutiorem indicasse tibi uideor.

*Tertiæ & reliquarũ rationũ dilutio.* Quod ad symptomatũ uerò naturam pertinet, quæ tu fortiora esse in causo, quàm synocho uincere studes, atq; ob id acutiorem synocho causum. Id ego an confiteri debeam ualde certè dubius sum. Cùm illa eadem quæ ardenti in febri inesse unà cum nostris omnibus scribis, synocho inesse ex sanguinis putredine nato uideamus: ut quæ sit ipsa ex deurentium genere atq; peracuta, ut uult Galenus, tum unicam atque perpetuam ab initio ad crisim usq; accessionem habeat quod ad morbi magnitudinem *2. de Crisib. cap. 6.*

& sæu

& sæuitiam tantum ego posse puto, tantumq; habere uirium quantum reliqua omnia quæ tu enumerare posses symptomata. Quis enim nisi ualentissimus immitem per uasa omnia, per artus omnes diffusum calorem, perpetuò urentem, & cruciantem, atque in dies magis atq; magis increscentem, ut in acmastico, saltem non sine graui discrimine ferat? Quis non laborem hunc tanti perferendi caloris cum omni symptomatum colluuie, quæ in ardore contingunt rectè conferat? quum ad hunc solum laborem, reliqua omnia si diutius perstet consequi soleant.

Postrema tua ratio, dissolui nullo negotio potest. Non enim sanguis bonitate sua aliorum malitiam retundere usquam potest: ni & ipse multus & suauis, & bene temperatus: reliqui uerò exigui non admodum à natura alieni facti fuerint. At in putredine quæ in maximis & præcipuis uasis fit, ubi multa est obstructio, stipatio, nidor, corruptela, turbatio, agitatio, quid tu bonitati sanguinis tribuas? cùm pessimus iam ipse uel sua ipsius in uasa irruptione, conculcatione, atq; putredine, uel aliorum pessimorum succorum secum admistione confusioneq; degener atq; impurus factus sit? non igitur ipse aliorum in hoc morbi genere sæuitiam retundere, sed magis ipse mole sua, nidorosaq; fuligine, noxam augere potest. Vt enim qui se nepharijs & inquinatissimis hominibus coniungunt, si ualentes uiribus, autoritate, copijs, atq; opibus ipsi sint, alios quibus copulantur flagitiosos magis ac perditos reddunt: sic sanè sanguis quum in toto corporis dominatu principatum inter humores & mole, & uirtute teneat, nimirum si exercitum omnem agitatus & uitiosus factus instar mali ducis perditum eat.

[*Vltimæ rationis dilutio.*]

[*Simile pulchrum.*]

Tu Hieronyme, si qua habes, quibus hæc euerti mea posse putes, adducito. Ego enim in tuis euertẽdis copijs, opes meas, omnes uires, neruos, auxilia mea omnia atq; præsidia fudi: ut si mihi de integro instaurandum sit bellum, sim planè omnibus subsidijs destitutus: ut facilè non modò tibi potentissimo hosti, sed cuiuis etiam imbelli, aduersum me hastam erigere, congredi, de statione depellere, castra spoliare, multa cum sua laude liceat. Tu interea uel me meliora docebis, uel hæc saltem (in iudicio tamen tuo prius perpolita atq; limata) digna statues, quæ à te optimo atq; præstantissimo uiro & legantur, & approbentur: id me unum uoluisse ut existimes te etiam atque etiam rogo. Vale.

*Vulnus capiti inflictum cuidam illustri mulieri secundum occipitis initium quà se inuicem suturæ contingunt minimè lethale fuisse, Assertio medica ad Reuerendissimum D. Legatum Auinionensem.*

ENARRATIO III.

ROGATI à Reuerendissimo D. Legato in casu nobis proposito sententiam dicere: Num scilicet inflictum capiti uulnus, & punctim factum, ad usque caluariam descendens, lethale sit. Vt ei rogationi satis faciamus, illud imprimis animaduertendum, Vulnera ea Hippocrati & Galeno lethalia dici solere, quæ uel necessariò ac semper, uel secundum pluri-

[*5. & 6. Aph. Galc. cõm. 2. quinti Apho. 6. et cõm. 18.*]

mum mortẽ adferre nata ſint: quod non uulneribus ſolùm, ſed & omnibus morbis commune eſſe ijdem autores prædicant.

*4. Meth.*

Illud quoque attendendum, Tribus præcipuè modis morbum quempiam Galeno uehementem, magnumúe dici: nempe uel ob partis læſæ principatum: uel ob magnitudinem diſpoſitionis: uel denique ob ipſius morbi malignitatem.

*Gal. 1. de Locis aff. & in Arte medicinali.*

*7. Aphor.*

Illud etiam ſpectandum, Morbum aliquẽ grauem aut leuem eſſe proprijs indicijs demonſtrari: quæ & ipſa autore Galeno à rei ipſius eſſentia, à loci natura, à doloris proprietate, & ſymptomatis morbum comitantibus deſumuntur. Itaque ubi grauia morbum aliquem ſymptomata conſequuntur, grauem: ubi leuia, leuem iudicamus. Sunt autem in capitis uulneribus grauia ſymptomata ſtupor, deſipientia, eryſipelas, conuulſio, febris, bilis uomitus, obmuteſcentia & cætera eius generis: ut pulchrè Hippocrates & Galenus docent.

His igitur ita ex Hippocratis & Galeni ſententia conſtantibus, duo dicimus: Primum, præfatum uulnus mortale non eſſe, Secundum, nec graue quidem ipſum eſſe.

*Commen. 18. 6. Aphoriſ.*

*Fen. 1. tertij. cap. de inciſione & plaga cap.*

Primum quidem conſtat, quum non ſit ex eorum numero quæ mortem uel neceſſariò, uel ut plurimum inferant. Nam etſi cerebri uulnera etiam effatu digna (ut uult Galenus) neceſſariò mortalia nõ ſunt (quum ſanata ipſe ſæpius uiderit) multò certè minus huius ſpectabilis dominæ uulnus lethale erit. quod uix aut leuiter in caluariam uſque deſcendat. Quin cùm & Auicenna inciſionem etiam ad cerebrum pertinentem ſanari quandoq; poſſe cum Galeno confiteatur: hanc certè multò magis ſanari poſſe fatendum erit. Quare neceſſariò mortale non eſſe eſt iudicandum: quum ex ipſius eſſentia & natura ſanabile ſit, quod nulli uulnerum neceſſario mortalium competere poteſt.

*Hipp. Apho. 59. 7. Gal. cõment. codẽ & comment. 12. primi Aphor.*

Graue autem non eſſe, hoc eſt ex eorum numero quæ per ſe periculoſa, & ad mortem perducentia ſint: illud maximè indicat, quòd nullum ſymptomatum grauium, quæ huiuſmodi uulnera comitari ſolent, adeſſe conſpicitur. Non enim adeſt aut adfuit deſipientia, non ſtupor, non conuulſio, non eryſipelas, non loquelæ aut uocis amiſsio, non ſenſuum turbatio, non oculorum rubor aut cæcitas, non bilis uomitus, aut febris intenſa. Quamobrem quum iſtæc ſymptomata ſtatim, grauia capitis uulnera ſequi conſueuerint (ut Galenus & Hippocrates docent) nec ullum appareat: ſequitur, uulnus ipſum graue aut periculoſum ad medicorum ſenſa loquendo per ſe non eſſe, quum ijs priuetur ſymptomatis, quæ uulnus aliquod graue iudicare habent, & ea ſtatim conſequi.

Adde quòd neq; pars læſa admodum momentanea eſt, nempe ſola capitis carnoſa pars, aut ſi quid caluariæ affectum eſt: id quàm minimum ſit exiſtimandum quum etiam de ſciſſura minimè conſtet, tum quòd à re pungente & perforante factum eſt uulnus: tum quòd à tegumentis capitis ualde retuſa rei uulnerantis uis fuit. Vnde conijciendum, fracturam aut ſciſſuram non ſubeſſe: aut ſi ſubſit, leuiſsimam, nec periculoſam eſſe.

Quin quum nec mali moris ſit uulnus ipſum, & quæ ex eo manant excrem

crementa laudabilia sint, probéq; concocta, indicatur naturæ robur supra morbum præualere præsertim florente ætate ipsius ægrotantis.

Ex quibus omnibus concluditur, præfatum uulnus minimè mortale esse. Hæc pro ueris medica assertione nos subsignati affirmamus, Deum solum ac ueritatem præ oculis habentes.

*De uino in curatione Arthritidis grauissimæ, an in accessione conueniat: Item, num ad præcautionem in totum sit auferendum pro spectatæ uirtutis ac nobilitatis uiro Thoma Cuadagno, ad Paulum Antonium Cuadagnum illius fratrem.*

## ENARRATIO IIII.



SI PROPRIVM medici munus illud est, ut in dignoscendis atq; tractandis hominum morbis, omniúq; mortalium uita ualetudinéq; seruanda mirum se quendam artificem præbeat: id curare sedulò debet, ut omni non modò studio ac diligentia, sed & contentione omni atque labore egregijs factis, summisq; officijs de toto mortalium genere quàm optimè mereri studeat: illorumq; uitæ ac ualetudini consulendo, omnes prouidentissimi atq; amantissimi hominis numeros expleat. Quod quum perpetuò conuenire medico constans sit, tum certè uel maximè, quum principis alicuius in Republica uiri nobis uita ualetudóq; ueluti in nostras manus posita, omnis arte procuranda atque regenda committitur. Quod quum mihi nunc Paule Antoni usu ueniat, ut quem in fratris tui curam consiliumq;, unà cum cæteris multis, claris illis quidem & præcellentibus doctrina & ingenio uiris, adhibẽdum censueris: conabor & ipse pro ingenij mei & uirium captu, quæ de tota re, déq; propositis nobis in re fratris tui quæstionibus uisa erunt ad te de scripto mittere: ut tu, qui & ingenio & iudicio plurimũ uales, non sententiam solùm hac in re meam, sed & animi mei in te fratreḿq; tuum plenam intimi amoris significationem, hisce meis scriptis, ceu testibus quibusdam cognoscere, aut potius perspicere ipse possis. Quo in genere officij, si tam cumulatè aut rei ipsius dignitati, aut uestrum utriusque meritis satisfacere me posse quàm plenè cupio & opto confiderem, omnem meam curam & cogitationem in eo potissimùm esse ponendam ducerem, ut neque orationis cultu & gratia, aut argumenti magnitudine, aut sententiarum robore mihi defuisse uiderer. Sed quando summa hæc præstare minimè possum, abundè fuerit si mediocria summa cum fide & integritate ex nostrorum autorum monumentis præstitero. Tu limatulo tuo iudicio, atq; ingenio hæc nostra perpolies, & meliora reddes.

Proposita igitur nobis duo sunt: Primum, An in arthritidis curatione per accessionem uinum ex usu sit. Secundum, An ad præcautionem in totum sit auferendum, locoq; uini, aqua, aut eiusmodi aliquo utendum. Quæ quidem postulata omnia dilucidè explicari à quoquam minimè possunt, nisi & omnis morbi, ægrotantis, uiniq; natura prius exacta

quadam inquiſitione plenè ſint cognita: quum ab ipſa rei, de qua tractatur, eſſentia perpetuò inchoandum eſſe his, qui cum demõſtratione quippiam ſunt dicturi, Galenus monuerit. Quum illud item maximè conſtans ſit, ab ea indicatione, quam morbus cui mederi paramus ſuggerit, auſpicandam curationem eſſe: qua ſanè indicatione quum haud prius commodè uti poſsimus, quàm omnis ſit nobis morbi perſpecta natura (ut è qua ceu fonte quodam indicatio ipſa naſcatur) ab eo tractationis noſtræ initium ſumemus.

*de Sympto. cau. et 4. Method.*

Eſt itaque affectus is, cuius curandi cauſa hæc ſunt nobis propoſita, qui uulgato nomine Arthritis, ſeu articularis morbus uocatur: quem eum eſſe uult Galenus, quum multos ſimul articulos dolor inuadit, unde qui genua, pedes'ue dolent, non arthriticos, ſed podagricos potius, aut genua dolentes uocandos cenſuit. Vnde illud cõmodè Aëtius, Si in multis, inquit, corporis articulis dolor innititur arthritis, ſeu morbus articularis uocatur: cui, ſi affectionis naturam ſpectes, nihil prorſus eſt aliud, quàm ingens ex fluxione in articulos decumbente natus dolor. Sic enim Hippocrates libro de externis morbis, Contingit autem aliquãdo, ut repẽtè irruat malum æqualiter per articulos omnes diſperſum, quod ipſum his potiſsimùm euenire ſolet, qui conſuetos labores relinquentes licentiore diæta, otio, uenereq́ intempeſtiua utuntur. Interdum uerò, & crebrius ſenſim, ac ueluti lento quodam gradu fluxus irruere ſolet, ut modò hunc, illum modò articulum dolor occupet.

*3. Aphor. cõment. 16.*

*lib. 12. cap. 6.*

*Arthritidis cauſæ.*

Huius porrò morbi eæ in uniuerſum cauſæ omnes à noſtris eſſe creduntur ex præincipientibus quidem, incauta uictus ratio, cruditatibus & intemperantia conſtans: multoq́ magis immodicus rei uenereæ uſus, deambulationes concitatiores aut longiores quàm pro hominum natura, ſtationes & equitationes diutius productæ, familiares excretiones ſupreſſæ, genitalis ſeminis uitioſa è parentibus nata intusq́ latens qualitas, qua noxam eandem ſubire filij quam ſenſere parentes quaſi hæreditario iure coguntur. Ex internis uerò, uel in præcipuis ſunt humorum maximè crudorumq́ copia, uaſorum amplitudo, principum partium robur, ſuſcipientium imbecillitas, meatuum in quos fluxio decumbit anguſtia, inferior poſitus. has enim fluxionis cuiuſuis generis omnes cauſas eſſe Galenus pluribus in locis ſtatuit. Ob id uerò membra fluore infeſtantur, quòd natiuo quodam robore, quæ maiore ui præditæ partes ſunt, ubi primum noxam ſenſerint, affligentem humorem à ſe in proximas quaſq́ repellunt: atq́ eæ rurſus in alias, donec ad eas uentum ſit, quæ à ſe humorem præ imbecillitate aliò demittere nequeunt: ibiq́ conſiſtens humor dolorem, tenſionẽ, tumoremq́ pariat: grauem autem tum fieri morbum contingit, quum uel multus, aut craſſus, lentusq́ affatim humor irruerit, uel rectrix corporis facultas imbecilla admodum fuerit, aut rarus totius corporis habitus, uiæ latæ per quas excrementa feruntur, expultrix articulorum uis infirma. quæ ſi unà concordi motu coëant, quid grauius aut atrocius hoc complexu excogitari uſpiam poteſt? Quæ ſanè & ipſæ ut multo tempore pauco'ue morbus duret cauſæ etiam iuſtiſsimæ erunt.

*Ex Gale. 6. Aphor. comment. 28.*

*1. de Morb. diff. 2. de Febri. diff. cap. ult. 10. & 14. Metho. 2. ad Glauc.*

erunt. Ad quod item facit aëris alia atque alia constitutio, quæ uti in cæteris morbis omnibus, sic & in hoc quoque plurimum momenti habet. Nam calidioribus in constitutionibus breuiores, in frigidioribus longiores contingunt morbi ex Hippocratis & Galeni sententia. Victus item ratio probè improbéue seruata, magnam item huic rei præstat occasionem.

*1. Aphor. 12. et 2. Aphor. 25. & Gale. in illorum coment.*

Cur autem incuruentur tandem in hoc morbo articuli, callosæque instar tophorum duricies gignantur, in promptu quidem ut Aëtius tradit causa est, quòd coacti sint qui circa articulos consistunt humores, omni scilicet ab his tenui parte abacta. quod interdum à medicamentis plus æquo refrigerantibus, nonnunquam à nimium discutientibus, crebrius uerò à partis imbecillitate humorisque lentore & crassicie (quæ superari ac digeri minimè potest) id euenire creditur. Quemadmodum quòd cæterarum inflammationum more non facilè suppuretur: quòd & ineptus sit suppurationi humor, & affectæ partes frigidæ, duræ, neruosæ: quanquam & nonnunquam suppurari huius generis inflammationem contingat. ubi fluens humor abundè calidus ac crassus in partem item calore affectam & substantia densam procubuerit, præsertim si calefacientibus & mollientibus medicamentis, qualia sunt quæ pus mouere possunt, illinatur. Atque hæc de morbo, & illius causis.

*lib. 12. cap. 11.*

De ægrotantis natura scire illud conuenit, non ex ipsa hominis temperie tantum, sed ex totius corporis habitu, consuetudine, uictu, ætate, educatione, de ipsa cuiusque natura iudicari solere: ut quam nimirū aliam atque aliam in quoque subesse contingit, prout ab his uariè fuerit circunscripta. Itaque illud uel notis certissimis constat, præstantem hunc uirum temperamento biliosum, raro habitu, tenui uictus rationi assuetum, ætate uirili, membrorum præcipuéque articulorum omnium infirma compage esse.

Ex quibus colligere promptum est, qui qualesque in eo succi præpolleant, quàm facilè in morbos qui ab humorum uitio proueniunt incurrat, quàm non leuiter ab his torqueatur, quàm difficilis curatio. Nempe quum & sicco raroque sit habitu, iocinorisque iusto calidioris: conijciendum, bilis in eo plurimum redundare. uerùm quum infirmo ac frigido sit uentriculo, cerebrumque ipsum fluxionem perpetuò frigidam concitans noxam adaugeat: fit, ut pituitæ secundum uentrem, plurimum colligatur: quod ipsum tum coctionis imbecillitas, seu potius ad acidum corruptela, sputi pituitosi copia, excrementorumque natura crassiciem lentoremque repræsentans, tum maximè ipsa dolorū species, morbique longitudo demonstrant. Qui enim à calidis succis fiunt, ut graues habent accessiones, sic certè breui finiuntur: contrà qui à frigidis uel mistis humoribus prodeunt.

Quamobrem quum & à confusis simul bili atque pituita (ut ferè semper, si Hippocrati creditur, in omni articulari morbo euenire solet) morbus hic nascatur: uincete tamen pituita, dolores quidem nec leues omnino, nec summè item graues atque clamosi erunt. Verùm morbi accessiones paulò longiores, humorum quidem crassicie atque lentore, ipsaque

*Hipp. lib. de Morbis.*

ægrotantis facultate infirma morbum producente. Ex ipsa uerò corporis totius compage, rarò inquam membrorum habitu, articulorum dissolutione & laxitate, uirium infirmitate, satis constat huius esse uiri in huiusmodi morbos facilem lapsum. Nam ad hunc modum constitutos (ut qui à iusto temperamenti modo quàm maximè distent) ualetudinarios, seu salubria ut nunc corpora uocare nostri omnes consueuerunt: eoq; fit, ut quum minimum morbũ inferentibus causis resistere ipsi possint, in morbos facilè incurrant: à quibus sanè tantò difficilius atq; tardius leuantur, quantò facultas in ipsis infirmior, ætas prouectior, morbus confirmatior fuerit.

*Vide Gale. in Arte medic.*

Iam uerò ad uini naturam, eiusq; in huiusmodi morbis uires paulò plenius inuestigandas propius ueniamus. Qua in re explicanda plus erit, mea quidem sententia, nobis & operæ, & laboris, & ingenij ponendum: ut in qua omnis propositarum nobis quæstionum uis sit posita. Quod quanquam operosum sit, conabimur tamen ex melioris notæ autoribus congruentissima & maximè uera adferre. Illud in primis cum Plinio, Nullius alterius rei difficiliorem tractatum aut numerosiorem esse quàm uini, cùm sit tardum dictu, pluribus prosit an noceat. Quam sanè difficultatem adaugent tam multa uinorum genera, tam multæ eorundem inter se ex uite, solo, situ, regione, cultu, arte natæ differentiæ: tanta saporum uarietas, tam multiplex demum in nobis potentia, miraq; in omni mortalium genere cognita ab eo opera: ut nemo sit qui ea contemplatus, non & summè miretur, & inquisitionis studio non accendatur. Quum à uino mœrorem ac gaudium, silentium & dicacitatem, mentis insuper hebetudinem atq; acumen, extenuationem & impletionem, somnum ac uigilias, sanitatem & morbum, uitam deniq; ac mortem adferri miseris mortalibus uideamus. Quæ sanè cuncta non tam ob uarietatem spectanda, quàm ob magnitudinem & inter se repugnantiam admiranda uidentur.

*lib. 23. Natu. histo. cap. 1.*

Quamobrem mirum uideri non debet, si cùm tot contrariorum sit causa, contrariarum etiam de seipso opinionum sit autor: ut frigidum alij, alij calidum, nonnulli humidum alij siccum sint arbitrati: ipsumq; morbis mederi, alij morbos inferre ipsum dixerint. Nos uerò quantum ad præsentem tractationem pertinet uolentes quod omnibus commune est definire, Aristotelis Methodum in secundo Resolutiuorum posteriorum sequemur, ubi artem tradit genericam naturam definiendi: quæ sanè methodus plurimum nobis nostra in re præsidij adferet, si id quod omnibus uinis ex æquo commune est inuenerimus.

Est autem commune omnibus uinis odor quidam inebrians, saporq; quidam uinosus dictus, qui sui est generis proprius: ad cuius similitudinem & fructus aliquos, ut mora, & terram quampiam, uinosa dicimus: quæ docta est Theophrasti sententia. Atque hæc duo, sapor inquam & odor, sunt per quæ aliquam unam naturam in omnibus uini generibus fusam esse, & ab unius naturæ planta prouenire possumus argumentari. Cùm uerò aliquam communem naturam in uinorum generibus inquirimus, constituendum id est, non eam esse in huiuscemodi rebus (in uino inquam

*lib. 6. de Hist. Plant. cap. 4.*

inquam & aliorum liquorum aut ſaporum conſimilibus generibus) naturæ unitatem perfectionem'ue, ſicuti in alijs plantarum aut animalium generibus. Neq; enim uinum parem atq; illa habet perfectionem: tum quoniam non in ſe perfecta quædam eſt ſpecies, ſed quædam uitis particula: tum quòd partim à natura, partim ab arte effectũ ſit. Vinum enim ſuccus eſt carnis quæ circa fructum uitis exiſtit, de ſua ſede hominum induſtria & diligentia remotum expreſſumq́;, & ad ſuos uſus reconditum. Plinius certè terræ ſanguinem ipſum uocauit, lib. X I I I I. cap. V. *Vinum quid.* *Lib. 14. natu. hiſto. cap. 5.*

Talia autem quæ aliorum quorundam partes ſunt, & hominum arte elaborata, ueræ ſpecies aut genera eſſe non poſſunt, ut in Parmenide Plato ex Socratis ſententia aſſeruit, qui genera & ſpecies natura non arte conſtare dixit. Quam etiam Platonis ſententiam Ariſtoteles confirmauit duodecimo primæ philoſophiæ libro.

Perſpecta igitur nobis utcunq; uini natura, illius modo erit nobis expendenda facultas: Quid, inquam, in homine poſsit, quæ cõmoda quæ'ue incommoda pariat. Poteſt igitur nobis uinum ut alimentum, poteſt & ut medicamentum conſiderari. Alimenti uerò tum rationem ſubit, cùm à natiuo noſtro calore ſuperatum, in ſubſtantiam tranſit membrorum. Medicinæ uerò, quatenus ſua in corpus actione eius immutat tẽperaturam. Primum igitur ſi in uino ſpectemus, omnium teſtimonio conſtat nulli alimentorum uirtutis & bonitatis præſtantia cedere: ut quod nimirum totum corporis habitum calidiorem humidioremq́; efficiat, celerrimè nutriat, uireſq́; citiſsimè roboret, natiuum calorem adaugeat, ut pote alimentum naturæ maximè familiare: bilis inſuper acrimoniam frangat, ſudores urinaſq́; moueat, ſemicrudos cõcoquat ſuccos, ſomnum conciliet, fluctuationes cohibeat, diſcutiat flatus, uentriculiq́; & omnium uiſcerum robur confirmet. *Ex Gal. 4. de Rat. uic. acu. 3. de Tẽper. 2. de Morb. cauſ. 1. & 4. de Sanita. tu. & 5. eiuſdem 7. Meth. et 3. de Alimẽ. fac.*

Quæ quum tanta nobis (modicè quidem ſumptum) commoda præſtet, quis non ei in alendo & uires roborando, iure palmam tribuat? Vnde poſt Galeni, Pauli & Aëtij de uino decreta, ita Plinius cenſuit. Vino, inquit, aluntur uires, ſanguis coloſq́; hominum, Vino modico (ſubdit) nerui iuuantur, copioſiore læduntur. Stomachus recreatur, appetentia ciborum inuitatur, triſtitiæ cura hebetatur, urina & algor expellitur, ſomnus conciliatur. Vniuerſam demum illius uim ſummi uiri autoritate colligens, ita demum de tota uini potentia ſtatuit. Aſclepiades (ait) utilitatem uini, æquari uix deorum potentia poſſe pronuntiauit. Vini autem ſi medicas uires paulò preſsius expendamus, ex calefacientium & ſiccantium ordine eſſe cum Galeno V I I I. de Simpl. facul. ſtatuemus. Eius uerba hæc ſunt: *Gale. ubi ſuprà, Pau. li. 1. Aëtius lib. 1. & 2.* *Lib. 23. Nat. hiſt. cap. 1.*

οἶνος ἐκ τῆς δευτέρας τάξεως ἐστὶ τῶν θερμαινόντων. ὁ δ᾽ ἱκανῶς παλαιὸς, τῆς τρίτης, ὥσπερ ὁ γλεῦκος ὀνομαζόμενος τῆς πρώτης τάξεως. ἀνάλογον δὲ ταῖς θερμότησιν, καὶ αἱ ξηρότητες αὐτοῦ.

Quod eſt: Vinum ex ſecundo eſt ordine excalefacientium: ſed quod admodum uetus eſt, ex tertio: ſicut muſtum, quod uocant, ex primo. Caliditati eius proportione reſpondet ſiccitas. Hactenus Galenus.

Ipſumq́;

Ipſum'qꝫ uinum uaria in corpus incommoda pro ſui natura, ætate, potentia, aſſumptionis modo inferre inueniemus. Nam uinoſa uocata, & immodicè ſumpta, caput tentant, neruos implent, fluxiones excitãt, mentem labefactant, uires corporis uniuerſas diſſoluunt: unde meritò frigidos morbos à Galeno facere credita ſunt. Aquoſa uerò ut minus hæc faciunt, ita certè minus alunt: Dulcia obſtruunt: Craſſa nigra'qꝫ difficilè permeant, diu'qꝫ in uentre morantur: Vetera uehementer calefaciunt: Noua turbant, & fluctuationem miram concitant: Acida lædunt uentrem, neruis'qꝫ ſunt inimica. Hæc in uniuerſum uini in corpus incommoda.

*Galen.2. de Morb.cauſ. Ex Gal.3. de Rat.uic.acut.*

His igitur de uino ſic conſtitutis, ad primum poſtulatorum reſpondeo: Indicatione quidem à morbo ſumpta in Arthritidis acceſsione uinum minimè conferre. Nam quod fluxionem concitat, & neruoſam ſubſtantiam omnem promptiſsimè offendit, eo'qꝫ morbum auget, id ipſum minimè conuenit: Tale autem uinum eſt: Itaque minimè ex uſu erit. Vnde illud meritò dixiſſe Auicenna uiſus eſt: Et oportet (inquit) ut dimittat uinum omnino uſquequo ſanetur ex morbo ſanatione integra. Curationem uti'qꝫ Arthritidis ex profeſſo tractans: id'qꝫ ratione certè optima, quòd à parte fluxione tentata quàm longiſsimè auertere, non ad ipſam humores trahere (uel Hippocratis & Galeni ſententia) expediat. Trahit autem ad articulos uinum calore & potentia ſua ſuccos: quamobrem per acceſsiones minimè conueniet, id'qꝫ indicatione tantum à morbo accepta. Nam ſi huic quæ à uiribus ſumitur indicatio repugnet, quum ea ſemper, uel Galeni teſtimonio, prima ac potiſsima ſit habenda, dari tum uinum congruè poterit: ut à quo mox uirium infirmitas reponatur, & corporis conſtitutio in meliorem habitum ducatur, dicente Galeno:

*Fen.22. tertij. trac.2.ca. 7. ad finem.* — *Hippo.lib.de Vulneribus. Gal.4. & 13. Meth.* — *9.Meth.* — *2.Aphor.cõment.18.*

Τάχιστα μὲν οὖν καὶ ἀθροώτατα οἶνος τρέφει.

Hoc eſt: Celerrimè & uniuerſim uinum nutrit.

Itaque uini loco per acceſsionum impetus, aqua mellis in qua aniſi ſemen ad uentriculi robur, & flatuum diſſolutionem incoctum ſit, ex Pauli ſententia conueniet. Ego cinnamomi decoctum ex Hydromelle per hyemem: per æſtatem, ſimplicem ex zaccaro potionem ualde probo, ſi uis morbi urgeat. Atque hæc de primo poſtulato.

*Lib. 3. ad finem ferè.*

De ſecundo, An, inquam, ad præcautionem uino illi perpetuò interdicendum, hæc mihi ſtatuenda uidentur: ut præſtantius ſit, atqꝫ in rem præſtantis huius uiri fratris tui utilius, uino modico nec potenti, quàm aqua potu'ue alio uti. Quæ ego ut exiſtimem, multis, his'qꝫ ualidis, ni fallor, rationibus adducor. Primùm uirium in hoc uiro à morbi grauitate contracta infirmitas, ſumma'qꝫ ſolidarum partium à doloribus, uigilijs, morbi longitudine facta conſumptio atqꝫ exiccatio.

Quibus ſymptomatis omnibus quum quæ præſentaneum atqꝫ ſecurum exhibent alimentum (quale ſanè uinum præbet) commodè occurrant, fit ut præſtanti huic uiro etiam per ſecundam ualetudinem uinum ex uſu ſit. Vnde Galenus, de his loquens quos refici oportet, Potus, inquit, ijs opportunus eſt uinum, ætatem quidem habens mediocrem, in ſubſtantia autem purum atqꝫ pellucidum, quod ſcilicet uel ſubflauum uel

*In Arte medicinali, ad finẽ*

subalbum existat, atq; suauiter olẽs, gustui uerò neque aqueum omnino, neq; cum aliqua insigni qualitate aut dulcedine, aut acritudine sentiatur.

Quamobrem cùm renutritoria artis parte opus nunc illi sit (quam inter cætera unicè uinum complet) tantum abest ut auferendum censeam, ut ex illius usu maximum illi commodum prouenturum sperem, si præsertim & modicè & sobriè (quod eum facere certò scio) eo utetur. Ad quod item facit uentriculi percepta ab eo ex aquæ usu imbecillitas, coctionis tarditas, flatuum pituitosiq; sputi copia, uiscerum maximè lienis cognita à nobis tensio & duricies. Quæ sanè cuncta quum uentriculi & lienis, ob natiui caloris inopiam, infirmitatem indicent, subindeq; crudorum humorum flatuumq; redundantiam: fit, ut uinum maximo adiumento esse existimem: ut cuius sit facultas crudos humores concoquere, uentriculi & uiscerum robur firmare, (siquidem aqua uel Galeni testimonio uentriculi robur exoluit) flatus discutere, natiuum excitare calorem. Quorum quum hic uir maximè egeat, in promptu certè est, summa illi ex uini moderato usu commoda prouentura. *7.Meth.*

Adde & consuetudinis indicationem, quæ cùm magni semper momenti Hippocrati uisa sit, ei unicè inhærendum (quoad eius fieri maximè potest) idem autor consuluit. *2.de Rat.uic. acut.* Vnde illud rectè ab eodem dictum est: Quæ ex longo tempore consueta, & si deteriora, minus grauia esse solent. *2.Aphoris.* In quam cogitationem animum aduertentes, quicunq; è nostris & ingenij præstantia, & doctrinæ claritate, & usu magnum sunt nomen medendo, immortalemq; gloriam consequuti, illud potius duxerunt & utilius, quod esset consuetum, quàm quod consuetudini repugnaret. Vnde celebres in medicina factitanda uiri Gordonius, Matthæus à Gradi, & cæteri eius notæ, ob hanc ipsam consuetudinis uim in arthritidis præcautione uinum summouere ualde uerentur: etiam si id methodo se facere posse sciunt.

Nec obstat locus ille Pauli, quo ad præcautionem ab arthritide uinum omnino summouendum monet: experientiæ uim in hoc iactans, multos hac sola cautione ab omni prorsus dolore in reliquum uitæ tempus incolumes uixisse. *Lib.3.* Quod etiam confirmasse Auicenna est uisus, inquiens: Et uitent potare uinum plurimum grossum, imò omne uinum. *Fen.22.quarti.cap.de cautela ad dolores iunctu.* Nam etsi ad præuisionem, aquæ potum uino hi autores prætulerint, uerentes ne à uino neruosum genus lædatur, & præcipites in iuncturas ferantur humores, (quod facere uinum dicitur) tamen non in omnibus id temperamentis, omniq; in uniuersum hominum naturæ id præcipere uoluisse: sed in his tantum, quibus sanguinis copia negotium facit, ille Alexandri Tralliani locus indicat, qui explicans, docensq; de his tantum debere id intelligi, quos sanguinis in articulos influxus arthriticos facit, ad hunc modum loquitur: *lib.2.cap.26.* In quibus (inquit) à sanguinis influxu podagra fit, abstinendũ omnino à uino his est, & ab his quæ sanguinem item multum generant cauendum. Nam (subdit) multa uini potio his quibus multum abundat sanguis inimica est. Et rursus de re tota concludens, Expedit (inquit) ista omnibus modis obseruare ijs, quibus fluxio ex plenitudine

nitudine ſanguinis acceſſerit.

An non apertiſsimè præcautionem hic ex influxu ſanguinis tantum docuiſſe uidetur? alioqui cur ad finem uerba hæc adieciſſet talia obſeruanda ijs, qui ex plenitudine ſanguinis laborarent? Aëtius certè unus omniū in re medica præſtantiſsimus in biliosæ fluxionis ad iuncturas decurſu, atq; etiam pituitoſo, uinum audacter concedit, intermiſsionis tempore: ſic enim ait: A' uino exacerbationis tempore omnino abſtinendum eſt, de bilioſa fluxione loquens: intercapedine autem pura reddita, parum ex eo concedendum. Et rurſus, pituitoſæ fluxionis curam pertractans, Vinum præbeatur (ait) quàm minimum interualli tempore tenue, fuluum, & uetus. Quæ eadem eſt Raſij doctiſsimi inter Arabes medici libro de iuncturarum morbis ſententia: qui in acceſsione auferendum quidem uinum, in præcautione uerò non omnifariam uetet, ſed indulgeat potius, etiam ſi de ſanguine aut bile fluxio ſit: ſic enim de hac re: Si uoluerit, inquit, æger bibere uinum, bibat parum, temperatum, hoc eſt probè, ut ego interpretor, dilutum. Et item de bilioſa fluxione loquens: Dabis, inquit, ægro aquam cum uino. In ea uerò quæ ex pituita, meraco quidem, ſed pauco utendum conſulit.

*Lib. 12. cap. 32. & 33.*

*Cap. 20. 21 22.*

Quod ſi ſummi hi in re medica uiri, in omni temperamento etiam ad præcautionem uinum dare non uerentur: cur nos præſtanti huic noſtro laboranti imbecillo uiribus, exangui, rabido, obſtructione in uiſceribus, & uentriculi imbecillitate affecto, uinum, unicum uitæ & ualetudinis ſubſidium, negemus? aut non potius ſuadeamus & conſulamus? præſertim quum in illius uſu temperatiſsimus ſit, ſobrius, & ſui obſeruās? Nam quum uinum noſtri in arthritide prohibere ſunt uiſi, non tam certè uinum, quàm illius intemperantiam ſunt deteſtati: ut qui non à uino quidem, ſed à multo & potenti arcendos ægrotantes cenſuerint: ſic enim Galenus ait:

*6. Aphor. cōment. 25.*

ὅθεν ἀργίαι τε καὶ ἀδδηφαγίαι βλάπτουσιν αὐτούς, βλάπτουσι δὲ καὶ τῶν ἰσχυρῶν, καὶ πολλῶν οἴνων αἱ πόσεις, καὶ μάλισθ' ὅταν ἄνευ τοῦ προεδηδοκέναι τις αὐτῶν προσφέρηται. πλήττουσι γὰρ ἑτοίμως ὅτι τὸ νευρῶδες γένος, ὥσπερ καὶ αἱ συνουσίαι.

Vnde & deſidiæ & crapulæ eis nocent. Nocent autem & potus multorum & fortium uinorum, præcipuè cùm aliquis ea ieiunus potauerit. Hæc enim neruoſam ſubſtantiam prōptiſsimè offendunt, ſicuti & coitus.

Vnde Hippocratis ætate ob uitæ parcitatem temperantiamq; paucos omnino podagra laboraſſe, ſuis uerò temporibus, ac multò magis noſtris quàm plurimos affici claro teſtimonio affirmat. quòd plerìq; nihil exerceātur, & cruditatibus atq; ebrietatibus eouſq; abūdēt, ut neq; tellus, neq; maria, ut Plinius ait, gulæ noſtræ ſeruire poſſe uideantur. Itaq; dandum huic domino uinū per morbi remiſsiones, idq; illi tutius fore certò affirmo. Sit autem uinū colore rubrū, liquore tenue, aut mediocre, cum leui quadam acerbitate: tale enim Aëtius ſanis & ex morbo conualeſcētibus commodiſsimum eſſe ſtatuit lib. 1. ad finem. Quòd ſi experiri uoluerit aquæ potum per æſtatem, ad breue tempus experiatur: à qua ſi noxam in uentriculo ſenſerit, mox ad uinum redeat: & uino quandoq; etiam ex

melle

melle utatur per hyemem, ut bellè Galenus monet, in quod petroselini aliquantum indatur, tale enim podagricis aptissimum esse Galenus asserit. Atque hæc de secundo. *5. de Sani. tu.*

Quoniam uerò & de uacuationis modo in accessione rogatus sum sententiam dicere, breuibus respondeo: Aut nihil omnino, aut leuissimè per accessionum impetus uacuandum esse. Nam etsi nostri omnes uacuationem, etiam quæ per ualentia fit medicamenta consulunt, ad humoris fluentis reuulsionem: tamen quum experientia didicerimus, multos aut fermè omnes, ab huiusmodi uacuationibus deterius in posterum habere, longiusque ægrotare, exagitatis utique à medicamento humoribus, & ad imbecillas partes deductis: consulerem omnino, aut parcendum uacuationibus esse, aut leuissimis id perficiẽdum medicamẽtis: quod his uerbis suasisse Auicenna est uisus, Facilis, inquit, (de uacuatione loquens) forti est incolumior, & gradatio conuenientior. Et paulò pòst: Et non fiat, inquit, euacuatio: si autem plenitudo exigit, tunc fiat cum eo quod assellare facit semel aut bis. Et clysteria (subdit) sunt rectiora. Nam fortes uacuationes humores mouẽt à locis suis, & ad loca ægritudinis trudunt: ut idem paulò pòst affirmat. Et caue, inquit, ne in potu des in primis nisi medicinam debilem, quoniam ipsa mouet materiam, & non facit currere aliquid de quo sit curandum. Imò fortasse (subdit) attenuat materias congelatas alias, & facit eas currere ad membrum. *Fen 22. tertij. tracta. 2. cap. 7.*

Quamobrem quum id nos experimentum doceat, etiam si aliud ratio suadere uideatur, experientiæ hærendum prorsus consulo: Auicennæ in hoc sententiam sequutus, qui quum inuicem ratio & experimentum in uno quopiam pugnare uidentur, experimento standum monet, quod in sophænæ & sciaticæ uenarum sectione his uerbis declarat. Et ratio (inquit) facit oportere, ut sciatica & sophæna similis sint iuuamenti in dolore sciæ & podagræ, sed experimentum facit ut sciaticæ apertio plurimum conueniat dolori sciæ: sicut si hoc esset debitum. Itaque per accessionum impetus uel nullo omnino, uel clysteribus leuibus aut solo rhabarbaro aut agarico utendum censeo. Ante morbi accessionem quum iam proximè uentura speratur, paulò audentius uacuandum suadeo, uirium tamen habita ratione. Sic certè Galenus fluxionibus huiusmodi paratos, apparata & præueniente uacuatione incolumes & à morbi impetu immunes seruabat. *Fen 4. primi. cap. 20.* *lib. de Sang. missio. & 6. Aphor. comment. 47.*

Hæc habui, Paule Antoni, quæ crassa ut uides minerua, humilique filo quantum per ingenij mei mediocritatem licuit, in re fratris tui, uiri omnium ore laudatissimi atque optimi, dicerem: quæ & ipsa si non satis per se polita limataque erunt, uti non esse abundè per me ipse intelligo, ingenij culpam deprecor: rogoque, ut hæc qualiacunque mea in bonam accipias partem; non id spectans quale sit, aut quantum, quod tu faterque tuus de me promeriti estis, sed quantum præstare ipse possim.

Vale, & me ama.

*Super solutiuo pharmaco leni præsertim minimè dormiendum, contra obseruatum hactenus ab Italis morem.*

ENARRATIO V.



MENALDVM Guilielmum, uirum egregiè doctum, ac de re medica optime meritum, cùm Roma redeuntem perhumanè, ut fit, salutassem, quæsissemq; de eo, quàm prospera illi in profectione cuncta, quàm cum doctis in Italia uiris uersatus, quàm multa animaduersione digna uel uidisset ipse, uel ab Romanis illis proceribus audiuisset, quàm multos referret nouorum autorum titulos, quorum erat ipse suaptè natura cupidissimus: quid tandem de nostræ sortis hominibus, hoc est Italis medicis, qui uel uno patriæ nomine toto orbe celebres & sunt, & habentur, illi uisum esset: quid tandem eorum doctrinam, iudicium, promptitudinem, solertiam, rerum usum admiraretur, quantiq; faceret.

Quæ singula cùm propè curiosius de eo interrogassem, Ad hæc (ait) tibi Francisce paulò uberius explicanda, maiore nobis & otio & tempore opus esset. Ne non tamen tibi ista sciendi cupidissimo, non pro eo ac debeo satisfaciam, compendiò ad singula ut postulas respondebo. Felix in primis nauigatio & tota profectio fuit, successus (quod ad quæstum pertinet) haud ita secundi, nec sanè laboribus pares. Italia porrò nunc, atq; urbs Roma præsertim, multis (ut olim) ingenijs floret. Multa certè uidi notauiq; scitu dignissima, in quibus ut soleo conquirendis paulò etiam fortasse quàm par est curiosior fui. sed de his alias tecum. Libros autem fermè nullos habent, quibus non hic nostri pares habeant, & qui apud eos plæriq; omnes è Germania.

Cæterùm ut de medicis aliqua tecum, quod te scire uelle, & cupere maximè uideo. Scito pro Italiæ urbisq; celebritate, doctos quidem illic multos haberi, uerùm qui diuersissimam à nobis in medendo rationem sequuntur, ut tibi modò narrata historia quadam, contentioneq; mihi cum celebri quodam medico habita, explicabo. Cum docto quodam mihi de re medica contentio fuit: cùm is uni ex proceribus aulicis cassiam fistulam deuorãdam paulò ante cœnæ tempus superq; dormiendum iussisset. Quod factum cùm mihi maximè non probaretur, indicaui tum homini amicè oppositum eius quod iusserat salubrius mihi uideri. Quibus autem rationibus id contenderim, neq; huius est temporis, neq; loci percensere. Quid autem tu de ea re Francisce sentias, lubens de te quæsierim, qui talium esse soleas non negligens inquisitor. Proinde si quid otij nactus es, in huius problematis explicatione fac paulò diutius immorere: sic enim & mihi ualde gratum feceris, & tibi ad meliora paranda uiam inuenies. Quanquam res ipsa minoris uideatur, quàm ut de te tam enixè roganda ueniat, aut tantopere flagitanda. Sed hoc dabis uel mutuæ nostræ amicitiæ, uel professioni ambobus communi, uel facilitati & propensioni denique tuæ.

Ego uerò, uelim, inquam, Menalde, ut uel eruditione, uel multo re-

rum usu, uel studio, aut officio deniq; aliquo meo, possim optimæ tuæ de me conceptæ opinioni re ipsa respondere: ut tu honorificentius quàm uerius de me sentiens, & prædicas, & apud omnes testificaris. At ne tu quippiam à me petieris, quod non impetraris, ingenuè tibi in hoc operam præstabo meam, dicamq; liberè quæ de tota re sentio. Si modò in primis id mihi tecũ constiterit, de cassia ipsa, eiusq; similibus pharmacis, nullam usquam ab Galeno, Paulo, Dioscoride, Aëtio, ac eius monetæ scriptoribus fieri mentionem: ut eius rei locupletissimus testis est Nicolaus Leonicenus in suo de medicorum erratis libro. Nam alterum cassiæ genus, de quo Galenus VII. de Simplicium facultatibus, ab hoc ipso solutiuo longè diuersum est: cùm illud uehementer sit calidum siccumq;: hoc uel temperatum uel temperamento proximum, ut Mesueus ille medicorum euangelista testatur. Illud item gustu, acre, mordax, & subamarum, facultate exsiccans, detergens, aperiens, & quadantenus corroborans: hoc insipidum, insuaue, nauseabundum, humectans, leniens, ac uentriculi penè uires deijciens.

Quamobrem cùm Græcis ignotum sit hoc medicamenti genus, nimirum si in usum illis non uenerit, nec de eo uspiam tractatum inueniatur. Itaque in Pœnorum castra ingrediundum prorsus mihi erit, atque ex eis mutuanda quæ ad hanc rem facere uidebuntur. Auicenna igitur inter Arabes præcipuus sui canonis lib. II. huius meminit, inquiens, in actiuis quidem qualitatibus temperatam esse, in passiuis humidam, uentris subductoriam, lenientem, ac sine noxa penitus ulla aut mordicatione uacuantem: adeò ut & prægnantibus conferat, si quando illis sit uacuatione opus: idipsum Serapio, Auerroës, Rases, Haliabbas, Mesueus, cæteriq; testantur. *Cap. 197.* *Serap. lib. de Simpl. tract. 1. cap. 12.*

Vnde liquidò constat, inter uacuantia pharmaca, hoc lenissimum esse, & naturæ maximè familiare: quum (ut illi aiunt) sine molestia uarij generis excrementa uacuet, sed præsertim biliosa, & ex his magis quæcunq; assationem sunt passa: quamobrem in quibus hæc redundant, & quibus uel natura uel symptomate aliquo astrictior aluus est, his sanè omnibus maximè confert: adhæc delicatulis, & qui uehementiora non admittunt pharmaca: in quorum albo quum & ipsi Itali uel omnium primi sint habendi, nimirum si ab acrioribus abstinentes hoc crebrò utantur: quanquam creber illius usus quum uentriculo tum uisceribus noxam inferat, substantiæ eorum robur lenitate sua nimia dissoluendo, ac nauseam procreando, ut Mesueus testatur: idq; potissimùm, si natiua compage paulò fuerint uiscera laxiora, uel lenitate affecta. *Auer. 5. collectionum cap. 55.* *Rases 3. ad Alman. ca. 51.* *Haliabbas 2. prac. cap. 38.* *Mesue cap. proprio.*

Itaque ut moderatum illius usum atq; rationalem delectum, sicuti & mannæ (quæ & ipsa zaccari cuiusdam species est & leniendi uim habet) maximè probo, ita passim, omni morbo, omni demum temperamento, naturæ, horæq; conuenire: atq; ob id omni affectui sanando propinari debere, (quod Itali ferme omnes faciũt) id ego in primis nego fieri oportere. Id quidem, (præter hoc quod contra methodum est) Omnes (ut ait Galenus) uno calopodio calceare, à ratione etiam & usu uehementer est *9. Meth.*

alienum. Nam etsi leuibus fortaſsè morbis, & delicatulis cōferat: an quæſo ualentiſsimis hominibus, uel cacochymis, uel multis ſuccis redūdantibus, adhæc affectibus contumacioribus ex uſu eſſe putabis?

*5. Meth.* Galenus ipſe in Medendi methodo eos arguit, qui nunquā non à mitioribus & paruis auxilijs inchoandum aſſeuerabant, inquientes tentanda hæc prius eſſe, mox ſi nihil profecerint, aggredienda maiora. Hoc enim ut in leuioribus morbis, in quibus periculum non impendet, uerisſimū eſt: ſic certè in grauioribus (& in quibus uel ægro prorſus moriendum eſt, uel quid maius tentandum) alieniſsimum eſt à ratione. Nam ut cætera omnia ab Hippocrate prodita, ita & illud quoq; uerisſimum eſt, *1. Aphor. 6. 2. de Rat. uic. acut.* Ad ultimos morbos ultima prorſus remedia maximè ualere. Rurſus Galenus & Hippocrates in pleuritide, & eius generis affectibus, non leuia iſthæc pharmaca, cùm de uacuādo cogitant, ſed fortia exhibent, peplium, helleborum, & eius generis reliqua. quanquam in hoc non imitandos cenſeo, quòd hominum hoc ætatis natura, ualentiſsima hæc pharmaca minimè patiatur, uideas tamen in morbis acutis plus prodeſſe bene temperata ſoluentia pharmaca, (etiam ſi ſcammonio, tripolio, colocyntide, agarico, & ſimilibus conſtent) quàm caſsiam, mannam, tamarindos, uiolas, & eius generis. Iſthæc enim etſi naturæ familiaria magis ſint, morbificam tamen cauſam pro morbi ratione haudquaquam auferre poſſunt, ſi ea modò paulò ualentior fuerit. Vnde fit, ut mota concitataq; ab medicamento morboſa cauſa, neq; uacuata ob pharmaci imbecillitatem, deterior reddatur, ægrumq; uehementius torqueat. *5. de Sympto. cau.* Nam ſi Galeno creditur, cauſa mota moleſtior eſt ſeipſa quieſcente.

*In Continente ſuo.* Proinde Raſes inter Pœnos medicos nemini poſthabendus, ſatius ducebat paulò uehementioribus auxilijs periclitanti naturæ opitulari, quàm lenioribus utens proditor naturæ haberi. Proditores autem eos uocabat, qui mitioribus medicamentis morborum ſæuitiam coërcere, ac blandimentis quaſi quibuſdam naturam prodere tentarent: dum ſurſum deorſumq; agitantes, nihil ſæuitiæ morbi remitterent. Quin & hac ipſa tempeſtate, non alij certè aut celerius curant, aut melius proficiunt, quàm qui crebris & paulò fortioribus medicamentis ſolutiuis morbos profligant: modò ne quid noxæ uirtuti ab his inferatur.

Quamobrem haud ſatis dignè mihi in hoc pleriq; medici facere uidetur, qui omne aliud ab caſsia, manna, rhabarbaro, & tamarindis, pharmaci genus reſpuentes, ad omnes morbos his ſolis utuntur: quorum ſententiæ Symphorianus Campegius in ſua Pharmocopolarum officina, tum & in Horto Gallico ſubſcribere uidetur.

Nec me fugit pro regionum hominumq; natura, ac uario temperamento, mutanda quoq; eſſe ſoluentia medicamenta: ut in calidis tum regionibus, tum naturis, mitiora propinari debeant: in frigidis contrà. Quæ cauſa eſt, cur in Gallia penè tota & Germania, ualentioribus utamur ſolutiuis: in Italia & Hiſpania mitioribus. Sed non ob id tamen in totum explodenda ſcammoniata pharmaca, etiam illis in regionibus, ſi quando ſeſe occaſio offerat.

Ioann

Ioannes Manardus, uir certè nostra ætate omnium longè doctissimus, in sua ad Symphorianum epistola, cyaneum lapidem, uulgò Lazuli uocatum, ritè paratũ melancholicis exhibere audet, nec quippiam noxæ ab illo ueretur: etiam si alioqui nocentissimus existimetur. Bartholomæus à Montagnana summus suæ ætatis, ut tunc habebatur medicus, uehementia etiam præscribit medicamenta in mediocribus, nedum maximis morbis: idipsúmque Nicolaus Florentinus facit. Ex horum autem tantorum uirorum testimonijs abundè constare puto, non tantopere uerenda esse mediocria solutiua contra uulgatum quibusdam, quem tu mihi recensuisti morem.

Nunc autem quàm rectè istæc medicamentorum genera, nempe cassiam, mannam, & reliqua, tum ante cœnam modico exhibeant interuallo, tum post ea somnum iubeant, uideamus. Eius itaque generis medicamenta ante cibum modico interuallo sumi debere, nemo est qui ambigat: equidem hoc lenientibus pharmacis peculiare est ac proprium, ut nisi cibo adacta detrusáque, non moueant, ac proinde sint parum ante cibum, & per se sola sumenda. Vnde Galenus hoc belle nos edocens ad hunc loquitur modum. Mora, inquit, primò & ante omnem cibum sumenda: nempe illud nouisse præstat, eduliorum scilicet deiectionem procurantium, quæ tardè commeant, postremo sumenda esse ordine: quæ uerò celeriter subsidunt, primo ante omnia loco. Et rursus de prunis sermonem instituens, Aluum, inquit, pruna mouent, præsertim si prandium non statim, sed aliquantò post interuallo inchoëtur, & ipsa sola comedantur: hæc enim communia omnium laxantium præcepta meminisse oportet. Hæc Galenus. *Lib.2.de Aliment.fac.*

Ex quibus sanè locis cuique constare puto, congruum lenientium tum eduliorum, tum etiam pharmacorũ sumendi modum qualem esse oporteat: nimirum ut & per se sola sumantur, & quæ ex eis facilè subsidunt, primo ante omnia loco. Quamobrem cùm & cassia ipsa lenientium numero iure optimo adscribatur, fit, ut & modico ante cibum interuallo, & per se sola sumi debeat: hoc est nulli alteri cibo admista. Horum autem Galeni præceptorum hæc causa est, quòd quæ facilè subsidunt si priore loco sumantur, nihil habent quod ipsorum remoretur actionem: quare lenitate & humiditate sua uentriculum supinum reddentia, atque ipsius robur euertentia, proritant. Si uerò postremo sumantur loco, à priore iniecto cibo eorum opus peruertitur: cùm neque sic uentriculum euertere, (nimirum cibo admista, à quo eorum deiectoria facultas destruitur) neque deiectionem moliri possunt: calore nimirum uentriculi circa cibi confectionem occupato. Contrà uerò quæ tardo sui commeatu aluum mouent (ut cotonea, pira, mespila, & eius generis) si ante cibum sumantur, nudo uentriculo occurrentia, ipsum adstringunt roborantque, unde deiectio prohibetur: si à cibo autem, uentrem adstringentia & roborantia, prius iniectum cibum grauitate sua concitant, deorsúmque trudunt in uentre contenta: de his enim sic ait Galenus: Adstringentia postremò iniecta (maximè his qui stomacho sunt imbecilli) uentrem roborantia *2.de Alimen. fac. capit.21. nouæ uersi.*

concitantiaq́;, deorsum trudunt in eo contenta.

Reddidimus huius problematis causam, Cur, inquam, cassia modico ante cibum interuallo sumenda, si deiectionem ab ea moliri curamus. Vnde liquidò constat, cur à cibo longissimè sumpta non operetur: utiq; ob id, quòd eius facultas à calore uentriculi superetur. Eodem nanq; modo edulia concoctu facilia in uentre igneo corrumpuntur, & alimoniam corpori minimè præstant: quòd imbecillis eorum potentia ab stomachi uirtute igneoq; calore uincatur, ita tradente Galeno. Quamobrem si tribus, quatuor'ue, aut pluribus ante cibum horis, cassia sumatur, nullam penè deiectionem facit: agente nimirum in ipsam uentriculo, caloreq; suo in alimoniam uertente. Sunt enim eius generis medicamentorũ nonnulla, (ita asserente Galeno) quæ ubi purgatione frustrantur, præterquam quod noxam corpori nullam inferunt, etiam alimentum homini præbent, atque concoctionem accipiunt, talemq; producunt humorem, qualem trahere nata erant, ex eiusdem Galeni sententia. Rectè igitur facere mihi uidentur, quicunque modico ante cibum interstitio istæc medicamenta exhibent.

*In Arte medicinali. de signis uẽtriculi calidioris.*

*3. de Simpl. fac. cap. 23.*

*Vbi suprà immediatè.*

*An ante cœnam uel prandiũ cassia propinanda.*

An uerò ante cœnam uel ante prandium commodius utiliusq; propinentur, tempus est iam exponere: magni enim interesse puto, uno'ue uel altero modo sumantur. Nam quæ proximè ad cœnam sumuntur, ea omnia si ex leuium numero sint, ut cõcoquantur & in naturæ usus transeant, sunt promptiora: quòd scilicet somnus accedens, innatum calidum roborans uegetius'que reddens, concoctionem ualentissimè moliatur. Quamobrem Galenus VII. Methodi non solùm his qui uegeto & sano sunt habitu, fortiq; uentriculo, ualentissimos etiam cibos uesperi sumendos præcipit: sed etiam tabidis & infirmis: quoniam non solùm quies & somnus, sed etiam longius tempus horum naturalem administrationem excipit: unde perfectior concoctio sequitur. Itaq; si eius quod exhibetur concoctio, & in corporis habitum distributio quæritur, uesperi & ante cibum iuxta Galeni sensa exhibendum est. Cùm autem ab cassia, manna, & eius generis reliquis, neq; concoctio, neque distributio quæratur, sed alui ductio (quæ à somno coërcetur potius quàm promoueatur, ex Auicennæ sententia) eò fit ut uesperi & ante cœnam exhibenda minimè ueniat: quòd ex huiusmodi incongruo usu oppositum eius quod quæritur prouenit, nimirum cohibita ductio atq; concoctio.

*Fen 2. primi doc. 2. cap. 13.*

Quapropter enarratum abs te mihi Menalde quorundam in propinanda cassia morẽ non possum non uehementer mirari, ut quibus (quantum ex te audio) consuetum sit hoc pharmaci genus frequentius ante cœnæ tempus exhibere. Adde quòd cùm experimento compertũ sit, cassiam & id genus reliqua non nisi cibo multo grauata deorsum ferri, aluumq; ducere: in cœna autem multò minor ciborum copia quàm in prandio sumi iubeatur (hoc ætatis potissimùm ut sunt homines intemperantes, gulæ ac genio dediti, atq; ob id nullis non morborũ generibus expositi) eò inquam fit, ut leuiori assumpta cœna, si ante eam quodpiam tale medicamentum sumatur, ut nihil aut omnino parum moueat, cuius contra-

rium quærimus: ac proinde turbatio & uẽtriculi noxa sequatur. Quamobrem consultius fore putauerim, ante prandium exhiberi debere, quum & plusculum cibi eo temporis citra noxam adferri contingat, unde grauatum medicamentum celerius aluum ducet, & calor in extima corporis ob uigiliam diffusus, neque in intima reuocatus, uim pharmaci deiectoriam superare non poterit: atq; tum suæ naturæ relictum, ab ciboq; comprimente & calore mediocri adiutum aluum facillimè ducet.

Habẽs itaq; super prima problematis abs te quæsiti parte elucidatam à me sententiam, postremum eius nunc prosequor: Dormiendum inquam, non esse assumpto uno aliquo ex eius generis medicamentis. Nam in primis si autorum testimonijs certandum sit, id fieri uetant probatissimi quiq;: in primisq; Arabs Auicenna, qui de ea re ex professo tractans, asseuerat à leni pharmaco prorsus dormiendum non esse: sic enim loquitur: Cùm (ait) quis deiectorium pharmacum ebiberit, si id quidem forte fuerit, melius erit ut super ipsum dormiat antequam operetur: sic enim melius purgabit. At si debile fuerit, expedit sanè ne super id somnus accedat: nam à somno, medicamenti concoctio sequetur. Hæc principis sententia de somno super pharmaco forti aut debili. Nam in priore confert maximè, siue forte sit pharmacum ratione quantitatis & dosis suæ, citra tamen uenenositatem: siue forte merito suæ uirtutis, siue merito formæ in qua exhibetur, utpote in catapotia redactũ seu puluerem exhibeatur: somnus enim super eius generis medicamẽtis in actum ducit, dissoluit, atq; sic eliquatum pharmacũ potẽtius humores attrahit, attractosq; euacuat. Quamobrem tum Rases, tum & Damascenus, ac Cophon, eunti dormitum, & post cœnam catapotia sumi iusserunt. Si uenenosum tamen, aut uehemens nimis fuerit pharmacum (ut scammoniata plerunq; omnia, & quæ helleboro, cicuta, & daphnide laureola dicta constant) super hæc minimè dormiendum: cùm metus sit, ne introrsum à somno reuocato calore eorum noxiam qualitatem ad membra nobilia & partes principes mittat, uenenumq; latè disseminet. Cophon uerò insignis medicus, in eo quem de medendi arte edidit libro, de hac ipsa re ad hunc loquitur modum: Medicina (ait) quandoq; datur in uigilijs, quandoq; in somnis. In uigilijs (subdit) damus liquidas medicinas, & leues, & maximè quando partes uicinas stomacho & leues stomachi humores purgare uolumus: cùm enim liquida medicina citò dissoluitur, citò & operatur. Si enim tunc dormiret, cùm naturalis calor tunc incenderetur, medicina amitteret uim suam, & infirmum in sudorem resolueret, & humores attraheret. Item cùm liquidi & leues humores citò & facilè dissoluuntur, citò & facilè ueniunt ad uias expulsionis. Si ergo dormiret, contingere posset medicinam non debilitari atq; tum resolueret humores, qui remanentes putrefierent, & facerent pessimos morbos. In somnis damus pillulas (ait) & duras medicinas, & fortes, cùm duros & crudos humores maximè in remotis partibus consistentes purgare uolumus: cùm enim pillulæ duræ sint, fortem calorem ut dissoluantur exigunt, cui ergo somnus sequitur, huic calor augetur dissoluens pillulas, atque cùm humores cõpacti sunt,

*An accepta cassia dormiẽdum.*

*Fen 4. primi. cap. 5.*

*Rases sexto Aphorismorum suorum, Damascenus itẽ in Aphorismis, Cophon in Arte medendi.*

*In Arte medẽdi cap. Quo tẽpore detur medicamentum.*

*Quæ medicamẽta in somno danda.*

duri & remoti, in somnis melius penetrat uis medicinæ ad extremas partes, quàm in uigilijs. dentur ergo pillulæ in sero eunti dormitum. Hæc Cophon de re proposita.

Ex his autem Auicennæ & Cophonis testimonijs, abundè constat à leni medicamento epoto, minimè dormiendum, rationibus ab Cophone potissimùm adductis: quanquam quod ad Auicennam pertinet, sibi ipsi contrarius uideatur, cùm hic à leni pharmaco minimè dormiẽdum præcipiat, alio uerò loco oppositum suadeat: nempe ubi causi ardentisq; febris curationem ex professo tractat: sic enim ait de tamarindorum aqua: Et quandoque conueniens est ut dormiant apud teporem paruum febris super aqua tamarindorum, & quandoque ponitur in ea parum camphoræ. Vnde uidetur uelle super aqua tamarindorum (lenissimo pharmaco) ut melius in actum ducatur, dormiendum esse: cuius tamen oppositum primo canone innuit. Tametsi propius illius sensum contemplanti, minimè sibi contrarius uideatur, cùm diuerso sit sensu hic & ibi loquutus: nempe cùm dormiendum super tamarindorum aqua præcipit, non tam uacuationem ab ea, quàm alterationem & humectationem celeremq; ipsius aquæ in uenas distributionem quærit: quod omnium optimè somnus facit.

*Fen.1. quarti tract. 2. cap. 44.*

*Fen.4. primi.*

*Conciliatio pugnantiũ locorum Auicennæ.*

Ad alterandum autem potius, quàm uacuandum id medicamenti genus excogitatum ab Auicenna fuisse, adposita protinus uerba indicant: Et quandoq; (ait) ponitur in ea parum camphoræ, ut indicet refrigerandi caloris extranei gratia, quàm uacuandi humoris potius exhiberi debere. Non ergo super leni pharmaco sed super alterante potius dormiendum præcepit. Atq; hoc pacto principem à contradictione uindicari iure posse crediderim. Ratio item suadet somnum mox à pharmaco debili noxium potius quàm utilem esse: nempe si super cibo dum adhuc in summo uentriculi natat, nec dum ad ima lapsum est, somnus multis (ut princeps ait) impedit modis, nimirùm cibum agitando, eiusq; concoctionem peruertendo, rugitus inflationesq; excitando, quantò magis protinus à medicamento somno accedente isthæc sequentur? A somno nempe deorsum ferri debile pharmacum prohibetur, atq; ob id maiorem quàm par est in uentriculo moram facit, unde uel qualitate sua, uel proprietate occulta non minimam uentriculo inferet noxam, atq; sic pessimè lædet. Addo quòd ex tali somno duo, atq; omnino contrarij, insurgunt in uentriculo motus: alter quo medicamentum ipsum per solutiuam quam habet ingenitam facultatem deorsum ferri nititur, coadiuuante ad hæc expultrice uentriculi facultate: alter uerò huic oppositus, quo per somnum humores expelli atq; pharmacum operari prohibetur. Somnus nanq; (si principi creditur) euacuationes etiam fortes retinet: quod & Hippocrates Galenusq; uoluerunt IIII. Aphorismorum, Aphor. XV.

*Fen. 3. primi doc. 2. cap. 9.*

*Fen. 2. primi doc. 2. cap. 13.*

Quamobrem cùm ex somno super debili solutiuo, Oppositum eius quod quæritur proueniat, nimirum cohibita alui ductio, aut prohibita: fit, ut noxæ amplius quàm bonæ frugis commodiq; somnus pariat. Quare tantum abest, ut à medico consuli in ægri profectum debeat, ut si modò

suo se munere dignum præstet, prohibere atq; interdicere iure poßit. Id enim est præcipuũ medici munus, ut tuto, & quàm celerrimè curet: hoc sibi pro fine præcipuoq; scopo proponens ut quanta maxima utilitate fieri poßit æger curetur: sic enim Galenus in medendi methodo præcipit. Itaq; somnum tanquam profuturum super debili deiectorio consulere nullo pacto debet medicus, indicatione tantum ab pharmaco sumpta. Nam aliundè (ut ab nimia uentriculi imbecillitate, calidiq; innati prostratione) somnum ritè consulere potest. *Gal.12. Metho. Celsus lib.2. Lib.12.*

Possem & alia Menalde in hanc rem addere multa, sed quæ tamen omisisse longitudini parcens præstiterit: quum tu isthæc omnia ceu ungues & digitos notißima habeas. Unde ne in re uulgatißima, hoc est in re parua, magnos calceos inijciam, ne'ue tibi eruditißimo, longißima hac Iliade stomachum moueam, ipsemet mihi silentium imponam, tibiq; quod superest (superesse autem multa scio) enucleandum relinquam: simulq; hoc de te petam, enixißimeq; rogabo, ut si non satis pro rei ipsius dignitate, doctrinæ nominisq; tui splendore, proposito abs te mihi problemati satisfecisse tibi sum uisus, ne tam ingenij mei exiguis uiribus, quàm propositi argumenti difficultati adscribendum putes: cùm & nihil fermè aut minimũ de hac re ab priscis nostris medicis, & quasi maiorum gentium dijs, tractatum inueniatur. Et etiam si tractatum inueniretur, reddi tamen incondita enarrantis oratione mancum & ineruditum. Sed memineris, In magnis (ut ille ait) & uoluisse satis. Vale, & me tui amantißimum (quod me non grauatim scis facere) mutuo atq; ex animo ama.

*Synochis, aut alioqui continentibus febribus laborantes, in magnum uenire discrimen, ni protinus ab initio ualentibus uiribus sanguis mittatur, ex Galeni doctrina.*

ENARRATIO VI.



I QVID aliud, hoc certè à Galeno rectißimè, ut plæraq; omnia, dictum est, Eos inquam, qui docere, scribere'ue quippiam aggrediuntur, si prius quæ scripto produnt, operibus ipsis ostendant, paucula quædã falsò dici. Hunc uerò contrà, quum ut sunt corruptißimi huius seculi mores, quisq; magis cupiditatibus suis, aut gloriæ, cumulandisq; opibus, aut populari denique auræ inseruiat; eò fit, ut contempto ueritatis studio, medicorum uulgus ea docere tentet, quæ nec satis norunt ipsi, nec experimento aut didicerunt, aut alijs ostenderunt. Proinde quo maior esset eorum quæ traduntur apud omnes fides, eam quæ in exemplis fit exercitationem omnium optimam idem Galenus statuit, ut quæ nimirum exactam uniuersalium artis theorematum notionem præbeat. Sunt autem exemplorum ea pro potioribus, ut idem ait Galenus, habenda, quæ ipsi oculis usurpauimus. Quamobrem quum discriminis uitæ ac grauitatis morbi in eius generis febribus quæ à sanguine putrente fiunt, (ni protinus *9.Meth. 9.Meth. Ubi suprà.*

nus sanguis mittatur) Galenus nobis in seruo laborante graue reliquerit testimonium, satagam, & ipse ad eius imitationem, hoc ipsum quoq; in nobili quadam ægrotante monstrare: quaq; uia in putridam febrem ex non putrida transitus fiat, & uariorum symptomatum, quæ progrediente febre in sic affectis apparent, causas recensebo.

Nobilis igitur ac multis quum naturæ tum ingenij dotibus ornata, Blancha à Castro bono, annos nata plus minus uiginti, temperamento calido & humido, boni habitus, solidorum membrorum, succulenta, incauti & inordinati uictus, & quod ad consuetudinem pertinet, laboribus assueta, & frigidæ potioni, quum per Austrinorum flatuum siccorum constitutionem (qui suapte natura febres creare solent) incautè se frigido Boreæ exposuisset, solutis quibus per hyemem usa erat grauioribus indumentis, stipationem meatuum externorum imprudenter admisit, cogente nimirum ambientis intrò frigiditate: unde factum est, ut & torpor quidam & ad corporeos motus segnicies, totius grauitas ac tensio, (instar eorum qui phlegmonosa uocata lassitudine laborant) demumq; & inæqualitas, & horror etiam, imminentis iam morbi indicia: nedum plenitudinis quæ ad uasa oriri cœperint, corpusq; aliter quàm secundum naturam se habere. febris tandem inuasit iuuenculam, quum tamen qui accensus est ab initio calor mitis esset, non acutus aut mordax (nimirum quòd nondum putredo occupasset, sintq; huius generis febres inter diarias & putrescentes mediæ, ita tradente Galeno) parum sibi tum ægrotans prospexit: putans fore, ut uel protinus discuteretur id malum, uel non in deterius progrederetur.

*Aristoteles prima problematum sectione, problemate 23. Et 26. sectione, problemate 49.*

*9. Meth.*

Itaq; sensim, dum neque medicum accersit, nec congruo utitur uictu, febris augetur, intenduntur quæ ipsam comitantur symptomata, uocatur in sexta die Medicus, quum iam febris ipsa paulò quàm à principio maior esset. sed neq; tanta tamen, ut multa adhuc putredinis signa, neque in pulsu neq; in lotio apparerent: siquidem ut ea referam quæ tum inesse conspexi, quod ad pulsuum quidem differentias pertinet, magni erant, & æquales, atq; ueloces, neq; admodum à naturalibus immutati. Vrinæ in colore & substantia mediocres, concoctionis notas sedimine suo præ se ferentes: quod & ipsum quanquam non omnifariam laudabile esset (nimirum diuulsum, tenue, subrubrum, uasisq; ipsius mediam occupans regionem) bonam tamen nobis spem præbebat superaturam omnem morbi impetum facultatem totius rectricem, morbum deniq; ipsum breui finitum iri, salubremq; futurum: siquidem rubrum apparere in urinis sedimentum in eius quidē generis febribus, si id quarto die fiat, septimo futuram solutionē indicat, ut tradit Hippocrates inquiens: Quibus septima iudicatur, his nubeculā habet urina quarta die rubram, & alia ex ratione.

*4. Aphor. 71.*

Galenus uerò in eius Aphorismi enarratione, etsi rarò id signum in alijs diebus præter quartum uidisse se asseueret, tamen quibus in septima id apparuit (apparuisse autem in nōnullis idem Galenus testatur) hi sanè XIIII. iudicati fuere: Quibus rursus XIIII. hi uigesimo, Quamobrem quum & huic ægrotanti id ipsum septima die euenerit, factum planè est,

est,ut ad XIIII. sit (quanquam non integrè) iudicata.

Nec ob id tamen Galenum falsum haberi posse censeo, quippe quòd iudicationes ipsæ uarietatem sanè multam habeant, secusq; quàm pro naturæ modo sæpius fiant, uel ægrotantis culpa non satis cautè uel obsequentis, uel congrua diæta utentis: uel medici aut ministrorum imperitia, incuria, uel neglectu: ut idem Galenus in de Criticis diebus asserit. *1. de Criticis diebus ca. 11. & lib. 2. cap. item 2.*

Ex his autem duobus potissimùm signis, urina nempe, ac pulsu, tum & eo quod per tactum sumitur iudicio, depræhendi nondum synocham ipsam in putridam transisse, quippe quòd febrilis calor longè ab ea abesset mordacitate, quæ febrientibus putridè peculiaris esse solet: his nempe notis palæstritam hoc febris genere laborantem cognouit Galenus. *9. Meth.*

Cumq; tum mihi planè persuasum esset Synochon esse hanc febrem, ab sanguinis citra putredinem copia procedentem, stipatis utiq; externis in cute meatibus, plenitudinisq; eius (quæ ad uasa dicitur) signa sese omnia offerrent, grauitas, tensio, rubor, uenarũ dilatatio: de sanguine mittendo sermonem facere commodum uisum est, quod sanè præsidium cùm non admisisset ægrotans (uel quòd à mittendo sanguine abhorreret, uel quòd à propinquis persuasa mulierculis, id se morbi genus pati, quod Rosam uulgares, Latini Morbillos nuncupant, quorum tum non parum multa in urbe copia grassabatur: in magnum planè discrimen laborans perducta est. Nam & febris grauior auctiorq; fieri cœpit, & symptomata indiciaq; periculi plena apparere cœperunt: spiritus creber ac difficilis, mali sanè morbi, si Hippocrati & Celso creditur, indicium, sitis urgens, suspiria crebra, dolor capitis turgidus ac pulsatiuus, sopor lethargo haud longè dissimilis, lingua nigra, squalida, rugosa, aphtisq; uocatis secundum palatum referta, maculæ in totum diffusæ, quas Græci exanthemata uocant, surditas, urinæ post mediocrem crassiciem tenuitas, sine sedimine apparens, pulsus deiectiores frequẽtioresq;, multa ad cibum auersio, mala & difficilis tolerantia, adhæc in somnis timores ac conuulsiui quasi quidam motus, adstricta item præter modum aluus, quæ planè cuncta quàm sint in eius generis morbis uerenda, quamq; graue quid portendant futurum, ab Hippocrate & Galeno tum in Aphorismis, tum in Prædictionum libris legendum. *Ex lib. de plenitu. Gal.* *4. Apho. 50. Celsus lib. 2.* *Huius laborantis mira symptomata.*

Quamobrem id re ipsa edoctus uerum esse comperi, quod à Galeno proditum est, ex errore admisso in eiusmodi morbis, non id tantum contingere, ut uel porrigatur in longius tempus morbus: sed ut interdum uel nouus oriatur, uel qui prius erat, non paulò deterior grauiorq; fiat. Crebrum autem hoc esse uitium, ut error in synochis committatur, idem Galenus autor est. *9. Meth.*

Quin & illud ipsum exploratum habui, qui tali sunt habitu præditi, eoq; febris genere correpti, in id discriminis incidere, ut uel suffocentur ipsi, copia scilicet impacti in uasis humoris: uel certè syncope prehendantur: hæc nempe ægrotans, præter id quod crebra ac difficili spiratione animam sibi eripi, uixq; egredi posse putaret, animo item sæpiusculè linquebatur: nidorosis nimirum ac putridis fumis uitales spiritus inficientibus, *3. de Crisib. cap. 4.*

bus, acriq́ue caliditate natiuam cordis temperiem corrumpente. Ex quibus sanè symptomatis etsi non minimum ægro imminere, nec leue periculum ostendissem: prædixi tamen futurum, ut seruari ægrotans minimè posset, ni uel uirium eam robur, (erat quippe bene habita, ac florenti ætate) uel largum sanguinis per nares aut menses profluuium, uel sudor deniq́ue multus ab impendenti leuaret discrimine: sic enim me Galenus docuerat: *9. Meth.* nec secus quàm putaram accidit. siquidem ingentes in decretorijs prodeuntes sudores, VII. IX. XI. XIIII. XVII. & XX. Larga item accedente per nares sanguinis profusione febrem planè omnem sustulerunt, laborantemq́ue seruarunt.

Qua uerò sim in hac curanda methodo usus, dicere iam optimum mihi uidetur. Ad hanc igitur in sexta à morbi initio die uocatus, quum propter ægrotantis pertinaciam astantiumq́ue mittere sanguinem non potuissem, *9. Meth.* serum iam id præsidium esse, (falsò tamen opinantes, quum Galenus nullo non die in eius generis febribus, modò uires constent, sanguinem mitti optimum duxerit) ad id remedium confugi, quod huius loco citra periculum adhiberi posset: nimirum ad cucurbitularum cum incisione admotionem: ratus satius esse quoquo pacto uacuari sanguinem, quàm totum intrò putrescere sinere, nec quicquam difflari corporis succos. Quod sanè auxilium ut minus momentaneum est, sic certè ubi occasione *lib. 2. cap. 10.* aliqua mitti sanguis non potest, tutissimum, ita asserente Cornelio.

Cæterùm noxij humoris uacuationē, & putredinis ablationem, nunc congruis sirupis, nunc clisterijs, nunc potionibus deiectorijs, perficere tentaui: quin & post putrentis humoris uacuationem, urinam & sudorem cientibus felicissimè sum usus: uictus uerò rationem eam institui quam morbi naturæ congruere sciebam, utpote exquisitam ac tenuem: sed uariam tamen pro temporum itidem morbi uarietate, quod facere *1. Aphor.* nos belle Hippocrates docuit: tantum uerò hac seruata methodo profecimus, ut ad uigesimum diem liberata sit quæ malè torquebatur ægrotans, sed id non citra sudorem & puluerem, ut est in prouerbio: ita ut *11. Meth.* planè uerissimum sit quod à Galeno proditum est, Diuites pauperibus perperam magis curari, ut qui sanguinis missionem ob molliciem reformidantes, in putridam febrem mox incidant, grauiaq́ue non citra uitæ periculum symptomata patiantur.

Quo autem pacto quæ à sola obstructione & copia oritur febris, in *Gal. 11. meth. et cõm. ad librum Polybi de Salubri uictu. & lib. de Pulsib. & de utili. respir.* putridam transeat (quod me à principio edocturum recepi) ex Galeni doctrina hic recensebo: quod maximè fiet, utriusq́ue febris adductis in medium causis. Itaq́ue cùm secundum naturam se habente corpore, transpirationem quæ secundum totius ambitū fit, simulq́ue & inspirationes ad custodiam innati caloris, perflatumq́ue internorum in uasis humorum liberas & moderatas fieri oporteat: contingit sæpenumero, ut uel obstructis exilibus in cute meatibus, uel conniuentibus ab immodica siccitate his ipsis, stipatio sequatur, atq́ue ob id non liberè transpirent qui in uasis continentur humores: qui & ipsi interdum nulla occurrente externa causa, sua ipsorum uel multitudine, uel crassicie, uel lentore, obstructionem in finibus

finibus uasorum creant, tumq; calidiores (ob reflexum intrò calorem
redditi) febrem accendunt, nondum putri effecto humore: quo sanè mo-
do in palæstrita illo accensam fuisse febrem Galenus meminit.

Quin hanc ipsam febrium generationem apertius indicare uolens, ad *9. Meth.*
hunc loquitur modum. In quibus, inquit, una accessio ab initio ad finem *9. Meth.*
perpetuò manens, in multos dies porrigitur, eas febres synochos, id est
continentes appellant. At non sicuti idea una eiusmodi febrium est, ita &
natura simplex unaq; est. Quædam nanq; earum manifestam habent pu-
tredinis notam, quædam prorsus non habent. Cùm enim (subdit) acces-
sionis remissio ex feruentium humorum transpiratu contingere soleat
(non transpirant autem in uehementi stipatione) necesse est plurium die-
rum fieri accessionem. Et paulò pòst, ueluti ostensurus ad uehementem
stipationem sequi caloris febrilis intrò reflexionẽ, sic ait: Cæterùm cùm
me audis dicentem, Vbi uehementer stipata corpora sunt, cohiberi intra
corpus febrilem calorem, &c.

Ex qua nimirum serie apertissimum est, eum continentium citra pu-
tredinem febrium modum, qualem suprà prædiximus, indicasse: cùm ob
prohibitam humorum à uehementi stipatione transpirationem, reflexo
intus calore gigni dicat: quam sanè febrium speciem, ex diariarum gene-
re esse asseuerat, nullasq; habere nec in pulsu, nec in lotio, nec ipso tactus
iudicio putredinis notas: pulsibus utiq; ac urinis non longè ab ijs quæ se-
cundum naturam distantibus, caloreq; ipso multo quidem, sed neq; acri,
neq; acuto. Fieri autem posse, ut natiuus in nobis calor extraneus fiat: fe-
bremq; citra humoris putredinem accendat, Auerrous ipse no npessi-
mus testis est, si quid momenti eius autoritas inter Pœnos doctissimi
apud Galenum habere posse putamus: nanq; sui Collectorij tertio asse-
rit, extraneum interdum reddi posse calorem ab externo, non putrefa-
ciente quidem ipso, sed assante potius & adurente humores: qui sic usti,
febrem creabunt, ut refert Nicolaus Florentinus Sermonis secundi sum-
ma IIII. cap. II.

Itaq; ex huiusmodi febribus in putridas transitum fieri Galenus testa- *9. Meth.*
tur, quoties qui febrem accendit humor, intrò diutius non transpirans
constiterit. Et si enim aliquantum citra putredinem consistere possit,
suaq; multitudine tum obstructionem, tum febrem producere, in lon-
gius tamen tempus protrahi is humor citra putredinem nequit: cùm quæ
perspiratu diutius carent putrescere celerius necesse sit, ex Galeni senten- *In æquali lib.*
tia. Cùm humorum autem perspiratio maximè sanguinis missione fiat, *de intemp.*
ut idem Galenus uult, nisi is in eiusmodi febribus ab initio mittatur, in pu *9. et 11. Meth.*
tridam transitum fieri necesse quidem est: non transpirato utique qui fe-
brem accendit humore: prohibitam nanque transpirationem Galenus *11. Meth.*
putredinis causam esse dixit. Vnde cùm diflari humor ob stipationem,
aut alioqui internorum in nobis uasorum obstructionem prohibeatur,
ueluti in semet conculcatus amplius calescit, qui sanè calor immodicus,
extraneus cùm sit, eius quod putret corporis substantiam in corruptelam
ducit: nihil enim planè aliud putredo est, quàm mutatio totius putre-

scentis corporis substantiæ ad corruptelam à calido externo, ut XI. Me-
*lib. Febriū 5.* thodi tradit Galenus, atq; ex Arabibus Isaac in suis de febribus libris.

Quo igitur modo quæ à sola obstructione citra putredinem oritur febris in putridam transeat ex Galeni sensu monstrauimus. Nunc quod postremum dicendorum nobis propositum est, Symptomatum inquam rationem causasq; enarrabimus: ac primum omnium difficilis ac crebræ *4. de Locis affec.* spirationis: cuius etsi multiplex ab Galeno reddatur causa, nempe uel prostratum uirium robur, uel plenitudinis in branchijs pulmonis copia, uel deniq; inflammatio in præcordijs, aut uehemens partium respirationi seruientium intemperies: ab duabus tamen postremis in huiusmodi febribus fieri existimandum est.

*6. Aphor. 54. Gal. in commen. præfati Aphor. Problem. 22.* Suspiria porrò in febribus luctuosa fieri à malo esse Hippocrates censuit: horumq; causam Galenus aut potentiam defatigatam, & uirium imbecillitatem, aut neruorum duriciem, aut dispositionem conuulsioni non longè dissimilem arguit. Aliam autem Alexander Aphrodiseus in suis problematis suspiriorum causam tradit: nempe, quòd dolentium anima ad causam doloris intenta, negligit ac quodammodo obliuiscitur motiuam pectoris musculis uirtutem præbere: unde fit, ut neq; perflatum neque refrigeratum recipiens cor, animam quasi cogat ad maiorem inspirationem respirationemq; quò scilicet maiorem frigidi aëris uim accipiat, maioremq; uim excrementorum excutiat, tumq; uocata suspiria fiunt: cupiente nimirum animali uirtute uitam in nobis congruo hoc motu seruare.

*1. de Simplic. cap. 30.* Sitis autem duplicem Galenus causam posuit, nimirum uel humoris inopiam, uel caloris copiam. In hac autem laborante ab extrema causa prouenisse iure optimo censuimus. Quippe cùm habitu esset optimo ac succulento, fieri non potuit, ut exhaustus humor sitim ualidam procrearet, sed qui multus suberat in ea calor, partim exsiccando, partim calfaciendo sitim nimirum creabat.

Doloris autem capitis, tum intemperies calida cerebri per totius consensum, tum uaporum calidorum sursum immodica elatio causa fuit.

Soporis penè eadem, nimirum anterioris cerebri à uaporum multitudine obstructio, affectis item temporū musculis unde sopor potissimum *4. de Locis affec.* gignitur ex Galeni sententia.

Squaloris linguæ & ustionis, fuliginis nidorosæ sursum latæ copia.

Exanthematum, seu morbillorum, humoris putrentis uenenositas ac malitia: hæ nempe in febribus maculæ etsi non perpetuò lethales sint, *Lib. de Coacis prænotionibus.* perpetuò tamen malæ plurimumq; uerendæ: inquiente utiq; Hippocrate, Quibus in assiduis febribus pustulæ toto corpore nascuntur, mortiferum est. Frequens autem id esse in perniciosis febribus symptoma, idem *Lib. 1. & 2.* autor in Epidemijs asserit, inquiens, Pustulas milio uel culicum morsibus haud longè dissimiles in febribus æstiuis circa VII. VIII. IX. apparere solitas, læsionisq; auditus indicium esse: has autem interdum rubras, rotundas, paruas, uaris similes, sine abscessu consistere dicit.

An uerò quæ per febrium incrementa & decretoria sæpe apparent

macul

maculæ, morbilli uerè sint. Dici quidem potest, propriè morbillos non esse, cùm illi pustulæ sint, hæ uerò minimè: sed rubores quidam ex sanguinis superassatione foras ui expultricis facultatis propulsi, ut plenius à me Enarratione octaua primi libri monstratum est.

Surditatis autem in febribus causa, bilis ad cerebrum recurrens motu'que suo auditorios meatus occupans à Galeno creditur: quæ & ipsa macularum apparitione indicata prius fuit, cùm eæ ex Hippocratis sententia læsionis auditus signum sint, assato nimirum & in bilis naturam uerso sanguine. *4. Aphor. 28* *2. Epidimio.*

Vrinæ autem post crassiciem tenues, tum ob raptum putrentis sursum humoris factæ sunt, (quod uerendum esse in febribus Hippocrates prodidit) tum ob nouum heterogenei humoris motum, cruditatē, & uirium in concoquendo humore laborem significantem, ut Galenus quarto de tuenda ualetudine asserit. *4. Aphor. 72*

Deiectionis autem, & frequentiæ pulsus, quum uirtutis uitalis imbecillitas, tum aucta supra temperamentum refrigerij necessitas, in causa fuere.

Reliquorum uerò quæ enumerauimus symptomatum causa (nimirum auersionis ad cibum, difficilis tolerantiæ, adstrictæ alui, timoris in somnis) intemperiei calidæ, & magnitudini morbi uniuersa adscribenda censeo. At de his abundè. *Lib. de caus. pulsuum.*

*In intempestiua sanguinis missione uerendum'ne sit, quod ab Auicenna scriptum est, ne æger ad alteram duarum rerum perducatur, biliosorum feruorem, uel frigidorum cruditatem.*

## ENARRATIO VII.



QVVM in Ioannis Ruffi seplasiarij & uiri optimi ædeis, ego & Iacobus Torinus uisendi Antonij filij natu maioris gratia (qui tum à tertiana febre malè habebat) ex officio conuenissemus, ægrumq́ in lectulo decumbentem solitis, ut fit, interrogationibus compellassemus: Ecquid ualeret, quàm probè noctem eam degisset, quàm grata quies, somnus, cibusq́ forent, in uarios de re medica quasi fortuitò incidimus sermones, dum apud ægrotum (qui nobis charissimus erat) colloquentes, una opera & ægri animum à molestia, & nosmetipsos hac ueluti animi exercitatione reficere atq; oblectare contenderemus. Tumq́ Iacobus ad Antonium: Quid ni tu, inquam, præscriptū à nobis hodiè pharmacum summo mane sumpsisti? ut enim quantopere te iuuisset, quàm multa secum noxia excrementa duxisset spectaremus, paulò tardius quàm nostri sit moris, per matutinam uisitationem ad hanc te horam, iam propè prandio proximam, ego & Franciscus noster te uisitatum uenimus. Quid autem animi de ea re tui sententiam aliorsum mutarit, de te scire aueo. Cui ille: Vt sumerem, inquit, iam in animo proposueram, eiq́ rei me iam totum parueram: sed cùm hodiè commissa esse secundum coitum luminaria, ex ephemeride di-

dicissem, consultò destiti: nam malè tum pharmaca quæ uocatis soluentia sumi, astronomorum peritissimi prodidere. Ad hæc nos cùm causam non satis idoneam cur non sumpsisset arbitrati essemus, affatim risimus. Quos contuens æger, Nescio, inquit, Domini quàm uos istæc quæ mox uerissima dicturus sum estis probaturi: Ego certè in Germania quum essem, unum atque alterum, concubitu in Lunæ silentio facto mox perijsse uidi. Cuius sanè tam repentini interitus nõ aliam profectò causam rerum cœlestium peritissimi afferebant, quàm Lunæ cum Sole coitum: quo sanè tempore magnam in nobis fieri mutationem prædicant. Et sanè maximam ego. *lib.28.cap.7.* Nam si Plinio autori grauissimo creditur, congressus tum facti lethales sunt. Quamobrem tibi haud grauatim Antoni assentior, qui istæc uideris experimentoq́ didiceris, ego certè Valentiæ Allobrogum id ipsum: nam iuuenem florentem ac ualidũ, unico cum uxore concubitu per Lunæ silentia facto extinctum uidi. Sed quanquam hæc ita sese habeant, iustam tamen tu occasionem, cur pharmacum non sumeres, nactus esse mihi non uideris: nam si quid aliud leuando morbo protinusq́ *2. Apho.29.* extirpando conuenit, id certè est, ut mox iuxta Hippocratis tui sententiam, si quid mouendum uidetur, id extemplò moueas. Sed age unius diei iacturam tu postero compensabis: equidem morbus nec uehemens est, nec tam præceps, quin nobis unius saltem dieculæ inducias præbeat. Atq; hic Iacobus: Seriòne an per iocum, haud satis scio: quanquam ex ipsa qua tum ussus est loquendi forma, uultu, fronte, atq; oculis, seriò locutum conijcere liceat. Rectè tu quidem Francisce (ait) erratum hic suum noster Antonius in crastinum: sed alio, si mihi creditur, auxilio diluet: nempè sanguinis missione, qua in febribus, si uires constent, nec dissuadeat ætas, *11.Meth.* nullum est aliud efficacius auxilium, si modò Galeno habenda fides. Ad quæ subridens æger, ad meq́ conuersus, Quid, inquit, Francisce tu de mittendo sanguine censes? faciam enim, (ait) si ita iubetis, quodcunque facto opus erit: quanquam à mittendo sanguine animus horret, metuq́ refugit. Sed si ita tamen uos mihi operæpretium facturos arbitrabimini, me uobis dicto audientem fore præstiterit magis. Tum ego, Mittendum *11.Meth.* esse in febribus fermè omnibus sanguinem, etsi ex Galeno tanquam utile & paratum planè auxilium didicerim: non temerè tamen, passimq́, & in omnibus id fieri oportere consultius duco, cùm multa à Galeno sanguinis intempestiuè missi incommoda prædicentur: metusq́ sit, ne ægrum (quod princeps Auicenna ait) aut in biliosorum feruorem *Fen 4.primi. cap.20.* aut frigidorum cruditatem deducamus.

Ad quæ uerba sic ut contigit ac oscitanter à me prolata, animum cùm pressius Iacobus intendisset: Quid tu mihi nunc bone uir (ait) nebulonis ac impostoris multò corruptissimi Auicēnæ uerba insulsissima, eademq́ falsissima profers? Si non pudet te, qui in Galeni monumētis, bonorumq́ autorum lectione sis diutiusculè uersatus, in Barbarorũ castra tanquam desertor transire? Tu'ne hæc uera putas quæ in medium adfers? Tu'ne Auicennæ testimoniũ tanti æstimas, ut pro oraculo haberi uelis, moxq́ ceu ueritatis magistro, quod Pythagoræ olim tributum scribunt, fidem haberi

haberi debere statuas? Si istuc Francisce sentis, meliorem tibi dent superi mentem: quibus dictis finem ille.

Ego uero tum, Quid inquam Iacobe, si hæc, etsi à me nõ in id adducta, ut sub censum tuum uenire putarem: tamen posteaquam me in certamen uocas, nedum uerißima, sed quod magis mirere, è Galeni fontibus eruta tibi persuadeam, atq; manifesta fide commonstrem?

Istuc tu mihi Francisce (ait) si uel per somnium ut credam effeceris, omnia te posse confidam. Sed quando & tempus & otium suppetit, & ægro nostro non ingratum sumus facturi, si de re seria disceptãtes alternis rationibus quisque partes tueamur nostras. Age quæso, uel tu quam citasti ex Auicenna sententiam uerißimam doce: aut ego falsam usque probabo.

Næ tu certe Iacobe probam ueri inueniendi uiam calles, qui uni ex nobis de re proposita quiduis dicendi, alteri contradicendi potestatem feceris. Hæc enim, ut scis, uetus & Socratica est apud Platonem ratio, contra alterius opinionem disserendi: nam ita facillimè uerum inuenitur. Sed quò commodius disputatio tota nostra explicetur, age tu falsam esse doce Auicennæ sententiam: sed ita, ut pro Philosophi more (quod de te certò sperare licet) id grauiter, acutè, medicè, & quò ad eius fieri maximè poterit, Latinè, ornateq; facias. Siquidem hanc esse perfectam Philosophiam Cicero tuus iudicat, quæ de maximis quæstionibus copiosè poßit ornateq; dicere. Rem autem ita aggrediare, ut si quid dixeris quod mihi maximè non probetur, id mihi autoritate, rationeq; aliqua reprehendere liceat, neq; ob id mihi succenseas: quin uel uictus sententia desistas, uel uictor afferas meliora. Siquidem Ciceronis illud est, (in de Finibus arbitror) Differentium inter se reprehensiones uituperandas non esse. Contumeliam autem, iracundiam, contentionem, pertinacemq; in disputando concertationem, indigna semper optimorum quorumq; ingenijs ac disciplina uisa esse.

*1. Tusculan.*

*1. de Finibus.*

Ergo ille sic exorsus principium dicendi fecit: Primum, ait, mirari subit tam fallacem imposturam Auicennam sibi commentum esse, quam nec autoritate aliqua, nec ratione satis firma tueri poßit. Quippe si ex Galeno sumpsisse dixerit, falsißimus hac parte est: cùm nusquam de hoc à Galeno, ni tu locum habes unde hæc principem tuum collegisse putes. Adde quòd si usquam à sanguinis mißione, bilis feruorem (quod Auicenna ueretur) timere oporteat, id maximè in ardentibus febribus fiet, (quas causones uocant) cùm in illis calidißimus subsit humor molestiam inferens, atqui in huius generis febribus, ceu præsentaneum auxilium Galenus sanguinem mitti ad animi usq; deliquium, quum primo Aphorismorum, tum I X. & X I. Therap. iußit. Fore arbitrans, ut totum corpus refrigeretur, & quicquid reliquũ est noxij humoris, uel soluta sponte aluo, uel sudoribus uomitu ue (talia enim in febribus à sanguine misso euenire idem Galenus prodidit) educatur. Quomodo ergo bilis efferuescet, quæ uel ipsa unà cum sanguine propellitur, uel certè manens in contrarium, hoc est frigidum statum mutatur? uniuersumq; corpus graui

*Commen. 23.*

qua antea premebatur sarcina exoneratum, ad suum ipsius habitum naturalemq́; commoderationem conuertitur.

Sed scio quid hic tu mihi obiecturus sis, Auicennæ patronus eximius, quod inquam solent inepti illius glossematarij, frænum nescio quod obtrudens. Frænum inquies est sanguis reliquorum humorum, ac subinde uerendum ne eo sublato reliqui qui ab eo ceu auriga optimo reguntur humores, instar indomitorum equorum subsiliant, lorisq; frenoq́; sublatis, imperium agant. Apage abi'q; cum tuo Auicenna quò dignus es. Quod mihi frænum obiectas? quasi ab ipso sanguine reliqui succi, non etiam à facultate nostrum corpus prouidè dispensante regantur, moderentur, ac in sua quisq; temperie seruentur. Quin sanguis ipse cùm purus syncerusq́; in nobis uix reperiatur, sed confusus reliquisq; succis permixtus: qui fieri potest, ut alijs ipse sit frænum: aut quid est hoc aliud dicere, quàm ipsam bilim sibi ipsi, pituitam atramq; bilim sibimet frænum esse? quo quid absurdius? Non ergo satis ipse intelligo quid sibi hæc principis errorum tui, Auicennæ dico, quem erratorum omnium iure principem appellari fas est, adducta abs te uerba uelint: ego enim me planè nescire confiteor: tu si quid aduersum habes quo uel tuam fulcire sententiam, uel meam euertere possis, incunctanter adducito.

*1. de Morbo. differ. & lib. de Tumore contra natu.*

Atq; tum ego: Pergrata mihi mehercule, Iacobe, oratio tua, non tam quòd docta, elegans, ac bene medica mihi est uisa: quàm quòd à te perpetua continentiq; serie disertè dilucideq; est enarrata. Ad hæc, quòd quæ dici Latinè & Medicè simul posse non arbitrabar, ea dicta sunt à te non minus ornatè, quàm dicuntur ab ijs, qui se ex professo bonarum literarum cultores iactant. Sed locus iste tibi est, mi Iacobe, etiam atq; etiam confirmandus: quem si tenueris, non modò Auicennam meum (sit enim hoc loco meus, quem uel honoris periculo tuendum, fouēdum, ab falsiq; crimine uindicandum suscepi) sed etiam me ipsum abducas licebit. Sed habeo quæ ad hæc non minus argutè quàm uerè & ad Galeni mentem opponam: quæ antequàm explicem, hoc mihi fateare uelim, uniuersa fermè quæ in hanc rem copiosè adduxisti: quanquam non parum multa præclara ex te, multò plurima tamen ex eo libro qui nouæ academiæ Florentinæ titulo circunfertur mutuasse: ne tu me tam stupidum esse credas, non ut ista norim. Itaq; si aduersus eos meam pro Auicenna sententiam comprobauero, idipsum quoq; & tibi comprobatum esse arbitrabor. Sed iam ad rem.

*In autores Academiæ Florētinæ.*

Aiunt itaq;, qui nouam hanc academiam instituerunt, (è quorum te fontibus hæc hausisse non inficiaberis) eum Auicennæ locum falsissimum esse, ac contra Galeni mentem: ijsdemq; quibus tu rationibus astruere id asserereq; conantur. Ego uerò si eundem locum è Galeni fontibus sumptum esse, quo ad utranq; illius partem monstrauero, non'ne & uerissimum esse eadem opera monstratum erit? Sed accipe quomodo sit Galeni. Verba Auicennæ hæc sunt: Et summopere tibi caue (inquit) ne ægrum ad unam duarum perducas rerum, humorum colericorum ebullitionem, aut frigidorum cruditatem. Hæc ille. Galenus quo loco intempestiuè

*Fen 4 primi. cap. 20.*

*9. Meth.*

pestiuè missi sanguinis incommoda, noxasq́ ex professo tractat, talia profert.

Καὶ μὴν γε καὶ εἰς νόσον ἔνιοι μακρὰν ἐξέπεσον, ἤδη κενώσεσιν ἀμέτροις ἐκλυθείσης τῆς δυνάμεως. ἄλλοι δὲ εἰς τὸν ἐφεξῆς βίον ἅπαντα, τὴν κρᾶσιν ὅλην τοῦ σώματος ἔχον ψυχροτέραν, οὐ δυνηθέντες οὐκέτ᾽ ἀνακαλέσασθαι τὴν ἐκ τῆς ἀμέτρου κενώσεως βλάβην. ἐξ ἧς ψυχρότητος οἱ μὲν ἄχροοι τε καὶ κακέκται καὶ ῥᾳδίως ὑπὸ παντὶ βλαπτόμενοι διετέλεσαν. ἄλλοι δ᾽ ἐξ αὐτοῦ τούτου, νοσήμασιν ἑάλωσαν ὀλεθρίοις, ὑδέροις, καὶ ὀρθοπνοίαις, καὶ ἥπατος ἀτονίαις καὶ γαστρὸς, ἀποπληξίαις τε καὶ παραπληξίαις.

Quod est: Quinetiam aliqui in morbos inciderūt longos, postquam immodica inanitione resoluta naturalis uis fuit. Alĳs, cùm immodicæ uacuationis noxam sarcire non potuissent, in omne reliquum uitæ tempus totius corporis temperamentum redditum est frigidius. Ex qua refrigeratione facilè ex quauis occasione læsi, alĳ decolorati, ac malo corporis habitu uixerunt: alĳ ex eo ipso in morbos deciderunt exitiales, aquam intercutem, & orthophnœam, & iocinoris ac uentriculi imbecillitatem, & apoplexiam, & delyria.

Quid quæso his Galeni uerbis ad humorum cruditatem ex intempestiua sanguinis missione probandam efficacius dici excogitariq́ potest? Quid rursus postremæ textus Auicennæ parti congruentius, aut appositum magis? Qui enim non in tempore, aut non secundum rationem sanguinem miserunt, si modò frigidiusculis succis abundent, hi omnino in præfatos incidunt morbos, crudioribus nimirum frigidioribusq́ redditis succis: non tam certè ob id, quòd concoctrix facultas paulò imbecillior facta sit, (cuius unius tantum causa hoc prouenire Florentini in sua Academia medici uolunt) sed multò etiam magis, quòd uacuato sanguine, qui sui caliditate succorum frigiditatem temperabat, inanitisq́ exiguis quibus fouebantur spiritibus, crudiores manere succos necesse sit. Quamobrem Galenus, etsi in omnibus fermè quæ à putredine oriuntur febribus, sanguinem mitti optimum duxerit: ubi ea tamen à frigidioribus succis sit contracta, sanguinem mitti prohibet, sola tum frictione curare docens: maiorem nimirum humorum cruditatem, atque ab ea syncopes metuens. 11.Meth. 12.Meth.

Ἐπ᾽ οὐδενὸς τῶν τοιούτων αἵματος ἀφαίρεσις αὐτῶν μεγίστης εἴωθε γίγνεσθαι βλάβης. καίτοι δέονταί γε κενώσεως. ἀλλ᾽ οὔτε φλεβοτομίαν, οὔτε κάθαρσιν φέρουσιν. εἴγε καὶ χωρὶς τούτων ἐξαίφνης συγκόπτονται.

Quod est; Nulli talium sanguis mitti sine maximo dispendio solet, cùm tamen uacuationem desiderent. Verùm nec sanguinis missionem, nec purgationem sustinēt: utpote quos sine his syncope subitò adoritur.

Rursus autem quo loco seruandæ ualetudinis præcepta tradit, eiusq́ tractationis libro si memini quarto, crudorum nonnunquam humorum cauendam noxam his penè uerbis testatum reliquit: Quibus bonus sanguis (ait) exiguus est, crudi autem humores plurimi, his sanguis mittendus non est: nam incisa uena bonum sanguinem emittit, (is nempe facilè fluit) malum, qui in primis maximè uenis circa iecur colligitur, in totum attrahit corpus. Ex qua sanè uerborum serie id habetur, & trahi agitariq́

*In Florentinos rursus.*

per corpus, sanguinis missione, humores (quod Academici isti tui medici non admittunt) & totius habitum corporis ex intempestiua sanguine misso immutari: crudis utique succis uacuato sanguine bono attractis.

Et illud item, quod eodem loco scribitur: Cùm parum succi à sanguinis natura recesserunt, tum mittendus sanguis est. Si uerò bonus sanguis exiguus sit, reliquus uerò succus plurimus, in his abstinendum à sanguinis detractione est. Sed cur quæso abstinendum? Non ob aliud certè, quàm quòd misso sanguine, succis à sanguinis natura alienioribus factis, metus sit, ne ut ipsi quantitate sua, sic certè uirtute qualitatibusque suis superent: atque sic in suam ipsorum naturam uniuersum corporis habitum ducant. Quippe si exiguus bonus sanguis sit, bilis autem plurima, (quod in bilioso temperamento præditis usu uenire solet) uel contrà pituita, (ut in frigidioribus temperamentis) excitabitur certè in illis sanguine misso, bilis: in his uerò pituita. Quod metuens Galenus abstinendum à mittendo sanguine bona certè ratione statuit. An non & tu rursus hic cautionem à Galeno habes Auicennæ cautioni planè simillimam? habereque rursum te puto postremam textus Auicennæ partem Galenicam factam: quod uix fieri tu posse putabas.

Priorem nunc loci illius partem, uide quo pacto Galeni esse deducam. Nam is Therapeu. nono, ubi iudicationes mittendi sanguinis omneis sub censum reuocat) ad hunc modum de attendendis in sanguinis missione disserit.

ὥσπερ δὲ ἐπὶ τούτων, τὴν φυσικὴν κένωσιν αἰσθητὴν οὖσαν, οὐ μικρὸν χρὴ τίθεσθαι σκοπόν, οὕτως ἑτέρωθι τὴν φύσιν, ἢ τὴν ἡλικίαν, ἢ τὴν κατάστασιν. ἔνιοι μὲν γὰρ εὐδιαφόρητοι φύσει, παῖδες δ᾽ ἀεὶ διὰ τὴν ἡλικίαν. ἡ κατάστασις δὲ ὅταν ᾖ θερμή τε ἄγαν καὶ ξηρά, καλῶ δηλονότι κατάστασιν, τὴν τοῦ περιέχοντος ἡμᾶς ἀέρος κρᾶσιν, ἐν ᾗ καὶ χώρα καὶ ὥρα περιείληπται. καὶ γὰρ καὶ τούτων ἑκάτερον ἔχει τὴν ἔνδειξιν ἐκ τῆς τοῦ περιέχοντος κράσεως. εὐδιαφόρητοι δ᾽ εἰσίν, οἱ ὑγροὶ τὴν φύσιν ἅπαντες, καὶ μᾶλλον ἅμα θερμότητι. καὶ οἱ ἀραιοὶ τὴν ἕξιν. ἔτι δὲ οἷς τὸ στόμα τῆς γαστρὸς ἢ πικρόχολον, ἢ ἄρρωστον, ἢ πέρα τοῦ δέοντος αἰσθητικόν. οὗτοι μὲν οὖν οἱ ἀντιπράττοντες τῇ φλεβοτομίᾳ σκοποί.

Quod est: Veluti autem in his ad ipsam naturalem uacuationem quæ sensu usurpetur, non leuiter attentum esse oportet: ita alibi uel ad naturam ipsam, uel ætatem, uel cœli statum. Sunt enim nonnulli ad exhalandos digerendosque corporis succos natura propensi. Pueri certè propter ætatem perpetuò. Cœli uerò status ubi calidus nimium est & siccus: uoco cœli statum, ipsam ambientis nos aëris temperiem, sub qua & anni tempus & regio comprehenditur: quando horum quoque utrunque ex ambientis temperie indicationem mutuatur. Propensi autem ad digerendos corporis succos sunt, quicunque natura sunt humidi, magisque si accedat calliditas. Præterea qui raro corporis sunt textu. Ad hæc quibus os uentris aut amara bili abundat, aut imbecillũ est, aut supra modum sensile. Atque hæ quidem indicationes sunt, quæ sanguinem detrahẽdum dehortantur.

Hæc Galenus: quæ paulò presius si expendas, cum priore textus Auicennæ parte maximè conuenire uidebis. Nam quod ait Galenus, cauendam phlebotomiam in quibus os uentriculi amara bili redundat: quid

aliud

aliud est, quàm cauere ne æger ad bilis excandescentiam ducatur? quod Auicenna ut caueamus, hoc textu pulchrè nos admonuit.

*Obiectio.*

Sed forte dices, non eam ob causam (ne inquam excandescat bilis) Galenum hoc prohibuisse: sed tantum ob id, ne contenta in ore uentriculi bilis syncopas pariat, uentriculiq; erosiones, quod agitata facere sæpe solet. Hic iam te teneo: Commouetur per te igitur quæ in uentriculo bilis subsistit, si in huiusmodi naturis sanguis mittatur, atq; etiam syncopas facit. Quod si sic, non'ne amplius ea concitabitur, quæ sanguini mixta per uasa cum sanguine ipso fluctuat? Minus nempe uerisimile uidetur, in uentriculo consistentem bilim, hoc est extra uasa, à sanguine misso moueri ac agitari, quàm quæ intra uasa. At illa in uentriculo subsistens (ut uult Galenus) mouetur, & noxam infert: multò igitur magis quæ secundum uasa redundat. Quamobrem si ab ea ipsa quæ in uentre est bili noxa timetur, caueturq; tum sanguis mitti: non'ne id cauisse, ubi secundum totius habitum corporis dominatur, multò præstiterit? Cùm uerò princeps solam à bili inflammationem (quam ebulitionem suo more uocat) metuere est uisus, non ita certè accipiendum existimo, ut non & alia multò deteriora per id à bili extimescenda exprimere uoluerit: nam & syncopas, & stomachi morsus ab ea prouenire cernimus, sed uno feruoris nomine, implicitè quidem uniuersa hæc attigisse uidetur, cùm quieta utique bilis horum nihil faciat, agitata uerò, (uti non rarò per sanguinis missionem agitari posse Galenus insinuat) & inflammari facilè, & prædicta inferre symptomata potest. Expressit autem ebullitionem solam, tanquam peculiare quid propriumq; bili: quæ cùm sit suaptè natura calidissima, à leui occasione incendi inflammariq; potest.

*Dilutio.* — *Vbi suprà.* — *Verborum Auicennæ intellectus.*

Adde quòd lassitudinum omnium curationem ex professo tractans Galenus in tensiua quidem ac etiam phlegmonosa, sanguinem mitti copiosè iubet. In ea uerò quæ ulceris sensum infert (quòd ea uitiosi acrisq; excrementi soboles sit) temperandum omnino consuluit: solaq; tùm biliosi humoris uacuatione utendum si modò ea lassitudo (ut ipse ait) simplex solaq; sit, citraq; sanguinis copiam eueniat. Sed cur temperandum? non ob aliud certè, (quod uerò mihi conijcere liceat) quàm quòd misso sanguine prædicta toties bilis incommoda metuat.

*4. de Sanit. tuen.*

An non igitur & primã tu textus Auicennæ partem (quod me tibi ab initio facturum bona fide receperam) cum Galeno conciliatam habes? atq; ob id credo uerissimam comprobatam? quòd Galeni doctrinæ consentiat: quæ nihil non uerum, non naturæ rei consentiens, non demum necessarium ac efficax tradat. Qua quidem Auicennæ sententia tantum abest, ut falsi crimine insimulandum (ut tu) censeam, ut plurimum ob id, hominis tum prudentiam, tum doctrinam admirer, qui nos ea sententia in mittendo sanguine non meticulosos ac timidos, ut falsò Academici isti tui, noui si dijs placet philosophi, credidere: sed cautos potius, solertes, ac prouidos, ne passim, ne omnibus, ne confestim, ut se minima aliqua mittendi sanguinis occasio obtulerit, mox inquam uenam secemus: at diligenter prius cuncta nobiscũ ipsi animo expendamus, prouideamusq;, ne

*Doctrinæ Galeni commendatio.*

ne quid noxæ ob id æger sentiat: ac proinde cauendum ne ægrum ad alterum duorum quæ narrauit incommodorum deducamus. An non cauere prudentis est? nihil timere contrà stulti ac inconsiderati? Quid? nonne Galenus contendit homini in sanguinis etiam redundantia posito, plenitudinisque signa habenti, non protinus mitti sanguinem oportere? sed inedia, cibi parcitate, balneis, ambulationibus, cæterisque motionibus corpus commodè exercentibus, citra uacuationem sanari posse?

*4. Meth. & lib. de Sanguin. missio.*

Qua autem tu alia cautione Galenum id non perficere putas quod illi indicatum sit: nisi quòd unam aliquam à sanguinis missione noxam metuat: quam utique de mittendo sanguine indicationem incunctanter profectò obiret, ni maius ab ea interdum uereretur malum, uel non hoc saltem sibi persuasisset, commodius quandoque curari quenquam citra sanguinis missionem posse, quàm eo misso: quod sua ipsius uerba proximè adducta maximè declarant. Et te nunc Auicennam leuitatis arguere non pudebit? Quòd si tibi neque humorum cruditas, nec rursus bilis feruor, metuenda usquam sunt, cur in frigidis affectibus, aqua intercutem, malo corporis habitu, uentriculi demum imbecillitate (quæ incommoda Galenus à sanguine non in tempore misso ualde ueretur) sanguinem non mittis? cur non rursus in erysipelate herpeteque exquisitis in quibus omnino à sectione uenę abstinēdum, bilis feruorem Galenus metuens, prudenter docteque consuluit. Cur nō rursus in ulcerosa lassitudine quę ab acrimonia bilis prouenit? Quid tu ad hæc? Quod si (ut aiunt Academici isti tui) perpetuò ad sanguinis missionem refrigeratio sequitur, hocque bonum nobis semper secta uena præstat, cur non in mox dictis affectibus, erysipelate atque herpete, in quibus magna subest partis affectæ inflammatio ac non rarò totius corporis, sanguinem, uel saltem refrigerationis gratia mittit Galenus? in quo quæso alio affectu præstabat id magis? At Galenus quàm uestri isti Academici multò cautior: sciebat enim, atque adeò experimento nouerat, in huius generis morbis uenæ sectionem nocentissimam esse: ut quæ bilim iam suapte sponte furentem ad excādescentiam duceret. Quin cùm sæpenumero quæ in ipso uentriculi ore bilis consistit, delyria, cōuulsionesque citare soleat, (uti Galenus quinto de Locis asserit) eaque misso sanguine non rarò agitetur, (ut suprà ex Galeno probatum) an non hanc ut dicitur anagyrim mouere non ualde uerebimur? Nam & sui caliditate facilè accenditur & leuitate sua facillimè sursum repit, acrimonia certè tum erosiones tum dolores & syncopas creat. Summa itaque mihi cum ratione princeps hoc loco nobis etiam atque etiam cauendum præcepisse est uisus, ne ad bilis feruorem ægrum ducamus, aut frigidorum cruditatem.

*2. ad Glauc.*

*In Florentinos Academicos.*

Nonnullos ego certè uidi, (nam exemplorum ea pro potioribus habenda, quæ ipsi oculis usurpauimus) quibus ob modicissimum sanguinem cogente necessitate eductum, mox nausea, uertigo, lypothymia, cordis morsus, agitatæ planè bilis germina oborta sint. Num tu igitur hæc, ne eueniant, non multo ante studio, nec minori solertia præcauenda putabis? Ægrum porrò quempiam ad eum bilis feruorem, totiusque corporis

ris uiriumq; resolutionem posse duci, illud inprimis argumēto est, quòd fortiter euacuantia eadem uehementer tum exsiccant tum extenuant, uel Galeni testimonio: qui inediam picrocholis nocentissimam ob id esse uoluit, quòd multa fiat ab ea tum resolutio, tum exsiccatio. Atqui sanguinis incongrua missio non paulò magis ipsa inedia conficit, totumq; corporis habitum sicciorem reddit: fiet itaque ab ea corpus tum siccius tum extenuatius. Siccitas uerò supra temperamentum aucta iusto quàm par sit, corpus calidius, in bilioso præsertim temperamento reddere potest: cùm sit utiq; siccitas ueluti lima caloris. Erit igitur à sanguine intempestiuè misso biliosum corpus calidius redditum: præsertim si ad hæc accedant cœli aërisq; constitutio calida & sicca, uita in laboribus acta, cæteraq; huiusmodi. Huic tu homini si sanguinem mittere tentes, refrigerationem, ac non calorem potius excitabis? 8. Meth.

Vides igitur non perpetuò uerum esse, quod uos pro confesso haberi uultis, Sanguinis missionem semper refrigerare. Nam ut in febribus synochis id uerum sit, in quibus cum multo sanguine calfacto feruet bilis: in alijs tamen affectionibus non sic perpetuò constans: alioqui ut antea dixi, cur non in biliosis morbis sanguinem mittere conuenit, cùm nullibi maiore sit refrigeratione opus? in his autem secari uenam uetuit Galenus, uti in erysipelate & herpete monstratum. Non igitur semper à misso sanguine refrigeratio expectanda. 2. ad Glauc.

Nunc autem, mi Iacobe, (iuuat enim sic me appellare te sæpius) an non tibi etiam, quemadmodum mihi, hanc totam de mittendo sanguine, deq; cautione ad id adhibenda orationem, rationumq; id suadentium narrationem satis multis uerbis explicatam (quam recensui) fermè uniuersam ex Galeno, in Auicennæ patrocinium atq; defensionem uideor transtulisse? Est itaq; à me tibi gestus Iacobe mos ut uides, explicatiq; filo atque ordine propositæ quæstionis scrupi iam quidem omnes, dictumq; pro Auicenna satis, nisi quid me meus memoriæ sensus fallit: quod esset tamen ipsum non mirandum, qui uel priuatis negotijs occupatus: uel certè iam ab hisce seuerioribus studijs distractus, extraq; librorum fermè meorum omnium supellectilem, hæc qualiacunque suffurtiuis horis ut in buccam uenerunt temerè congessi: quæ si à me pro argumenti dignitate, & copiosè & medicè, (quàm parum Latinè, & ornatè, nihil moror: cùm ornari res ipsa neget, contenta doceri) dicta sunt, dixi ut uolui: sin minus, ut potui.

Ad quæ Iacobus: Næ tu Francisce bellus es patronus, qui tam bellè Auicennæ tui (nam meum dici pudet) causam egeris, atq; quodcunq; uolueris, mihi dicendo persuaseris: ut parum certè abfuerit, quin sententia cedens, in tua me uictum castra detuleris. Sed hoc tamen à me, etsi dicendo maximè ualeas, impetrare haud poteris, Auicennam ut tuum obseruem ac tanquam numini deferam, quin qua potero uia, euertere, infamare, errataq; illi sua commonstrare conabor. At quando iam premit alta dies, nosq; iocando ducimus horas, à prandio, isto eodem si uidebitur loco, quod reliquum est sermonis tum conferentes conueniamus, dictaq;

taq;

taq; ista tua funditus me omnia euersurum bona fide recipio.

Tum æger, magnam certè uterq; uestrum apud me hodie gratiam inijstis: eoq; me uobis plurimum debere confiteor, qui tam docta & amœna confabulatione mœrorem mihi ab animo, à corpore multam certè bonamq; ægritudinis partem leuastis, ac propius ademistis: ut non leuiter isto uestro sermone recreatus, planeq; totus alius factus mihi uidear. Sed quod superest, serotina si ita sors tulerit, uisitatione absoluemus. Quo sine loquendi facto, quieti se æger, nos in nostras quisq; ædeis rectà perreximus.

*Super præfata dissertatione Enarratio, qua docetur, ex intempestiuè misso sanguine crudiores reddi humores: pluresq; esse quàm duos illos mittendi sanguinis scopos à Galeno enumeratos: nempe uirium robur, & morbi magnitudinem.*

## ENARRATIO VIII.



AD VESPERTINVM inuisendi ægros pensum quum ex officio rediissemus, ego & Torinus ad uisendum Antonium unà pro solenni medicorum more profecti sumus. Vt primum autem cubiculum ingressi, mox ad nos æger, Quid inquam uos, an me ut ægrum uisuri: an potius de re cœpta quod reliquum est absoluturi uenistis? Vt me ægrum quidem inuisatis, nihil opus habeo: ualeo enim Dei gratia, uestra autem ope sanè quàm optimè. Bene autem habentibus non esse opus medico, sed ijs qui malè habent, compertissimum uobis esse scio. Verùm quum uos matutina uestra disputatione bonam multamq; morbi partem alleuastis, ita doctè, acutè atq; etiam eleganter & copiosè, quæ in eam rem facerent explicastis, Quæso uos, ut quod deest eodem orationis filo aggredi perficereq; uelitis, quo & mihi earum rerū sitientissimo uoluptatem fructumq; quem spero maximum afferatis: & ea integra dissertatione quæsiti ueritatem intueri atq; perspicere planè possitis.

Ad quæ ego ad Torinum conuersus, geramus huic nostro Antonio morem, & quod reliquum est absoluamus, posteaquam illum nostra hæc tam auidè desiderare atq; complecti cernimus: moxq; ita, sermonem matutinum repetens, sum exorsus. Duos ego nostræ disputationis, eosq; uarios ex dictis tuis scopos esse uideo. Prior ac præcipuus is est, an citatus abs me Auicennæ locus uerus sit necne: alter, an sanguis frænum humorum, quem etsi tu mihi falsò adscribis, minus tamen momētaneum existimo: ut qui Auicennæ non sit, sed suorum interpretum: isq; ex consecutione quadam orationis inductus, dum Arabis locum probare ipse contenderem. Nam ego Auicennæ textum illum cùm adduxissem, uerumq; esse sustinerem, falsum tu probare sategisti. Eum autem ego cum multis Galeni locis consentaneum fecerim: nec tu quantum uideo eos ipsos aut melius interpreteris, aut illis mea non conuenire probes, nescio quid noui adferre in meam sententiam possim, nisi hoc ipsum, Galeni inquam

quam esse citatum à me Auicennæ locum, ut ex Therap. IX. IIII. de Sanitate tuenda, & libro de Sanguinis mißione, atq; secundo ad Glauc. priore enarratione fidem feci. Nam etsi primi præcipuiq; mittendi sanguinis scopi sint, uirium robur, morbiq; magnitudo, hi quidem scopos alios multos continent, à quibus etiam mittendi aut non mittendi sanguinis Galenus indicationes sumit: coindicantq; unà cũ illis, cœli aërisq; constitutio, corporis compago, ætas, præcedens uictus, humorum tum quantitas, tum qualitas.

Quæ ne tibi finxisse uidear, Galenus pro me ipse loquetur, qui libro de Venæ sectione sic ait: Secandæ, inquit, uenæ scopi sunt, plenitudinis tum quantitas, tum qualitas, uirium robur atq; infirmitas, naturalis totius corporis habitus, tempus, regio, anteacta uita, consuetudo, exercitium. An non & hic quoque qualitatem humorum spectandam esse pronuntiat? à uiriumq; robore & morbi magnitudine alios multos de uena secanda scopos proponit? Succorum uerò qualitatem talem interdum esse, ut à mittendo sanguine dehortetur, idem paulò pòst Galenus testatum facit, dum crudis existentibus succis secari uenam prohibet.

Quod autem tu ex Galeno, duobus illis præsentibus scopis, uirium robore, ac morbi magnitudine, nullam esse quantumuis magnam crudorum humorum plenitudinem quæ id inhibere poßit, adfers, atque id Galeno tribuis, quàm rectè id affirmes cogita. Nam hęc ex Galeno quomodo simul stare possunt, nullam (ut tu uis) à crudorũ humorum quantalibet copia sumi de non mittendo sanguine indicationem: & rursus (quod Galenus facit) prohibere mitti, dum crudorum copia adest?

Quod autem existimas apoplexiam & eius generis morbos, ex intempestiuè sanguine misso nonnunquam prouenientes, non ab humorum cruditate, sed una uirium imbecillitate oriri: uide quid dicas. Nam etsi intempestiuè missus sanguis uires deijcit, ut IX. Methodi, non'ne qui à deiectis uiribus creabuntur succi, crudiores, frigidioresq; erunt? atq; sic frigidos morbos creabunt? Tumq; ex consecutione quadam, si ex intempestiuè sanguine misso uirium debilitas accedat, ab hac autẽ humorum cruditas, (imminuto scilicet natiuo calore) non'ne ad intempestiuè sanguinem missum ex consequenti cruditas sequetur? Adductos autem a Galeno morbos, nempe apoplexiam, aquam intercutem, iocinoris uentriculiq; imbecillitatem, decolorationem, & id genus, non'ne frigidorum succorum germina esse, idem Galenus in de Locis affectis testatus est. *Lib. 3. 4. & 5.*

Vides igitur, mi Torine, non tam facilè quàm putas uictoriam te nactum esse? Qui uerò IIII. de Sanitate tuenda citatus est abs me locus, non'ne amplißimè probat, ad sanguinis eductionem trahi in habitum corporis succos? etsi id subtiliatione non fiat, qua parte tecum consentio, nec unquam tu me subtiliationis uel per somnium meminisse uerò asserere potes, si totam modò de hac re enarrationem meam legisti. fit autem tractus ille ui uacui, inanitis utiq; uasis, ut omnes censent. Quanquam tu hoc totum quod hic de subtiliatione humorum adduxisti ex Academia illa noua Florentina sis mutuatus, quum à me nullum sit uerbũ factum.

Sed ad reliqua, Ais, ex misso sanguine crudiores effici non posse humores, quàm hic rectè dicas attende. Primum, humorum coctio & reliquorum omnium naturæ operum editio, si Galeno creditur, calido innato debetur, ut longissimè idem atq; doctissimè II. de Naturalibus facultatibus, & primo Aphorismorum commento XV. disserit, quo autem calidum hoc, quod fomentum est ac instrumentum facultatum omnium uegetius & robustius erit, eò certè fiet hæc ab eo actio tum perfectior, tum celerior, inquiente nimirum Galeno IIII. de Morborum causis, perfectiorem cibi, nedum in uentriculo, sed & in uasis fieri concoctionem à somno, quòd tum temporis auctius ac uegetius sit calidum innatum in uiscera per somnum reconditum. itaq; à contrario sensu, quò imbecillior erit hic calor, eò erunt qui ab ipso elaborantur succi crudiores, deficiente scilicet præcipuo instrumento, at ex intempestiuè sanguine misso, imbecillior redditur qui in nobis uiget calor, ut IX. Therap. igitur crudiores post sanguinem intempestiuè missum generabuntur succi: hoc est, ad naturæ usus minus quàm ante idonei, minusq; calidi innati secum habentes, sicq; fient crassiores, qui suapte natura frigidi sunt densi magis, impactiq;, ac à natura bonorum succorum alieni: nedum qui post sanguinem missum creabuntur, sed & qui antea erant: eoq; quadantenus crudiores ad sensum medicorum erunt: id est, crassiores, frigidioresq;, minus fluxibiles, & ad naturæ usus minus idonei, destituti nimirum eo quo fouebantur calido innato. An non tibi demonstratione penè quadam crudiores ex intempestiuè misso sanguine reddi humores probaui?

Nec satis uideo quid ad hanc sententiam euertendam faciat textus ille Galeni ex libro de Sanguinis missione, abs te adductus. Nam ille non aliud probat, quàm interdum (à morbi tamen magnitudine sumpta indicatione) mittendum esse sanguinem cum semicrudorum copia: quod ego abiecta hasta confiteor: nam si tantum semicrudi humores sunt, nonnihil certè coctionis habent, atq; sic parum recedunt à sanguinis natura, tum uerò mitti oportunè sanguinem Galenus IIII. de Sanitate tuenda consulit, semicoctis utique succis nec alienioribus factis. Verùm si crudi sunt & abundent, nullam tu ab his de mittendo sanguine indicationem sumes? facies tu quidem, si Galenicus uideri uis, atq; adeò tibi eo nomine gloriaris.

Quod autem in populari gallico morbo uocato siue is lichen sit, siue mentagra, seu quis alius, sanguinem mitti ex usu est, quid tum postea? id quidem morbi magnitudo, & humoris noxij natura indicant: nam & morbus malignus est, & lædens humor atrabilarius, pituitæ ut plurimum mixtus, à quo multa sanguini noxa infertur. Quamobrem sanguinis missio necessaria, etiam si ex coctionis imbecillitate crudis succis aliquantum abundent, ut ei temperamento peculiare esse asseuerat in de Temperamentis Galenus.

*Vide 2. ad Glauc.*

De priore autem textus Auicennæ parte, in qua tu nugas plurimas uides, quid non tu compendio diluis? dum utique in erysipelate, herpete, ulcerosa lassitudine, biliosis nimirum affectibus, sanguinem mitti prohi-

bet

bet Galenus. Nec est quod ob uirium imbecillitatem id prohibuisse Galenum causari poßis, cùm plerunq; hi affectus utpote ab acrium plenitudine humorum cum uirium robore coniuncti sunt: igitur ob succorum qualitatem (utiq; acrem) abstinendum consuluit. At de his satis.

Frænum autem illud, de quo tecum ut contendã magnopere uelle uideris, nihil moror: Nam nec meũ est, nec Arabis Auicennæ. Temperari tamen ab ipso utcunq; humores, negare tu minimè potes, quũ qualitates habeat hominis naturæ cæteris omnibus cõgruentiores familiaresq; magis, proximeq; ad exactũ illud temperamentũ accedat: unde ab eo inter humores certè temperatißimo, reliquos intemperatos haud iniuria remitti temperariq; mea quidem sententia censendum est: sentias tu modò quod uelis. Ego uerò contractis uelis in portum me recipiam, ne Iliade hac longißima tibi stomachum moueam. Tu uerò qua es animi probitate ingenij; acrimonia, cuncta quæso in bonam accipe partem hocq; tibi de me persuadeas, unius tantum inquirẽdæ ueritatis gratia ista conscripsisse: quam si tu me modestè docueris, meliora adferens, erit quod tibi maximè debeam: sin minus, ex his meis uoluptatem cape, uti ego ex tuis non minimam capio. Vale, & me (quod iamdiu facere scis) mutuò ama & me tibi amicißimum perpetuò habe.

*Lactucam & si inter olera primas in bonitate partes tenere creditur, ipsam tamen neq; optimi succi, neq; multi sanguinis generatricem esse.*

## ENARRATIO IX.



VM in Philippi bibliopolæ librariam officinam (quod animi causa sæpe soleo) diuertissem, animum scilicet seueriorum musarum studio defatigatum ueluti recreaturus, ac tedij molestiam nouo aliquo oblectamento discussurus, eò de more plerique docti liberaliterq; instituti homines conuenere, quibus cum familiaris mihi frequensq; solet esse consuetudo. Horum unus fortè fortuna cùm lactucas manu gestaret (nempe inambulatione rediens) eas in hortis legerat: ad eum conuersus, Pulchrum (inquio) nobis è hortis olus refers. Tum ille: Sanè quidem, at uereor (inquit) ne non tam corpori salutare, quàm oculo gratum. Sed hæc quidem (subdit) cùm de uestro sint penu, blandè medicum quendam præsentem, & me contuitus, uobis differenda relinquam. Tum ille alter, mox compositis ad ornatum uerbis, Probè, ait, salutare, nempe si quid aliud eius generis, succi alimentiq; bonitate cæteris oleribus præstat, si modò Ga- 2. de Alimen. fac.
leno fides habenda.

Ego uerò quanquam publicis his concertationibus consultò abstineam, nec his magnoperè insueuerim: probè edoctus, pugnas conuitiaq; eiusmodi congressuum uel (Galeno autore) præclara esse solere premia, 2. Meth.
in minimis hisce rebus interdum animaduersionem facere, atque in ea si præsens se offerat occasio ceu in delitiarum campum, idq; ueritatis potius indagandæ studio, quàm contentionis, ostentationis, aut calumniæ

gratia diuertere sæpe soleo. Itaq; talia iactanti in ipso ueluti articulo respondeo, Non omnifariam mihi dictum probari, uni inquam oleri tantum tribui debere, ut primi esse ordinis in alimentorum serie statuamus. Quod ne gratis dixisse uideri possem, mox sententiam latius profero meam atq; confirmo.

Lactucam igitur (inquio) ipsam inter olera, ut neq; parum, neq; pessimè alere corpus cum Galeno confiteor: ita prorsus primas illi tradi debere non admitto: quod & ipsum non aspernandis autorum testimonijs, tum etiam rationibus asserere atque monstrare conabimur. Prodeat autem omnium primus Hippocrates: is enim libro II. de Ratione uictus, quem Galenus primo de Alimentis, germanum Hippocratis esse asserit, ad hunc de lactuca loquitur modum:

Θρίδαξ, ψυχρότατον, πρὶν τὸν ὀπὸν ἔχειν. ἀσθενέα δέ τινα ποιέει γε τὸ σῶμα.

Quod est: Lactuca, ait, frigidissima est, & corpus quadantenus debilitat.

Ex quibus utiq; uerbis omnem, ut sic dixero, lactucæ in alendo uim colligere licet: nempè quòd corpus imbecillius reddit, fieri nequit ut *lib. de Facul. natur. & 11. Meth.* probè nutriat: equidem uirium corporis robur si quid Galeno credimus, alimenti bonitatem, & celerem ipsius distributionem atq; omnino *Gale. 2. Aph. comment. 18.* cum alto corpore assimilationem sequitur. Ob id nanque uinum cæteris præstare alimentis creditum est, quòd celeriter tum conficiatur, tum per uenas feratur, & in naturæ usus nullo fermè negotio transmutetur, demum ob familiaritatem facilè simile corpori fiat.

Quare si uirium robur alimenti consequitur bonitatem, nempè eius malitiam & penuriam uirium exolutio sequitur, ut libro de Pulsibus ait Galenus: necessum est earundem imbecillitatem ad cibi cacochymiam subsequi. cuius malitia nō omnino alia re melius deprehendi potest, quàm si corpus infirmum reddat: reddunt autem infirmum, quæcunq; uel parum familiaria, naturæ assumentis non congruunt: uel una aliqua qualitate, utpote frigiditate nimia, calore, siccitate, humiditate'ue negotium inferunt. Quamobrem cùm & lactuca frigidissima ab Hippocrate statuatur, & corpus inde imbecillius redditur, ex altero fit, ut difficulter conficiatur, nempe quòd nimium frigida, ut Galenus libro de Dissolutione continua, (debent enim quæ celeriter facileq; concoquuntur, à frigiditatis præsertim excessu aliena esse) ab altero uerò id euenit, ut parum probè nutriat. Quippe quod probè nutrit, corpus haud quaquam infirmum, *Lib. 1. cap. 1.* sed munijs obeundis fortissimum reddit. Quod animaduertens Celsus dum uictus rationem sanis hominibus præscribit, bis die potius quàm semel cibum, & hunc quidem plurimum, modò concoquant, sumendum consuluit. Sciens utique ex copioso nutrimento ritè confecto uirium robur firmamq; ualetudinem parari: quod inculpata sanitate utentibus ex usu esse magnopere censuit.

Constare igitur uel ex hac Hippocratis sententia arbitror, lactucam neq; boni admodum succi esse, (ut quæ pro frigiditatis excessu quo prædita est, frigidum non temperatum succum gignat) neq; etiam in alimen-

torum

torum coordinatione primas tenere inter olera, cùm corpus debilitet, quod pleraque olerum non faciunt, ut paulò post ostensuri sumus.

*Galen. lib. de Dissolut. cōt. & 2. de Aliment. facult. & de Boni & mali succi cibis.*

Huic uerò sententiæ proximè accedere uidentur quæ à Galeno uarijs in locis de hac re dicta sunt, tum & quæ ab Oribasio, Psellio, & Paulo, reliquisque huius monetæ hominibus. Siquidem Galenus quoties olerum meminit, ea omnino ceu praui succi, exiguique alimenti damnat: nam ex eo in hanc rem loca aliquot adferemus, libro enim de Euchy. & cacochy. inquit:

Τῶν δὲ λαχάνων, οὐδὲν μὲν εὔχυμον.

Hoc est: Olerum nullum boni succi est.

Libro uerò de Dissolutione continua, qui Galeno adscribitur, Olera, inquit, omnia mali sunt succi, propter excrementorum in eis multitudinem, & nutrimenti quod exhibent paucitatem. Rursus uerò II. de Alimentorum facultatibus.

Πρόδηλον ὅτι πρὸς τὸ τὴν βραχεῖαν τροφὴν διδόναι τῷ σώματι, κακόχυμα πάντ' ἐστὶ ταῦτα.

Constat, inquit, hæc omnia (de plantis loquens) præterquàm quòd exiguam corpori alimoniam præbent, praui quoque succi esse.

Quin & denuò eo ipso libro,

ὅτι δὲ ἐλαχίστην τροφὴν ἔχει πάντα τὰ λάχανα καὶ ταύτην ὑδατώδη καὶ λεπτὴν ἔμπροσθεν εἴρηται.

Quod est: Olera omnia leuissimum alimentum, & humidum ac tenue exhibere, iam antè diximus.

Ex quibus cuiuis cernere est, quanta sit, quamque corpori utilis plantarum alimonia: in quarum ordine cùm lactuca ponatur, consequens est & ipsam excrementitiam prauique succi esse: atque ob id corpus neque multum, neque probè alere. Mediam nanque Galenus lactucam inter boni succi cibos, & mali succi statuit: ita ut boni succi cibis sit multò inferior, mali uerò succi cibos tanto superet, quanto ab oppositis deficit: non enim ipsa pro optimorum ciborum ratione ad seuerum unguem est temperata: sed ut fatentur omnes frigida est & humida: atque ob id frigidior est temperato qui ex ea gignitur sanguis. Vnde II. de Alimentorum facultatibus, de lactuca ex professo tractans Galenus, frigidum & humidum succum ipsam gignere affirmauit.

Περὶ δὲ τῆς κηπευομένης θριδακίνης τῆς ἅπασι συνήθως ἐσθιομένης τε καὶ καλουμένης θρίδακος, ἐν κεφαλαίῳ πάλιν ἀναλαβὼν, ἐρῶ μνήμης ἕνεκεν, ὡς ὑγρὸν μὲν ἔχει τὸν χυμὸν καὶ ψυχρόν.

Quod est: De hortensi lactuca quæ θρίδαξ uocatur, summatim quæ dicta sunt repetam, quò memoriæ tenacius hæreant, frigidum enim humidumque succum profert.

*Lib. de Boni & mali succi cibis.*

Sed rursus ex eiusdem autoris penu propositum roboremus: Optima, inquit, alimentorum & maximè inculpata sunt, quæ inter attenuantia & incrassantia ceu in commoderatione quadam & mediocritate excessuum consistunt: qualia panis probè paratus, sed præ hoc Gallinarum caro, Pullorum, Perdicum, hæc enim temperie sua proximè ad hominis naturam accedunt; eoque facilius immutantur. Quare cùm hæc tantum probè

nutriant, & ab his tum substantiæ bonitate, tum qualitatum temperie plurimũ absit lactuca, fit ut tantò deterius nutriat, quantò ab his dissidet.

Sed calumniator fortassè hic quid facis ô bone? quis tam bardus crassoq́ ingenio lactucam cum his temperatissimis quæ in medium attulisti collaturus est? quis non uel stultissimus sciat, capum, pullumq́ gallinaceum tum præstantius, tum copiosius lactuca corpori alimentum præbere? Non id dico, sed tantum uni lactucæ inter olera primas in alendo tribui debere: idipsum enim sensisse Galenum uideo, dum inquit, Plæriq; medicorum reliquis omnibus hoc olus, ceu ficus autumnalibus fructibus prætulerunt, nam inter ipsa aliud melioris succi haud inuenias. Paulus uerò in hanc ipsam pedibus it sententiam, inquiens, lactuca ut inter olerum omne genus precipuè nutrit, ita egregij eximijq; etiam succi sanguinem gignit: quare de tota re his ducibus palmã retulisse mihi iure uideor.

2.de Alimẽt. fac.cap.40.

lib.1.cap.74.

Sed uide, quæso, ne te aut tumultuaria Galeni lectio, aut tua ipsius non satis accurata in his animaduersio in hoc falsum habeat, Equidem dum ad hunc quem citasti modum Galenus de lactuca loquitur, non secũdum propriam ipsius mentem atq; sententiam loqui uidetur: quod uel ex eo fit clarum, quòd & paulò pòst subiungit suam de ea re sententiam: & initio capitis iuxta aliorum sensa loquutum fuisse, uerba illa indicant (plæriq; medicorum) hi enim tantum lactucæ tribuebant, ut non solùm eam sanguinem simpliciter, (more reliquorũ eduliorum) sed & multum quidem gignere magnis uocibus conclamabant: quorum errorem paucis hoc loco Galenus, sed argutis elidit uerbis, inquiens:

2.de Alimẽt. fac.cap.40.

Quod porrò nonnulli uitio uertunt, id in præcipuam ei laudem cedit: & si ita se reuera haberet, non modò nulli olerum, sed ne optimi quidem succi ac ualentissimi cibi edulijs esset secundum, nempe sanguinem aiunt generare: quidam non simpliciter sanguinem, sed multum quoq; sanguinem gignere lactucam clamãt. Verùm hi (subdit) tametsi prudẽtius obijciant, longius tamen alijs à uero absunt: quanquam hoc ipsum (puta multum sanguinem gignere) non est quod meritò quis damnet, Constat enim huiusmodi edulium laudatissimi succi censendum esse, quòd plurimum quidem sanguinis: aliorum uerò succorum nullum producere sit comparatum. Et paucis interpositis, atq; ex sententia loquens ait, Illud porrò nouisse expediat, cunctis nimirum alijs oleribus paucissimum sanguinem & uitiosum generantibus, ex sola lactuca non multum quidem, nec uitiosum, haud tamen omni ex parte laudabilem gigni: nempe, quod uel eiusdem testimonio ad finem capitis frigidum humidumq; succum lactuca proferat.

Habes explicatam Galeni de hoc olere à semetipso sententiam, ipsum quidem neq; multum neq; uitiosum gignere sanguinem, sed nec rursus omnifariam inculpatum. Si enim & multum & laudabilem proferret, nulli sanè eduliorum (ut inquit Galenus) secundum esset: sed cùm ab hoc non paruo interuallo deficiat: fit, ut etiamnum inter olera neq; multi, neq; optimi succi censeatur. Quòd uel ex his quæ ab eodem autore libro de Facultatibus naturalibus primo, scribuntur: item VIII. Therap.

Cap.10.

merid

meridiana luce clarius reddi potest. Nam priore loco hæc: Ex his (inquit) quæ manducamus non protinus nutrimur, quemadmodum & panis, & multò amplius lactuca, & beta, & his similia, multa egent alteratione: ab oleribus enim in totum nutriri non possumus, sicuti à carnibus, quæ in nobis & facilè transmutantur, & bonum sanguinem generant. Olera uerò, & difficulter conficiuntur, & fermè tota excrementitia sunt.

Hoc planè ueluti testimonium est eorum quæ suprà libro de Alimentis dixit: nempè, lactucam non omnino laudabilem gignere sanguinem. cuius hic ratio redditur, quòd & difficulter conficiatur (hoc nempe est multa egere alteratione) & non parum in se excrementi habeat: quod longiori serie VIII. Therap. expresit in hunc qui sequitur modum. Sanè illud non latet, & boni succi & exquisita esse debere, quæ his (scilicet picrocholis, de quibus hoc loco) exhibentur nutrimenta: non tamen ea quæ boni succi, propterea quòd exiguum huiusmodi substantiæ in se habent nominentur, ac nutrire nequeant, imò quæ utile plurimum in se contineant. Sunt nanque & maluæ & brasicæ, & betæ, & lactucæ & deniq; omnia olera & fructus, nutrimenta: uerùm sicut in his exiguum est quod nutrit, non exiguum quod est inutile: ita in pane puro, & ouis, & carne, & alica, plurimum est quod nutrit, minimum quod est inutile.

Ex quo cuiuis uel mediocriter erudito illud in primis de mente Galeni fuisse constat, & betæ, & brasicæ, & lactucæ, & oleribus fermè ac fructibus omnibus, id esse commune, ut & parum nutriant, & bona multaq; sui parte, ob excrementorum quæ ex his proueniunt copiam, inutilia sint, excrementosa nempe sunt olera omnia, ut paulò antè citato textu proditum est. Quin & in de Euchy. libro, Quæ (inquit) ciborum melius faciliusq; concoquuntur, ea & meliora: laudabilioresq; tantò generant succos, quantò & minore negotio conficiuntur. Quare ex opposito ea erunt deteriora, quæ & difficilius transmutabuntur, & maiore negotio in bonos naturæ usus uertentur.

Ex quibus Galeni assertionibus hanc uelim ratiocinationem in summa colligas: Quæcunque ciborum multa egent alteratione, difficulter conficiuntur, ac excremētosa plurimaq; sui parte inutilia sunt: ea parum, improbeq; corpus alunt, (quippe non alia ratione panem, oua, carnes, & alicam, plurimùm nutrire, & boni succi esse: contrà maluam, brasicam, betam, lactucam, ac fructus omnes & parum alere, & improbi succi esse hic asserit Galenus) Lactuca autem uel Galeno teste, & multa eget alteratione, & difficulter conficitur, & excrementosa est: igitur ea ipsa exiguum corpori præstat nutrimentum, illaudatumq; parit succum. quod mihi aduersus te probandum erat. Hunc tu Galeni syllogismum si dilueris, triumphator uelim docta eas per ora uirorum. *Demonstratio de Lactuca.* *Vbi suprà.*

Poteram his contentus esse, atq; ueluti iam uictoria parta receptui canere, ni huic meo instituto Oribasius, Pselliusq; strenui hercle in hoc certaminis genere milites, fortiter reclamassent, ac tanquam lacessentes ἀρναπροβάλλειν, id est, arietem hostibus obijcere iussissent. Hi rursus pugnā collatis in hunc modum signis, uersisq; gladijs integrant. Nempe Oribasius *3. Euporist.*

dum ea ex cibis enumerat quæ euchyma sunt (inter quæ intybo locum facit) lactucæ nusquam meminit: meminisset autem si hoc ordine dignum censuisset. Enumerans uerò quæ cacochyma sunt, lactucæ tum suam ibi sedem constituit, inquiens: Ex oleribus nihil fit euchymon, sed media sunt inter cacochymon & euchymon lactuca & intyba, & post hæc malua & atriplex. Censet hoc loco Oribasius lactucam non omnino quidem uitiosam illam, sed nec euchymam tamen, quum in medio quasi quodam ordine constituatur: non igitur ea inter olera optimi succi. Psellius uerò in eo quem de Salubri uictus ratione scripsit libro, inter ea quæ boni sunt succi lactucam, cicorium, intybamq; enumerat: utiq; sentiens, tria hæc ex omni olerũ ordine succi bonitate præstare. Quare non est quod lactucam cicorio intyboq; præferas, cùm hæc in eodem albo cum uocata lactuca constituantur. Rursus idem autor eo capite quo de his quæ facilè concoquuntur agit, lactucam, intybam, maluam, ac buglossum ex æquo unius clasis constituit. cur ergo primas (quod ad concoctionis facilitatem pertinet) lactucæ tribuas? Sed & denuò, quasi adhuc parum uniuersam lactucæ in alendo uim explicasset, libro II. sic de ea loquitur: Agrestia, inquit, olera improbi sunt succi, lactuca tamen minus mali succi & parum nutrit.

*Loci oribasij explicatio.*

An non hic palàm totam rei summam explicuisse uidetur? dum & lactucam non boni quidem succi, sed tantum agrestium collatione, minus mali, & parum nutrire asseruit? Quanam igitur tu ratione, quo'ue duce affirmabis, eam & plurimum & benè nutrire? nempè quà mali quadantenus succi est, eo certè nomine bene alere corpus non potest, quà uerò modicè (ut Psellius ait) eò excrementosum in ea plurimum subesse innuisse mihi uisus est: atq; subinde exiguum esse quod ex lactuca utile corpori assumitur: quod & suprà Galenus censuit.

Porrò si optimum olerum in succi bonitate alimentiq; præstantia lactucam statuas, optimi uim serues oportet: cùm autem quod optimum, idem & summum sit, (alioqui si quid melius iam non abs te constitutum, sed quod melius id summum & optimum erit) necessum est hac parte lactucam hunc dignitatis gradum seruare, si eam optimam facimus. At id stare non potest, Nempè optimum id esse censetur, quo non aliud in eo genere melius, uel quod omnibus sui generis præstat. Lactuca uerò nec omnibus sui generis præstat, (equidem non intybo, non cicorio, non buglosso, ut mox ex Psellio probatum, qui hæc omnia ex æquo unius ordinis facit) neq; rursus ea non aliud in suo genere melius, (nempe saltem æquè bona sunt, quæ statim recensuimus olera, alioqui non eiusdem clasis ab Psellio ponerentur) igitur nec optima quidem censenda. Ego enim tametsi probè sciam lactucam nõ pessimè inter olera alere corpus, tamen existimem buglosso non minus quàm huic, imò fortasse magis deferendum: ut quod nimirum & temperie sua humano temperamento uicinius sit (nempe calidum & humidum à Galeno, Paulo, Auicenna, & Isaac ponitur) atque proprietate sua uim habeat tum lætitiam generandi, tum sanguinem ab excrementitijs serosis, atque atrabilarijs succis extergendi,

*Optimũ quid*

gendi, tum uires cordis roborandi: cui enim talia insint & edendo sit, fieri nequit, quin probè nutriat, ac multò melius eo, cui talia desint. Cumq; lactuca longiùs temperamento suo ab hominis temperie absit, (nempe frigida) & neq; cor à proprietate roboret, (ut facit borago) & frigidum succum gignat, (uel Galeni testimonio) deterius putem esse illius quàm buglossi nutrimentum. Et ita sentire uidetur Isaac interpres, in quæstione ad caput de lactuca posita. Cætera, quæ in hanc rem plurima adduci possent, consultò omitto, quum sint hæc potiora. Petrus Hispanus interpres Isaac.

*Laboris apud Hippocratem & Galenum uaria significatio.*

ENARRATIO X.



LABORIS nomen non unicè apud Hippocratem & Galenum sumi, adductis in id locis ex eorundem autorum promptuario desumptis, fidem facere constitui. Labor enim interdum pro accessione & casibus, hoc est, grauibus symptomatis Hippocrati sumitur ut Aphorismo VII. primæ sectionis.

ὁκῶ μὲν ὦν κατόξυ τὸ νόσημα, αὐτίκα καὶ τοὺς ἐσχάτους πόνους ἔχει.

Vbi (inquit) morbus peracutus est, statim extremos labores habet.

Ibi laborem pro accessione & morbi casibus sumi, testimonio Galeni in eiusdem Aphorismi commentario constat, in hæc uerba:

πόνους δὲ ἤτοι τοὺς παροξυσμοὺς, ἢ ἁπλῶς ἅπαντα τὰ συμπτώματα.

Labores (inquit) appellat, uel accessiones, uel simpliciter casus uniuersos. Interdum uerò pro læsione & noxa, ut Aphorismo primo sectionis secundæ,

Ἐν ᾧ νοσήματι ὕπνος πόνον ποιέει, θανάσιμον.

In quo morbo somnus laborem facit, mortale.

Quem locum enarrans Galenus, ad hunc modum inquit.

ὅτι μὲν ὁ πόνος αὐτῷ βλάβην σημαίνει νῦν δῆλον ἐκ τῆς ἀντιθέσεως.

Quod est: Quod quidem labor apud ipsum nunc læsionem significat, clarum est ex eo quod opponitur. Nonnunquam uerò pro dolore laboris nomen Hippocrati Galenoq; sumitur, ut Aphorismo XLVIII. secundæ sectionis, in omni corporis motu ubi laborare cœperit, quies statim lassitudinem aufert. Galenus uerò in eius Aphorismi commentario:

Τὸ πονεῖν, σημαίνει μὲν καὶ τὸ ἀλγεῖν. σημαίνει δὲ καὶ τὸ κάμνειν.

Quod est: Verbum laborare significat & dolere, significat autem & fatigari.

Aphorismis item XLIIII. & XLV. quartæ sectionis, eadem in significatione usurpatur. Quibus (inquit Hippocrates) febres longæ, ijs tubercula, uel labores in articulis fiunt. Galenus uerò,

Εἴτε δὲ ἀντὶ τῶν ἀλγημάτων ἀκούομεν εἰρῆσθαι τοὺς πόνους, εἴτ' ἀντὶ τῆς βλάβης, ἑκάτερον ἔχει τινὰ λόγον.

Siue autē (inquit) per labores dolores intellexerimus, siue læsionem, uterq; intellectus habet rationem.

Sumitur

Sumitur & proprio ſignificato laboris nomen pro uehementi motu & exercitatione: ut Aphoriſmo XVI. ſectionis ſecundæ: ubi fames, laborandum non eſt. Galenus uerò laboris nomen ſic eo loco interpretatur.

πόνον δὲ νῦν ἀκούειν χρὴ τὴν σφοδρὰν κίνησιν, ἥντινα καὶ γυμνάσιον ὀνομάζουσιν.

Hic autem per laborem (ait Galenus) intelligere oportet uehementem motum, quem exercitium nominant. In qua rurſus ſignificatione laboris nomen uſurpauit in Epidemijs Hippocrates, dicens:

πόνοι σιτίων ἡγείσθωσαν.

Hoc eſt: Labores cibum præcedant. Et item Aphoriſmo XLIX. ſecundæ ſectionis: Qui conſueti ſolitos labores ferre, etſi fuerint imbecilles, & ſenes, non conſuetis fortibus atq; iuuenibus facilius ferunt. Laborem eo loco pro uehementi motu, ſeu exercitatione ſumi, ex ipſa uerborum Hippocratis ſerie atq; ſenſu facilè eſt uidere. Sumitur & pro fatigatione ac laſsitudine, ut Aphoriſmo XLVIII. ſectionis ſecundæ, In omni corporis motu, ubi laborare quis cœperit, quies ſtatim laſsitudinem aufert. Quo in loco laboris nomine fatigationem ſignificari Galenus in commentario teſtatiſsimum facit. Nos uerò uaria hæc laboris ſignificata uarijs item in locis ab Hippocrate & Galeno uſurpata, congerere in unum de induſtria uoluimus, ne nominis ambiguitas lectori negotium faceret: & ut etiam ſignificata ipſa congruenter adaptare pro ſermonis proprietate, & rei de qua quis tractat natura poſſet. Sic enim & omnis orationis perplexitas tolletur, ſi nominum ſignificata rectamq; ipſorum rationem tenuerimus, & magna fide autorum ſenſa nominis ambiguo inuoluta explicare ſcienter poterimus. Vnde haud immerito Platonem de recta nominum ratione librum edidiſſe, quem Cratillum inſcripſit, legimus: & Galenum librum de Medicis nominibus conſcripſiſſe ſcimus, ut delectus nominum, & eorum quæ his ſignificantur, haberi commodè poſſet.

*

FINIS LIBRI SECVNDI.

# FRANCISCI VALLERIOLAE MEDICI ENARRATIONVM MEDICINALIVM LIBER TERTIVS.

*Popularium morborum in Gallia Narbonensi, præsertim Arelate grassantium sub annum Domini* M. D. XLIIII. *explicatio, præcautio, atq; curatio cum enumeratione antidotorum, ex probatissimorum quorumq; sententia, ad uenena ualentium.*

## ENARRATIO PRIMA.



QVI POPVLARIVM morborũ alicubi grassantium naturam, causas, præcautionisq; atq; curationis uiam, medica enarratione explicare ingreditur: id omnium primùm cogitet, rem se omnium uti longè utilissimam, sic sanè perdifficilem ingredi. Siquidẽ ut nihil fortasse præstantius in omni hominũ uita atq; actione inueniri potest, quàm publicæ omnium consulere ualetudini, atq; ingruentis popularis morbi uim, sæuitiam, impetum, causarum prænotione depellere: sic certè nihil operosius, nihil difficilius, quàm de omni populariũ morborum natura ac causis, pro rei ipsius magnitudine ac dignitate tractare: Quibus de rebus omnibus nemo medicus exactè disserere poterit, nisi prius astrorum ortum & occasum (eorum præsertim, qui in aëre & hominibus mutationes magnas & insignes efficere solent: uti Caniculæ, Arcturi, Vergiliarum: tum etiam æquinoctiorum & solstitiorum) stata tempora penitius considerauerit. Aëris item nos ambientis statum, mutationes, tempestates, aquarum uim, locorumq; in quibus populariter morbi grassantur naturam omnem, situm, peculiares uentos, incolarumq; uictum exactè pernouerit. Quæ sanè omnia de horum morborum natura tractaturo consideranda in primis esse, uetustissimus tradidit Hippocrates.

Ἰητρικὴν, ὅστις βούλεται ὀρθῶς ζητεῖν, τάδε χρὴ ποιεῖν. πρῶτον μὲν ἐνθυμέεσθαι τὰς ὥρας τοῦ ἔτεος, ὅ, τι δύναται ἀπεργάζεσθαι ἑκάστη. οὐ γὰρ ἐοίκασιν οὐδὲν, ἀλλὰ πολὺ διαφέρουσιν αὐταί τε ἑαυτῶν, καὶ ἐν τῇσι μεταβολῇσιν. ἔπειτα δὲ, τὰ πνεύματα, τὰ θερμά τε καὶ τὰ ψυχρὰ, μάλιστα μὲν τὰ κοινὰ πᾶσιν ἀνθρώποισιν. ἔπειτα δὲ, καὶ ἐν ἑκάστῃ χώρῃ ἐπιχώρια ἐόντα. δεῖ δὲ καὶ τῶν ὑδάτων ἐνθυμέεσθαι τὰς δυνάμιας. ὥσπερ γὰρ ἐν τῷ στόματι διαφέρουσιν, καὶ ἐν τῷ σταθμῷ, οὕτω καὶ ἡ δύναμις διαφέρει πολὺ ἑκάστου. ὥστε ἐς πόλιν ἐπειδὰν ἀφίκηταί τις, ἧς ἄπειρός ἐστι, διαφροντίσαι χρὴ τὴν θέσιν αὐτέης, ὅκως κέεται, καὶ πρὸς τὰ πνεύματα καὶ πρὸς τὰς ἀνατολὰς τοῦ ἡλίου. οὐ γὰρ τωὐτὸ δύναται, ἥτις πρὸς βορέην κέεται, Lib. de Aëre, aquis et locis.

καὶ

καὶ ἤν τις πρὸς νότον. οὐδ' ἤν τις πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα. οὐδ' ἤν τις πρὸς δύνοντα. ταῦτα δὲ ἐνθυμέεσθαι ὡς κάλλιστα. καὶ τῶν ὑδάτων πέρι, ὡς ἔχουσιν. καὶ πότερον ἑλώδεσι χρέονται καὶ μαλακοῖσιν, ἢ σκληροῖσί τε καὶ ἐκ μετεώρων, καὶ ἐκ πετρωδέων εἴτε ἁλυκοῖσι, καὶ ἀτεράμνοισιν. καὶ τὴν γῆν πότερον ψιλή τε καὶ ἄνυδρος, ἢ δασεῖα καὶ ἔφυδρος, καὶ εἴτε ἐν κοίλῳ ἐστὶ καὶ πνιγηρὴ, εἴτε μετέωρος καὶ ψυχρή. καὶ τὴν δίαιταν τῶν ἀνθρώπων ὁκοίῃ ἥδονται. πότερον φιλοπόται καὶ ἀριστῆται καὶ ἀταλαίπωροι, ἢ φιλογυμνασταί τε καὶ φιλόπονοι, καὶ ἐδωδοὶ καὶ ἄποτοι. ἀπὸ δὲ τούτων χρὴ ἐνθυμέεσθαι ἕκαστα. εἰ γὰρ ταῦτα εἰδείη τις καλῶς. μάλιστα μὲν, πάντα. εἰ δὲ μὴ, τά γε πλεῖστα, οὐκ ἂν αὐτὸν λανθάνοι ἐς πόλιν ἀφικνεόμενον, ἧς ἂν ἄπειρος ᾖ, οὔτε νοσήματα ἐπιχώρια οὔτε τῶν κοινῶν ἡ φύσις ὁκοίη τίς ἐστιν. ὥστε μὴ ἀπορέεσθαι ἐν τῇ θεραπείῃ τῶν νούσων, μὴ δὲ διαμαρτάνειν, ἃ εἰκός ἐστι γίγνεσθαι, ἢν μή τις ταῦτα πρότερον εἰδὼς πρόφρων τις ᾖ.

Quod est: Quicunque artem medicam integrè adsequi uelit, primùm quidem temporum anni rationem habere debet, quantum potẽtia quodlibet eorum ualeat: non enim simile quicquam in illis existit: uerùm differunt inuicem propter uarias, quæ in eis fiunt mutationes. Deinde uentorum calidorumq́ꝫ & frigidorum, maximè qui ex his omnibus hominibus sunt communes, & mox qui in unaquaqꝫ regione sunt indigenæ & proprij. Neque uerò negligentiorem se circa aquarum facultates cognoscendas exibere conuenit. Quemadmodum enim gustu differunt, & pondere, ac statione: sic quoqꝫ uirtute aliæ alijs longè præstant. Quare si quis ad urbem sibi incognitam perueniat, circunspicere oportet eius situm, quo modo scilicet ad uentos & solis exortus iaceat: non enim æquales uires sunt ad Septentrionem sitæ, & uergentis ad Austrum: neqꝫ eius quæ solem exorientem, & quæ eundem occidentem spectat. Hæc itaque diligenter oportet perscrutari, ac simul quomodo habeant circa eam aquæ: num'ne palustribus utantur & mollibus, aut duris & ex sublimi loco prolabentibus, & scaturientibus ex petris, siue salsis, & crudis. Terra etiam ipsa consideranda, nuda'ne sit & aquis carens, aut densa & aquosa: & an concaua sit, & æstuosa, uel alta & frigida: hominum insuper diæta perquirenda, qua maximè capiantur. An bibuli sint & lurcones, & otio dediti, aut exercitijs uarijs utentes, & tolerantes laborum, ciborumq́ꝫ plus adpetentes quàm poculorum. Ex his enim singula sunt inuestiganda. Nam qui hæc omnia probè, quantum fieri potest, cognouerit, aut horum plurima, eum non latere possunt quum in urbem etiam ignotam sibi peruenerit, neqꝫ morbi regioni peculiares & patrij, neqꝫ communis regionis natura, quæcunqꝫ tandem ea fuerit, ut non possit in cognoscendis morbis dubius hærere, aut errare, sicubi ad morborum medicationem adhibeatur.

Quamobrem quum de ijs morbis dicturus sim, quæ Arelate paulò antè caniculæ ortum, sub annum Domini M. D. XLIIII. atrocissimè in cuiusuis ætatis, temperaturæ, sexus, educationis homines uiguerunt, de ipso urbis situ & natura primùm, quibusqꝫ uentis exposita sit, erit mihi dicendum: id enim ad popularium morborum doctrinam plurimùm conferre nos bellè Galenus docet commento I. Ad primum Epidemiorum Hippocratis: item morbi communes, dispersi, eudemi, epidemij, pestilentesꝫ,

ſtilentes, quid ſint, & quo inter ſe differãt, & id quoq; prius tractandum: deinceps de hominum eo in terræ tractu uictus genere dicendum erit. Quibus expoſitis ad ipſam popularium morborũ, eorumq; ſymptomatum atq; cauſarum enarrationem ueniendũ erit: ſubiecta tandem curationis methodo ac præcautione, qua caueri ij morbi commodè, magna cura atq; induſtria poſsint.

Itaque urbem Arelatam Romanorum olim coloniam fuiſſe ueterum monumentis eſt comprobatum: ſiquidem Ptolemæus libro Geographiæ II. Galliæ Narbonenſis ſitum deſcribens, Arelatam Romanorum coloniam ſub Salijs poſitam facit: longitudinem habentem gradus duos ſupra uiginti uniusq; gradus medietatem atq; inſuper quartam partem, latitudinem uerò tres ſupra quadraginta gradus tertia adiecta parte. Strabo emporium nobile fuiſſe ſcribit: Adiacet Rhodano (inquit) oppidum emporiumq; non paruum Arelate. Vnde conſtat, amplius olim multò quàm nunc atque patentius oppidum fuiſſe. quod ex uetuſtiſsimis monumentis ſatis nunc longè ab urbe diſcluſis, lapidumq; exciſionibus, ædificijs, ampliſsimarum ædium fragmentis atq; ruinis, teſtatum cuique eſſe poteſt. Pomponius Mela, Sextanorum militum coloniam Arelatem fuiſſe ſcribit: hoc eſt, eorum qui ſextæ legioni adſcripti erant: uti Secundanorum Arauſio, & Septumanorum Blitera.

*Vrbis Arelatæ ſitus.*

*Lib.4.*

*Lib.2.cap.5.*

Huius itaque urbis ſitus in Gallia Narbonenſi ad meridiem ſpectans eam habet, quam paulò antè ex Ptolemæo diximus, longitudinem atque latitudinem. Eſt autem loco partim cliuoſo & molliter in planitiem inflexo, partim plano atq; demiſſo urbs poſita, undiq; fermè patens, nullis montibus obſita, ad ſeptentrionẽ fronte ſua, dorſo ad meridiem ſpectans, dextro cornu ortum Solis, ſiniſtro occaſum habens. Quam quidem urbem nobiliſsimus amnis Rhodanus interluit, qui ſupra Lemanum lacum molli flexu originem ducens, longiſsimo tractu magnoq; impetu ſeſe in pingue hoc & demiſſum ſolum rapit, multis magniſq; fluminibus comitatus, eius curſum, magnitudinem, impetum ualdè citantibus: ſi quidem ex Sequanorum finibus & Heluetiorum Ararim, ex Allobrogibus Iſaram, ex Narbonenſibus Sorgiam atq; Druentiam rapidiſsima flumina ſecum ducit, quorum influxu & aquarum incredibili copia quum illius alueum in uaſtiſsimam altitudinem exurgere ſit neceſſe: fit, ut per abditos terræ cuniculos & anfractus, multa tanti fluminis portione deducta, paludes uaſtæ in demiſſo hoc pinguiq; ſolo, eæq; plurimæ generentur.

*Paludes prope Arelatũ.*

Quamobrem quum & calido loco ſita urbs, & ſtatarijs atq; paluſtribus aquis undiq; ſepta, auſtroq; & ardoribus Solis expoſita ſit, aërem æſtuoſum eſſe, craſſum, nubibus obductum multaq; caligine plenum neceſſe eſt. Solum uerò pingue & ſatis ferax Arelatenſes habere pro natura eorum locorum quæ mari uicina ſunt, & pingui gleba aluntur, conſequens quidem eſt, uel Ariſtotelis teſtimonio. Inſalubre tamen & morboſum paluſtrium aquarum ſegnitie & mora, cœliq; inclementia.

*7 Politicorũ.*

Cur uerò ſalſum ubiq; ſolum, in promptu cauſa eſt, quòd marinus humor effluens, nec longo interuallo diſtans, ſeſe per mediam terram effun-

*Arelatenſe ſolum cur ſalſum.*

dat: cuius quidem marini humoris communicatione salsum solum efficitur: salsæ item puteales aquæ, quòd eius humoris contagione quicquid dulce est in aquis absorbeatur. Quòd item quæ ad Austrum uergunt loca, salsiores habere aquas soleant, ex eo quidem quod mare in terram sub austro interrumpit dulcesq́; aquæ cum salsis miscentur. XXIII. Problematum sectione, Problemate XXV. quodq́; non satis percolatæ nec longis tractibus deductæ uitiosum humorem exuere minimè potuerunt. Quæ enim magnis ductibus percolantur aquę dulcescere solent, & quem è terra mariq́; hauserunt saporem deponere: ita tradente philosophorum summo Aristotele.

23. Proble. sectione.

Est autem urbs ipsa Austro plurimum exposita, tum & Aquilonibus, sed quorum uis sæpe Austri furore retundatur: peculiarem habent & ij uentum, qui ab occiduo flare solet estq́; inter Austrum & Zephyrum ferè medius quem incolæ Narbonensem, (quòd eo ex loco manare uidetur) peritiores & Astronomi Aphricum nominare solent. Incolæ uerò, quum & Solis felicisq́; glebæ ubertate, & piscium, quos uicinum mare, & uastæ paludes, ingentesq́; lacus affatim suggerunt, & uini copia generosi abundent, non satis in uictu salubri cautos esse constat, ut qui palustribus piscibus, cocleis, & crassi succi cibis ut plurimum uescantur.

Nunc uerò quid Morbus communis sit, quid Endemus, quid Pestilens, & quo inter se differant (quod facturos nos proposuimus) declarandum. Morbos itaq́; Hippocrates & Galenus in duo genera potissimùm distinxerunt: alterum eorum qui in omnes sæuiunt, & cuiusuis ætatis, sexus, temperaturæ homines rapiunt, quos Communes, seu Populares uocant. Alterum uerò huic oppositum, quod sparsim non secūdum communem modum, ununquenq́; pro diuersa uictus ratione præhendit, quos Græcè σποράδας hoc est dispersos uocant. Popularium uerò morborum non una nec simplex est ratio, sunt enim eorum quidam perniciosi, quidam ex his mitiores. Cùm enim morbi uno quodam tempore eiusdem generis in populum grassantur, ij quidem si perniciosi fuerint, Pestem appellant: cùm uerò mitiores, altera quadam indicant appellatione Epidemos uocantes: ut sit Epidemus quidem morbus, qui tempore aliquo in aliqua regione abundet. Pestis uerò epidemia perniciosa.

Epidemus morbus. Pestis.

Est autem & aliud morbi genus commune multis, quod in regione superuenit Endemum uocatum, quasi patrium, aut uernaculum dixeris. His autem omnibus aduersantur qui sparsim priuatimq́; præhendunt ægros discrepanter fatigantes, neq́; secundum communem modum constantes, de quibus libris de Ratione uictus acutorum tractauit Hippocrates: ueluti de Epidemijs, in libris Epidemiorum morborum. De Endemis uerò in libro de Aquis, aëre, locis. Nullum autē peculiarem de peste confecit librum, quoniam ex Epidemijs unum esse ipsam per libros Epidemiorum demonstrauit: quæ quidem omnia pulchrè à Galeno commentarijs suis ad primum librum de Ratione uictus acutorum Hippocratis, & in Epidemijs demonstrata sunt.

Endemus morbus.

Sed iam ad popularium morborum explicandam naturam symptomataq́;

mataque propius accedamus, si prius de eius anni constitutione nonnulla ad rem maximè necessariò dixerimus, Hippocratem imitati, qui de popularibus morbis tractationem haud prius est aggressus, quàm de tota anni constitutione sermonem fecerit. *Libris Epidemiorum.* Illud in primis, præposteram, inæqualem, autumnoque similem præcessisse tum hyemis, tum ueris dispositionem: siquidem hyems ferè tota austrina, humida, pluuiosa fuit: in qua permagni & assidui imbres Austris furentibus comitati, magnam in omnibus mutationem destillationisque morbos crearunt, accedente præsertim ueris autumnali constitutione modò frigida & Aquilonibus perflata, modò Austris siccis, interdum etiam nimbosis turbata. Quam sanè ueris constitutionem aquilonia & perfrigida æstas sequuta est. Ex qua temporum præpostera & inæquali constitutione, quis non inconstantes & mali iudicij morbos sperare atque etiam certò pronuntiare potuisset? Siquidem in inconstantibus temporibus, nec suam naturam seruantibus, inconstantes & mali iudicij morbi nasci solent.

Ἐν τοῖσι καθεστῶσι καιροῖσιν ἢν ὡραίως τὰ ὥραια ἀποδιδῶσιν εὐσταθέες καὶ εὐκρινέες αἱ νοῦσοι γίνονται. Ἐν δὲ τοῖσιν ἀκαταστάτοισιν, ἀκατάστατοι καὶ δύσκριτοι. *3. Aphor. 8.*

Hoc est: In constantibus temporibus cùm tempestiuè tempestiua redduntur, morbi constantes & boni iudicij fiunt: in inconstantibus uerò inconstantes & mali iudicij.

Neque mirum fuit id temporis quo grassari populariter morbi cœperunt, non solùm inconstantes eos & mali iudicij: sed & longos, & ad curandum difficiles fuisse. Nam in pluuiarum magnitudine tales oriri solent, inquiente Hippocrate.

Νοσήματα δὲ ἐν μὲν τῇσιν ἐπομβρίῃσιν ὡς τὰ πολλὰ γίνεται πυρετοί τε μακροὶ, καὶ κοιλίης ῥύσιες, καὶ σηπεδόνες. *3. Aphor. 16.*

Id est: In pluuiarum multitudine morbi qui fiunt, magna ex parte febres longæ, alui profluuia, putredines.

Non enim potest humorum tanta moles facilè à natura uinci. Vnde consequens quidem est, ut & mali iudicij, & longi morbi tum fiant, quales populares ij fuere: siquidem febres quæ uniuersim cunctos præhenderunt, ob eam quam ex Hippocrate attulimus rationem, & mali iudicij plærunque, & in omnibus diuturnæ fuerunt.

*Populares febres quales.* Erant autem febres huiusmodi: Plerisque ægrotantium intermittentes, eæque tertianæ, nonnullis continuæ acciderunt. Quæ intermittentes erant, cum horrore & inæqualitate præhendebant. Nam ex quo qui febrem faciebat humor crassus erat, nec ualido impetu sese in musculos agens, rigorem efficere minimè poterat, cuius causæ à Galeno statuuntur tum humoris acrimonia & tenuitas, tum celer & uehemens ipsius motus, facultate expultrice illũ summo conatu in musculos propellente. *5. de Sympt. cauf. & 2. de Crisi. & lib. de rigore.* Quamobrem in præfatis morbis horror tantum, non rigor plerunque per accessionum initia suberat.

Crassum autem humorem morbificum fuisse, tum ex præcedente eorum hominum qui laborabant uictu, (qui totus piscium esu, coclearum & uiscidorum omnium pro patrio more constitit) tum ex accessionum

longitudine, tum caloris per accessionem remissione, (erat enim tepidus, lenis, mitis, non acer, grauis, mordax) tum maximè ex ipsa humorum natura conijci facilè poterat. Si quidem cùm austrina nebulosa, & caligine plena: interdum etiam frigida & aquilonia, præcessisset tum hyemis, tum ueris constitutio, necessum fuit ab huiusmodi constitutione illi similes nasci in corpore humores, dicente Galeno, Nubiloso existente aëre, nubilosos in nobis cùm humores, tum spiritus reddi. Nec id abs re: nam qualiter affectus fuerit aër, taliter affici corpora nostra est necesse III. Aphorismorum VIII. Methodi, in Arte medi. & II. de Crisib. cap. III.

*Commen. ad I. Epidemiorũ Hippocratis.*

Inæqualitatis uerò pulsuum causa fuit, tum humoris ipsius lentor & crassicies, & copia, tum naturæ in hoc superando humore labor atque conatus.

Omnibus uerò uomitus laboriosi, ingenti cum oris uentriculi dolore: biliosioribus quidem porracei, cæteris uel pituitosi, uel è crassa bile plurimæ pituitæ admixta. Qui porracea uomebant, crebris singultibus, dolore oris uentriculi summo, animi deliquijs tentabantur, nonnunquam etiam conuulsione, acri scilicet & uenenoso humore os uentriculi uellicante, similia enim ferè affecto cordi, os uentriculi symptomata afferre sæpenumero solet, atq; ob id cor ueteribus nominatum. Quàm uerenda autem symptomata creare humor hic in corpore possit, nos bellè Galenus docet XII. Metho. & V. Aphorismorum, commento primo: dum adolescentis eruginosum humorem euomentis historiam narrat.

*5. de Locis affect. cap. I. & 5.*

Sitis, præterquam in ijs, qui porracea bili infestabantur, non multum urgebat.

Dolor uentriculi atq; capitis, plerosq; atrocissimè uexabat.

Sopor omnes ferè per accessionum incrementa & uigores tentabat: crasso scilicet ac multo uapore cerebrum opplente, perpaucis uigiliæ, aut phrenitides. quòd haud ita acutus & calens esset qui morbum efficiebat humor.

Accessiones ipsæ porrò, longissimæ erant, nec planè in τὴν ἀπυρεξίαν desinentes: non enim uniuersim ob humoris tum lentorem, tum copiam, tum etiam uasorum, obstructionem remittebant. Quæ causa item erat, cur ægrè sudores manarent: non enim attenuari tam crassus humor facilè poterat, ut transpirare nullo negotio posset: obstructis præsertim meatibus fermè omnibus, tum internis, tum externis: atq; ob id cùm non liberè difflari humores possent, febres non penitus remittebant: siquidem autore Galeno, remissiones febriũ fieri tum contingit, quum foras transpirant succi. Aluus uel nihil omnino, uel cruda, liquida, crassa, interdum pituitosa, interdum biliosa reddebat. Vrinæ tenues plerunq;, leuiter coloratæ, sedimen non constans nec bonum habentes.

*9. Meth.*

Commune porrò id omnibus, ut graui inappetentia tentarentur. ualde scilicet uentriculi ore affecto. Lienes omnibus intumebant, uirium corporis omnium magna deiectio: quòd grauis & exitialis esset qui intrò subsederat humor.

Decretoria omnino mala, uti in pestilentibus fieri assueuit: nam neq;

post

post coctionem eueniebant, nec diebus indicatorijs (quos contemplabiles solet Hippocrates nominare) prænuntiabantur, nec per consueta naturæ ad excernendum loca, nec ægrum perfectè liberabant: nec humoris noxij uacuatio fiebat, & magno cum labore ægri perferebãt. Quæ omnia ad perniciosam iudicationem attinere, peruidere quis ex Galeni monumentis perfacilè potest.

*2. Apho. 24.*

*Ex 3. de Crisi. & de diebus iudicatorijs. & libr. præsag.*

Plerisque omnibus sub decimumquartum efflorescentiæ in cute quas ἐξανθήματα Græci uocant, apparebant. Nonnullis & carnis extuberationes cum pruritu, rubore, & incendio.

In summa, morbus ipse grauis, diuturnus, contumax & ad curandum difficilis omnino fuit. Quorum sanè omnium causa fuit, noxij humoris tum copia, tum crassicies atque lentor, latensque potissimùm in ipso perniciosa qualitas, ueneni naturam referens: à quibus ueluti perterrita & consternata corporis rectrix facultas, ferendo nõ erat: atque ob id cùm aggredi tam multum, tamque uitiosum humorem minimè posset, ipseque humor mora uitiosior effectus, maius naturæ negotium facesseret: necessarium omnino fuit, morbum ipsum & longum & contumacem fuisse: idque magis, quò minus morbus ipse tempestiuè decernebat. Quæ item crebri in ægrotantibus relapsus atque recidiuæ causa fuit una omnium uel maxima: nempe cùm iudicationes difficiles imperfectæque essent, consequens certè fuit, quod relinquebatur (quum à natura ob sui imbecillitatẽ, humorisque tum copiam tum magnitudinem uinci non posset) recidiuam facere. Vnde illud rectissimè ab Hippocrate dictum est,

*Lõgitudinis morbi causæ.*

*Recidiuæ causæ.*

τὰ ἐγκαταλιμπανόμενα ἐν τῇσι νούσοισι μετὰ κρίσιν, ὑποστροφὰς ποιέειν εἴωθεν.

*2. Aphor. 12.*

Id est: Quæ relinquuntur in morbis post crisim, recidiuas facere consueuerunt.

Sunt enim ea quæ relinquuntur (ut Galenus eo in loco explicat) malorum humorum reliquiæ, quas (ut idem ait) necessarium est tempore putrescentes, denuò febres accendere. Siquidem omnis humor alienus à natura corporis in quo continetur, neque ad eius nutritionem aptus, relinquitur ut necessariò ad putredinem conuertatur.

Altera nec hac inferior in inferendo relapsu causa erat, praua uictus ratio ab ægris seruata: quæ quidem ueluti in sanis corporibus ægrotandi occasionem adfert, sic sanè multò etiam magis in laborantibus: ut bellè nos docet 11. de Febrium diff. Galenus. Itaque non solùm cùm ægrotant, uerùm cùm à morbo reficiuntur, quacunque ex causa promptissimè offendi ægri solent, unde deterior efficitur morbus: unde illud appositissimè dixisse Galenus est uisus, Aegroti erratum uel minimum, causam esse relapsus in morbum: præsertim si morbus ipse absque insigni aliqua euacuatione, uel abscessu finiatur: tum enim (ut idem ait Galenus) redire morbus consueuit. Quo sanè tempore, in eaque morbi constitutione, si suæ ipsius uoluntati æger permittatur, redit multò quàm antea sæuior morbus, ob idque rectè tum consulit Galenus ut solicitè & accuratè regatur æger. Quamobrem mirum non fuit in hoc populari morbo, ægros sæpe maiore cum periculo relapsos uidere, accedente ad priores causas, quæ

*Cap. ulti.*

*1. de Diebus decretor. capit. 7.*

*Vbi suprà, cap. 1.*

omnium prima atq; potissima fuit habenda, ipsa scilicet aëris lues atq; pestilitas: qui cùm perniciosa esset qualitate affectus (ut mox dicturi sumus) diuq; & multum affectionem hanc retinuisset (ut cuius natura teтris uitiatarum aquarum atq; palustrium halitibus tota corrumperetur, & in alienam quandam hominibus ualde noxiam degeneraret) humores & spiritus corporis simili qualitate ab eo affici necessarium quidem erat. Vnde illud eueniebat, ut tametsi congrua esset ab ægris seruata uictus ratio, ipsiq; noxij humores probè opportuneq; uacuati, tamen quum assiduo inspiratu aëris nidorosi, putridi, uenenosi, crassi, continuè inficerentur cùm spiritus, tum humores, (qui pro qualitate admissi aëris temperari & ipsi uel morbosi fieri maximè solent, ita tradente Galeno) fiebat inquam, ut paulò pòst, iterum resurgeret morbus. Siquidem (ut idem ait) curari morbus nequit manente quæ ipsum excitauit causa. Atq; eæ potissimæ recidiuæ causæ fuere.

*Comment. ad 1. Epid. Hipp.*
*7. Meth.*

*Mortis causæ.*

Mortis uerò quæ tandem in plerisq; post multos & diutinos labores sub autumni finem accidit, causa fuit, extrema uirium infirmitas. Quum enim magnos morbi impetus, per æstatis ardores (qui suapte natura imbecillima reddere corpora solent, multo dissoluto natiuo calore) qui laborabant sustinuissent, aduentante autūno, magna item facta est in ægris mutatio, magna ob temporis inæqualitatē alteratio, tum in humoribus ipsis atque spiritibus, tum in corpore toto. Vnde stipatis externis meatibus, crassioribusq; effectis succis, & diuturna mora uitiosioribus redditis, succumbere uires fuit necesse. Siquidem quod Hippocrates ait,

*3. Aphor. 9.*

Ἐν φθινοπώρῳ ὀξύταται αἱ νοῦσοι, καὶ θανατωδέσταται τὸ ἐπίπαν.

Id est: Autumno morbi acutissimi & exitiosissimi magna ex parte fiunt.

*In cōm. præfati Aphorismi.*

Magna certè ut Galenus docet ratione. Nam quum ob præcedentem æstatem multis assati sint corporis succi: uiresq; ab aëris ambientis caliditate dissolutæ, refrigerato per autumnum aëre, humoribus intrò propulsis, ac difflari prohibitis, consequens quidem fuit mali moris morbos creari, præsertim si praua accesserit uictus ratio. Quæ cùm omnia simul præfatis ægris acciderint, quid mirum ad tam diuturnos, difficiles, graues, & (quod caput est) pestilentes morbos, tandem mortem fuisse in plerisque sequutam?

Quo autem mortis genere interirent breuibus explicandum. Nonnulli dysenteria, quæ plerisque tum ob humorum acrimoniam, & fructuum esum, tum ob ingentem potum & intempestiuū euenit: alij aqua inter cutem: multi colliquatione: aliquot sanguinis è naribus profusione, quibus habitior & carnosior erat habitus, uenæq; multo sanguine turgentes: plerіq; tabitudine & immedicabili siccitate à morbo contracta: omnes uerò ui ueneni in spiritibus inclusi. Quamobrem qui ad huius uenenosi halitus uim excipiendam paratiores per naturam erant, ut qui latis & patentibus meatibus constabant, quiq; tenues haberent in corpore succos, in morbum facilè incurrerunt: atq; tandem uicta eorum natura, mortis discrimen miserè subierunt.

Vnde

Vnde quum pueri tales per naturam sint, innumeri ex hoc morbo perierunt, quòd uenenosum halitum liberius hausissent. Vnde non immeritò consuluisse Rasis uidetur, ut à pestilenti aëris tractu pueros quàm primum arceamus, ne perniciosum halitum trahant, quem suapte natura facilè admittunt V. ad Almans. *Cur pueri multi morerentur.*

Senes uerò ob uirium infirmitatem, item & utero gerentes: quarum aliquot periere, multæ seruatæ sunt, sed magno labore, magno earum & fœtus periculo: & quæ ad maturitatem fœtus perduxerunt, imbecillos, semimortuos, exangues, minime uitales peperere: ipsæq; matres diu & multum quũ à præcedente morbo, tum ab enixu laborantes, in magnam uirium deiectionem peruenere, ut longo uix tempore multa adhibita cura restitui possent. Quod uxori meæ euenit, quæ postquam trimestre tempus perniciosissima febri, uigilijs, phrenitide, inappetentia, uteri flatuosis doloribus, ictericis symptomatis, atq; conuulsionibus laborasset, summo Dei beneficio atq; ope (cui exultantes gratias habeo) tandem restituta, filiam peperit, facili quidem enixu, sed imbecillam & minimè uitalem, idq; plerisq; alijs euenit.

Sed iam de morbi natura satis, de causis modò agendum: quas ut breuissimè, sic doctissimè complexus Hippocrates, Aëris præcipuè statum esse uoluit. Galenus & Paulus præter aëris uitiosum statum, corruptarum aquarum usum causam interdum publicè grassantium morborum esse dixerunt. Vtrorumq; sensa afferemus. Hippocratis primum, cuius libro de Natura humana hæc sunt uerba: *Morbi popularis Arelatensis causæ.*

Αἱ δὲ νοῦσοι γίνονται, αἱ μὲν, ἀπὸ τῶν διαιτημάτων, αἱ δὲ ἀπὸ τοῦ πνεύματος, ὃ ἐσαγόμενοι ζῶμεν. τὴν δὲ διάγνωσιν χρὴ ἑκατέρων ὧδε ποιέεσθαι. ὁκόταν μὲν ὑπὸ νοσήματος ἑνὸς πολλοὶ ἄνθρωποι ἁλίσκωνται κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον, τὴν αἰτίην χρὴ ἀνατιθέναι τούτῳ, ὅ, τι κοινότατόν ἐστι. καὶ μάλιστα αὐτέῳ πάντες χρεώμεθα. ἔστι δὲ τοῦτο ὃ ἀναπνέομεν. φανερὸν γὰρ ἤδη ὅτι τὰ διαιτήματα ἑκάστου ἡμῶν, οὐκ αἴτιά ἐστιν, ὅτε ἅπτεται πάντων ἡ νοῦσος ἑξῆς, καὶ τῶν νεωτέρων, καὶ τῶν πρεσβυτέρων, καὶ γυναικῶν, καὶ ἀνδρῶν ὁμοίως., καὶ τῶν θωρησσομένων, καὶ τῶν ὑδροποτεόντων, καὶ τῶν μᾶζαν ἐσθιόντων, καὶ τῶν ἄρτους σιτεόντων. καὶ τῶν πολλὰ ταλαιπωρεόντων, καὶ τῶν ὀλίγα. οὐκ ἂν οὖν τά γε διαιτήματα αἴτια εἴη, ὁκόταν διαιτεύμενοι πάντας τρόπους οἱ ἄνθρωποι ἁλίσκωνται ὑπὸ τῆς αὐτέης νόσου.

Quod est: Morbi alij à uictu, alij à spiritu, quo attracto uiuimus proueniunt. Sed de utrisq; hoc modò disceptare atque dijudicare oportet. Cùm una ægritudine plures eodem tempore corripiuntur, causam illi attribuere debemus, quod est maximè commune, & quo præcipuè omnes utimur. Id autem est, quod respirando attrahimus: tunc enim uictum cuiusque nostrum nequaquam in causa esse, manifestò constat: cùm morbus omnes iuxta attingit, tam iuuenes, quàm senes, tam fœminas, quàm uiros, perinde uinum ac aquam bibentes, tam qui mazam, quàm qui panem comedunt, tam qui parum, quàm qui multum laborant. Ergo non fuerit uictus ratio in causa, quum homines quoquo uictu utentes in eundem incidunt morbum. Libro uerò de Flatibus hæc scripsit:

Ἔστι δὲ δισσὰ ἔθνεα πυρετῶν ὡς ταύτῃ διελθεῖν. ὁ μὲν κοινὸς ἅπασι, καλεόμενος λοιμός. ὁ δὲ διὰ πονηρὴν δίαιταν ἰδίην, τοῖσι πονηρῶς διαιτευομένοισι γινόμενος. ἀμφοτέρων δὲ τε-

τῶν, αἴτιος ὁ ἀήρ. ὁ μὲν οὖν κοινὸς πυρετὸς διὰ τοῦτο κοινός ἐστιν. ὅτι τὸ πνεῦμα ταυτὸ πάντες ἕλκουσιν. ὁμοίου δὲ ὁμοίως τοῦ πνεύματος τῷ σώματι μιχθέντος, ὅμοιοι καὶ οἱ πυρετοὶ γίνονται.

Id est: Sunt autem duo febrium genera, ut de hoc in presentia differam: alterum commune omnibus Pestis appellatur, alterum propter malam uictus rationem his priuatim contingit, qui ea utuntur. Vtriusque autem generis aër causa existit. Verùm communis febris propterea communis est, quòd spiritum eundem omnes attrahunt, sicque ut simili corpori similes spiritus similiter permixti, similes gignant febres.

Ex quibus locis satis constat ex Hippocratis sententia uitiosum aërem inspiratum corporique commixtũ, popularis morbi causam esse: atque non solùm huius, sed & alterius qui ex deprauato uictu prouenit quod tamen difficultatem in se maximam habet. Nam id pugnare uidetur cum eo quod ab ipsomet Hippocrate dictum est libro de Natura humana: quum alios morbos à uictus ratione, alios à spiritu quem attrahimus prouenire affirmauerit. Nisi quis dicat eorum morborum, qui à deprauato uictu fiunt, ita aërem causam esse, non ut effectrix morbi causa statuatur (nam effectrix eius morbi causa est deprauatus uictus, non aër uitiosus) sed est concausa, nempe morbum fouens, coadiuuans, & ueluti morbum amplificans. Nam si unà cum deprauata uictus ratione uitiosus aër sese insinuarit, & in corpus immiserit, multò deterior, multò grauior & periculosior erit morbus. Sed uix tamen hoc ad Hippocratem à pugnantia uindicandum satisfacere mihi uidetur. Qua de re secunda mea prioris libri Enarratione abundè egi.

*Conciliatio pugnantiũ locorum Hippocratis.*

*Commen. ad 1. Epidem.*

Nunc ad causas popularis morbi redeo, quas easdem cum Hippocrate Galenus uoluit esse, addit tamen supra hanc Hippocratis, aquæ infectæ potionem; uti in castris sæpe accidisse memoriæ proditum est: item & spirantes ex barathris & specubus uenenosis, qui choronij appellantur uenti, si multum spirent & frequentes sint: contaminant enim ij aërem, pestilentesque & publicos morbos gignunt. Paulus uerò non solùm uitiosum attractum aërem popularis morbi causam esse: sed & alimentorum prauitatem, infectæ aquæ potionem, nimis laboriosam uitæ rationem, exercitiorum quibus quisque assueuit amissionem, ex fame impletionem, item & regionum peculiares quasdam propriasque naturas, (ut cùm paludem uicinam, barathrum'ue aliquod ingens, tetrum spirans, regio ipsa habuerit) denique aëris circumfusi intemperatura, quæ uariè animantium corpora immutant atque afficiunt, popularium morborum causas esse affirmauit. Sed omnium primam aëris uitiosi attractum: nam cæteris quidem causis neque pariter omnes obijcimur, nec si in eas incidamus perpetuò in ijs uersamur. At circumfusus aër, quem uel inuiti inspiratione attrahimus, necessariò pro naturæ suæ modo & natura quoque corpora immutabit.

*lib. 2. cap. 34.*

Esse uerò regionum & tractuum terræ quorundam morbosas naturas, quum eruditorum testimonijs, tum quotidiano experimento fit manifestum. Siquidem apud Indos pustulis quibusdam sæuissimis (quem morbum

morbum ea gens Puam uocat) grauissimè laboratur, seque id mali genus quàm longissimè pandit, inficitque multa hominum milia. In Allobrogibus, qua se illi Alpibus iungunt, certus terræ tractus est, in quo omnes ferè cuiusuis sexus ætatisque homines gulæ uasto tumore laborant: quod morbi genus Græci βρογχοκήλην dicunt. Elephantem morbum plurimum in Alexandria gigni scribit Galenus: multa hac de re Strabo, Solinus, Plinius. Atque hos quidem morbos, qui regionum uitio proueniunt, Galenus ἐνδήμους uocare solet. *2. ad Glauc.*

Quomodo uerò Epidemici morbi, Pestilentes, Endemi & Σποραδικοὶ uocati inter se differant, à Galeno tum in commentario ad primum de Ratione uictus acut. Hippocratis, & comment. I. in lib. de Natura humana Hippocratis, tum comment. III. in tertium Epidem. eiusdem petendum. *1. de Rat. uic. acut.*

Itaque Popularis huius nostri Arelatensis morbi causa, non solùm in aërem ipsum, sed & in alimentorum prauitatem, insalubremque uiuendi morem iure reijcienda uenit. Rectè enim Galenus Hippocratem erroris arguere uidetur, qui publicè grassantis morbi causam solùm in aërem reiecit, quum non hic tantum, sed ut Galenus adfert, annonæ interdum caritas, putrium ciborum esus, uitiatæ aquæ potus, sæpe populares morbos intulerint. qui enim leguminibus in Aeno uescebantur, articulari morbo præhendebantur: qui uerò putre frumentum coacti esitauerunt, in populares & ipsi morbos inuiti inciderunt. Quamobrem quum & paludes altissimas, stantesque aquas multas locus hic habeat: homines uerò praua uictus ratione, cibisque & natura malis, & nulla arte paratis temerè utantur, præsertim palustribus, tum piscibus, tum auibus, cochleis, & uiscidis omnibus: quid mirum, si à tam potentibus causis tantus sit morbus ortus? Positis enim cuiusque rei effectricibus causis, effectum mox consequi est necesse, ubi sese illæ ad agendum in promptam materiam dederint. Nulla enim causarum (quod Galenus ait) sine patientis aptitudine agere quicquam potest: cùm maxima generationis morborum pars sit, afficiendi corporis præparatio. Itaque cùm & corpora ob humorum tum prauitatem, tum multitudinem, ad excipiendum morbi impetum parata essent: & cœlum ipsum plenum crassæque naturæ, ac tetrum spirans, popularem atque pestilentem innasci morbum fuit necesse. *Comment. in lib. de Natur. humana.* *Lib. de Euchymia.* *1. de differ. febr. cap. 4.*

Atque hæc de causis: Signa uerò tum demonstrantia tum prognostica iam antea in morbi enarratione dicta sunt: quamobrem ad curatiuam iam methodum properandum. Ea autem ijs scopis perfici debet: corpus uti modicè in raritate densitateque se habeat: ne facilè ab ambientis prauitate tentetur, & uti sine excrementis probeque transpirabile corpus efficias. Hæc enim Galeni I. de Febrium differ. uerba sunt. Officium esse medici pestilentes febres præcauentis atque curantis, efficere, uti corpus ἀπέριττον καὶ εὔπνουν fiat: id est excrementis uacans probeque transpirabile. Hippocrates uerò libro de Humana natura suadet, quàm minimum aëris per inspirationem à nobis trahi: eumque uti quàm maximè fieri poterit familiarissimum: corpus imbecillum reddi, hoc est humoribus, sanguine, atque calore minimè turgens, quo minus aëris indigeat. idque κατ' ὀλίγον, inedia plenitatem *Popularis morbi curatio.* *Cap. de pestilenti febre.*

nitatem tolli: locum in quo morbus populariter uagatur linqui. Hac ille methodo popularem morbum non curari solùm sed præcaueri posse contendit. Galenus uerò contrarijs ad aërem affectum qualitatibus occurrendum statuit ut calidiori refrigeratione obsistamus, frigidiori calefactione, humidiori exsiccatione, sicciori humectatione. nam ubi uitiata aëris substãtia, uel ab stagnis, uel paludibus, cœnosis'ue locis corpori noxam intulerit, eam quæ ab Hippocrate prodita est curationem sufficere putat. Verùm si non substantia solùm, sed qualitate etiam sua aër corpori noceat, contrarijs qualitatibus instandum suadet Galenus: calefacta corpora refrigerando, refrigerata calefaciendo, sicq; in reliquis. (*Lib. 2.*) Quam Galeni sententiam doctissimè Paulus confirmauit. Quamobrem haud immerito Hippocratem Galenus non exactè traditæ horum morborum curationis arguere uidetur. (*Reprehensus à Galeno Hippocrates cõment. 2. ad lib. de Natu. hum.*)

Itaq; quum curationis præcipua pars in eo sita esset, ut qui redundabant humores attenuarentur: idq; uacuatione adhibita, (quod omnium optimè sanguinis missio præstat) plerisq; qui ualido essent corporis habitu uenam secari iussi: Alijs tenuem uictus rationem imperaui, quibus scilicet esset crudorum in uenis humorum copia: omnibus, qui modò id per ætatem & uires ferre possent pro humorum in quoq; natura congruens naturæ atq; humoribus pharmacum deiectorium propinaui: Aërem uarijs suffitibus, pro ratione temporum anni, modò frigidioribus uti æstate, modò calidioribus per hyemem, quàm optimum & à sordidis inquinamentis purgatum efficere tentaui: Corpora obstructionibus liberare parco uictu, attenuantibus & aperientibus medicamentis sum annixus. Nonnullaq; excogitaui ex priscorum monumentis desumpta, quæ ad læthalem haustum spiritum probè facerent: hacq; ratione innumeros pestilenti rabie correptos Dei summo beneficio in pristinam ualetudinem restitui. (*Arelatẽsis popularis morbi curatio.*)

Quæ uerò ab antiquis eam in rem ceu probatissima inuẽta sint, quæq; ipse excogitarim, iam pro coronide subijcere commodum est uisum. Hippocrates Actuario teste, libro de Medicamentorum compositione antido[illegible]um excogitauit quo pestilenti morbo Athenis sæuissimè grassanti occurreret, cuius meritò corona ab Atheniensibus est donatus. Valet autem non solùm ad contagium pellendum: uerùm ad plerosq; corporis morbos, capitis dolori, aurium, oris, tussientibus: præterea lienosis, iocinorosis, sanguinem reijciẽtibus, laterum inflammationibus, ischiadicis, melancholicis, & quartana præhensis. Habet autem in hunc modum. (*Hippocratis antidotus.*) Calami odorati, iunci odorati, sabinæ singulorum triens, seminis uiticis, cardamomi, ciperi, crocomagmatis singulorum quincunx, nardi celticæ selibra, aspalati sextunx, nucum cupressi quadrans, rosarum quadrans, ladani libra, myrrhæ libra, thuris libra, baccæ iuniperi paruæ quadraginta, (hæc unà tunduntur priuatim) nardi spicæ selibra, costi triens, folij bes, cassiæ selibra, amomi quadrans, (& hæc seorsim teruntur) mastiches triens, (hoc priuatim item atteritur) styracis dextans, (styrax paulatim adijcitur preciosis bellarijs) terebinthinæ libræ tres, mellis Attici libræ

libræ quinque, uini ueteris quantum sufficiet ad bellaria maceranda, conficiuntur purè & diligenter melle excepta. Hæc Actuarius ex Hippocrate.

Galenus I X. Simplicium medicamentorum, rubricam armeniacam maximè commendauit ueluti excellens uenenis pellendis medicamentum, plerosque enim in magna illa pestilentia illius usu seruatos scribit.

Ἐν δὲ τῷ μεγάλῳ τούτῳ λοιμῷ παραπλησίῳ τὴν ἰδέαν ὄντι τῷ κατὰ Θουκυδίδην γενομένῳ, πάντες οἱ πιόντες τοῦτο τὸ φάρμακον, διὰ ταχέων ἐθεραπεύθησαν, ὅσους δὲ οὐδὲν ὤνησεν, ἀπέθανον πάντες, οὐδ' ὑπὸ ἄλλου τινὸς ὠφελήθησαν, ᾧ καὶ δῆλον ὅτι μόνους τοὺς ἀνιάτους ἔχοντας οὐκ ὠφέλησε. πίνεται δὲ μετ' οἴνου λεπτοῦ τὴν σύστασιν.

Quod est: In magna illa pestilentia, quæ eius, quæ Thucydidis memoria grassabatur speciem referebat, quicunque medicamentum hoc biberunt celeriter curati sunt. Quibus uerò non profuit interiere omnes, scilicet quum nec ullo alio iuuarentur. unde colligitur ijs tantum præsidio non fuisse, qui planè incurabiles essent, bibere autem oportet, ex uino substantia tenui.

Idem etiam lemnium sigillum ualde cōmendat, item antidotum illam centenariam suam. I I. de Antidotis, in Cæsarum gratiam ab eo conscriptam. Andromachi ex uiperis medicamentum: item quod ex rutæ folijs, iuglandibus, & salis grumo conficitur: & quædam item alia quorum esse miram uim ad uenena credibile est, si ex quibus ipsa constant pura, non adulterata, recentia, & uigorem suum seruantia habere possemus. *lib. 2. cap. 35.*

Paulus Ruffi catapotia seu potionem ualdè probat, quæ apud eum constat ex aloës partibus duabus, guttæ ammoniaci duabus, item, myrrhæ parte una ex uino aromatico contrita. Acronem Agrigentinum magnas lignorum odoratorum pyras incendisse ut aëris pestilentis malignitatem emendaret, idem Paulus testatur. Monet idem lib. V, cap. I I. cum cibo edendum piper & allium, uinumque potens præbendum ijs qui ab animante uirus eiaculante sunt puncti. Quòd nos transferre quodammodo possumus ad eos qui noxam ab aëris pestilentis cōtagione timent, præsertim ubi is ad frigidū & humidum inclinauerit. Commendat item eodem capite multa, smyrnium, cinnamomum, Aristolochiam, uiticis semen, lauri baccas, libanotidis radicem. Multa item cap. X X V I I I. eiusdem libri: libro uerò septimo, Antidotum ex sanguinibus conficit, mirè ad uenena efficax. *lib. 2. cap. 34.*

Dioscorides hæc tanquam præcipua laudat, cum amomum, rapam satiuam, erysimon, id est erucam syluestrem, agaricum, aristolochiam, rutam, abrotonum, cestron, id est uetonicam, pentaphyllon, quam nos tormentillam dicimus.

Ego uerò ex horum autorum approbatione id composui antidotum, quod eorum sententia maximè ad uenenum omne ualere crediderim, & ex ijs constat, quæ haberi recentia non adulterata, quæque in nostro orbe proueniant, nobisque & forma & uiribus probè sint cognita. Nam quod Plinius grauissimus autor censet, non placent tam longè petita medicamenta, cùm meliora interdum ijs quæ ab externo orbe petuntur cœnet olitor. *Plin. lib. 22. Natu. histor. cap. 23. et 24. et rursus lib. 24. cap. 1. & lib. 29. cap. 1.*

Itaque

Itaq; medicamentum ad hunc constat modum. Accipe Rubricæ Armeniæ (cuius loco nostratem ex monte propè Arelatam, quæ optima est, coloreq;, uiribus, ac forma Armeniacę probè respondet) unciam, cinnamomi unciæ dimidium, radicum pentaphylli & uetonicæ altilis, id est herbæ tunici, & tormentillæ cuiusq; unciæ dimidiũ, gentianæ drachmas tres, radicis Aristolochiæ utriusque, cuiusq; drachmas duas, radicis iris drachmas duas, corticis citrij mali drachmas tres, radicis helemnij drach. duas, seminum citri, napi, & oxalidis cuiusq; drachmas duas: baccarum iuniperi drachmas duas, chariofilorum Maceros, nucis myristicæ, zeduariæ, zinziberis cuiusq; drachmas duas, libanotidis, saluię, rutæ, uetonicæ, chamæpitis, cuiusq; drachmam. baccarum lauri, croci, mastiches, olibani, ramentorum eboris, margaritarum albarum, omnium santalorum, cuiusq; drachmam: rosarum rubr. florum uiolarum nympheæ, & buglossi, cuiusque unciæ dimidium, teruntur omnia secundum artem, & ex melle electissimo, uino odoratissimo miscentur, uel in puluerem seruantur ad usum: cuius sumitur quantitas drach. duarum uel trium ex uino hyeme, æstate ex aqua rosacea, & sirupo ex citrijs confecto. Hæc, quæ utiliora probauimus ad usus mortalium, cõferre non piguit. Siquidem ut ait ille, Deus est iuuare mortales, quibus iuuandis omnem curam, studium & operam ponere probi omnes uiri uirtutis amantes debent.

*Plinius lib. 2. Natu. histor.*

*Galenum de uoluptatis & doloris causis sibi pugnantia dixisse, cùm* XII. *Methodi, Reditum ad naturalem statum si affatim fiat, dolorem parere, non uoluptatem, conceptis uerbis affirmauerit: Quarto uerò de Symptomatum causis, pluribus locis contrarium omnino dixerit. Et quonam pacto conciliari inuicem contrarij hi loci possint.*

## ENARRATIO II.

DE VOLVPTATE & dolore tractans ex professo Galenus, ac utriusque pathematis causas ex Platonis Hippocratisq; sententia inuestigans, non solùm non consentanea, secumq; ipsa cohærentia, sed omnino pugnantia eadem de re dixisse mihi est uisus. Duodecimo siquidem Methodi medendi, reditum ad naturalem statum ab eo qui præter naturam est, si affatim fiat, dolorem facere apertissimè est testatus. Quarto uerò de Symptomatum causis, cap. VI. eum reditum uoluptatem, non dolorem inferre, pluribus sanè locis confirmauit. Quorum quidem ego locorum controuersa sensa ac series, fide ut autoris amplissima commonstrem, adducenda mihi in medium ipsissima, ut sic dicam, autoris uerba erunt: quibus planum faciam, oblitum quandoq; sui Galenum, (siquidem ut est in prouerbio, Bonus quandoq; dormitat Homerus) in pugnantiæ scopulos incidisse. Eius itaque XII. Metho. hæc uerba sunt de doloris causis tractantis:

Νυνὶ δὲ ἀρχὴν ὁμολογουμένην λαμβάνοντες ὡς ἀναγκαῖον ἤτοι διαίρεσιν εἶναι τὴν διάθεσιν τῆς ὀδύνης, ἢ ἀλλοίωσιν, ἀναμνησθῶμεν αὖθις ὡς οὐδ' ἡ ἀλλοίωσις ἡ κατὰ βραχὺ γινομένη, δυ-

νάτ

ναίτ' ἄν ποτε ὀδυνῆσαι τὸ ζῷον, ἀλλ' ἀναγκαῖον ἀθρόαν τε ἅμα καὶ βιαίαν γίνεσθαι τὴν μεταβολήν, εἰ μέλλει τις ὀδύνη γεννήσεσθαι. φαίνεται γὰρ οὐ μόνον εἰς τὸ παρὰ φύσιν ἀθρόως ἀγόμενα τὰ σώματα λυπηρὰν ἴσχειν τὴν μεταβολήν, ἀλλὰ καὶ τὴν εἰς τὸ κατὰ φύσιν ἐπάνοδον αὐτῶν, εἰ μὴ κατὰ βραχὺ λαμβάνοι, κἂν τούτῳ πονοῦντα. τοὺς γοῦν ὁδοιπορήσαντας ἐν σφοδρῷ κρύει θερμαινομένους ἀθρόως, ἴσμεν ἀλγοῦντας οὕτως ἰσχυρῶς τὰ περὶ τὰς ῥίζας τῶν ὀνύχων, ὡς μὴ δύνασθαι φέρειν.

Quod est: Nunc autem principium hoc confessum sumentes, necesse esse affectum qui dolorem excitet, uel diuisionem esse, uel alterationem.

Illud etiam memoria repetamus, ne alterationem quidem ipsam sensim irrepentem dolorẽ afferre animali posse: sed quę dolore animal afficiet, eam mutationem tum confertim factã, tum uero uiolentam esse debere. Videntur enim corpora non solùm cùm in non naturalem habitum confertim aguntur, tristem mutationem sentire: sed etiam in ipso ad naturalem statum suum reditu (nisi eam paulatim accipiant) cruciari. Scimus enim qui in uehementi frigore iter fecerunt, eos cùm sese non sensim, sed semel calfacere properarent, dolore circa unguium radices adeò uehementi affectos, ut ferre non possent.

Hac serie doloris à Galeno recensentur causæ esse cùm diuisio partium, tum uerò alteratio, hoc est, à naturali statu ad cõtra naturam à qualitatibus facta euersio. Sed cùm non omnis alteratio ad dolorem inferendum idonea sit, (non enim ea, quæ uel exigua est, uel sensim irrepit) quænam ea sit quæ dolorem est illatura, conceptis uerbis explicat. Ea inquam quæ & confertim à naturali statu corpora agit, & uiolenta est: quam quidem tanti esse momenti in inferendo dolore uult esse, ut non solùm quum in non naturalem statum corpora mutantur, dolorem inferat, uerùm etiam in ipso ad naturalem statum reditu (si affatim is, uiolenterq́ fiat) corpora ipsa cruciet: uti exemplo eorum, qui nimium refrigerati præproperè sese excalfacere tentarunt bellissimè docet. Ii enim ad naturalem unde à frigore nimio exciderant statum redire cupientes, igni perfrigerata membra ceu præsentaneum inde remedium petituri admouent, sic sperantes tum adiumentum tum etiam uoluptatem ea se ratione percepturos. At tantum abest ut uoluptate qua se fruituros sperant potiantur, ut pro ea dolorem uehementissimum sentiant: quòd scilicet natura repentinas nullas mutationes citra noxam (ut uult in Arte medicinali Galenus) sustineat. Quamobrem rectissimè illud à uetustissimo autore Hippocrate dictum est.

Τὸ κατὰ πολὺ καὶ ἐξαπίνης κενοῦν, ἢ πληροῦν, ἢ θερμαίνειν, ἢ ψύχειν, ἢ ἄλλως ὁπωσοῦν τὸ σῶμα κινεῖν, σφαλερὸν, καὶ πᾶν τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον. τὸ δὲ κατ' ὀλίγον ἀσφαλὲς καὶ ἄλλως. ἤν τις ἐξ ἑτέρου ἐφ' ἕτερον μεταβαίνῃ. 2.Aphor.51.

Plurimum, inquit, atq; repentè euacuare, uel replere, uel calefacere, uel refrigerare, siue quouis alio modo corpus mouere, periculosum: quoniam immodicum omne est naturæ inimicum: sed quod paulatim fit tutum est, tum aliàs, tum quum ab altero ad alterum transitus fit.

Id summa certè ratione, quòd nimium omne repentinoq́ occursu obueniens, elementorum in nobis commoderationem (in quà una nostra

omnis natura sita est) euertat atque dissipet: quæ quidem euersio citra tristem sensum contingere nullatenus potest. Ab ijs enim quæ nostram naturam euertunt corrumpuntque (inquit Hippocrates) triste fit pathos, quod dolorem uocamus. Constat igitur non solùm cùm in non naturalem statum mutamur, si confertim facta ac uiolenta sit ipsa mutatio: sed etiam cùm ab hoc ipso in naturalem statum regredimur, si itidem affatim uiolenterque id fiat, dolorem in nobis, non uoluptatem creari.

At uerò huius omnino contrarium testatissimis explicatissimisque uerbis quarto de Symptomatum causis non sensisse solùm, sed planè etiam pronuntiasse Galenus est uisus: non tam ex Platonis autoris semper maximi sententia, quàm suamet ipsius. Capite enim sexto eius libri Platonis in Timæo uerba recensens ad hunc modum loquitur.

Ἥδεσθαι δὲ καὶ ἀλγεῖν ἁπάσαις μὲν ἐγγίνεται ταῖς αἰσθήσεσιν, οὐχ ὁμοίως δὲ ἐναργῶς. ἀλλὰ ἐν μὲν τῇ τῆς ὄψεως ἥκιστα, μάλιστα δὲ ἐν τῇ τῆς ἁφῆς τε καὶ τῆς γεύσεως. ἐφεξῆς δὲ τούτων, ἐν ὀσφρήσει. καὶ μετὰ ταύτας, ἐν ἀκοῇ. τίς οὖν ἥτε κοινὴ πάντων αἰτία, καὶ τίς ἡ καθ' ἕκαστον ἰδία; κοινὴ μὲν, ἥνπερ καὶ Πλάτων ἐν Τιμαίῳ φησὶ γράφων οὕτως. τὸ μὲν παρὰ φύσιν, καὶ βιαίως γιγνόμενον ἀθρόως ἐν ἡμῖν πάθος, ἀλγεινόν. τὸ δὲ εἰς φύσιν, ἀπιὸν αὖ πάλιν ἀθρόον, ἡδύ. τὸ δὲ ἠρέμα καὶ κατὰ μικρὸν, ἀναίσθητον. οὕτω μὲν ὁ Πλάτων.

Quod est: Delectatione uerò ac dolore omnes sensus affici possunt, sed dissimili efficacia: quippe uisus parum afficitur, tactio uerò & gustus, maximè: mox ab ijs olfactus, atque hunc sequitur auditus. Sed quæ est communis omnium causa, & quæ singulorum propria? Communis quidem quam Plato in Timæo his uerbis explicat: Pathos præter naturam uiolenter & affatim incidens, dolorem excitat: quum uerò ad naturalem habitum redit, idque rursus affatim, delectationem inducit. At quod sensim paulatimque fit, sensu non percipitur: atque hactenus Plato.

An non hic quæso contrarium eius quod XII. Methodi dixerat affirmauit? dum repentinum ad naturalem habitum regressum uoluptatem non dolorem inferre astruxit? At fortasse arbiter aliquis æquus, commodusque Galeni patronus illius causæ subscribẽs, hæc quæ modo attulimus, non ex sua sed Platonis potius sententia exprompta esse dicet: quòd & adductus ipse Plato in testem hoc loco sit, & ex illius penu eruta quæ de doloris uoluptatisque causis huc adferuntur. Quod etsi uerissimum est, ex Platonis inquàm sententia locutum hoc loco fuisse Galenum, negari tamen minimè posse censeo, non & eum ipsum Galenum, ei Platonis sententiæ subscripsisse. atque in hac asserenda & constituenda omnem suam mentem cogitationemque fixisse. Quod & mox citandi à nobis loci ex hoc ipso capite, non de Platonis iam, sed Galeni potius sententia scripti, testatissimum facient. Hac enim ipsa de re sermonem ex sua ipsius mente attexens Galenus ad hunc modum loquitur:

οὕτω μὲν δὴ πᾶν πάθος λυπηρὸν ἐν ἁπάσαις γίγνεται ταῖς αἰσθήσεσι. τὸ δὲ ἐναντίον αὐτῷ τὸ ἡδὺ, διὰ τὴν ἐναντίαν αἰτίαν. τοῦ γὰρ κινδυνεύοντος διαφθαρῆναι, ἡ εἰς τὸ κατὰ φύσιν ἐπάνοδος ἀθρόα, τὴν ἡδονὴν ἀπεργάζεται.

Hoc est: Atque hoc modo in omnibus sensibus molestum pathos gignitur, Contraria autem illi delectatio ob contrarias causas. Nam si ob

diuel

diuellentia quis periclitetur, si affatim ad naturalem habitum redierit, delectationem reuocabit.

An non hic Galenus regressum ad naturalem habitum confertim factum delectationem creare affirmat? Si, inquit, à diuellentibus quis patiatur, delectationem reuocabit ubi ad naturalem habitum affatim redierit: uoluptatis enim iucundíque sensus rationem omnem in reditu ad naturalem statum confertim facto positam esse uult. Quod enim sensim paulatímque fit, ut remissam habet & languidam motionem qua uehementer afficere posit: sic fermè sensu non percipitur, uti & præcitato pauló antea loco ex eiusdem est à nobis sententia demonstratum. Sed rursus confirmatius locupletioréque testimonio id ipsum ex eodem astruamus. Vbi enim de ijs quæ in sensu tactus uoluptatẽ pariunt ex professo loquitur, ea adferens idonea contraria à quibus uoluptas creari solet, locũ illum citat Hippocratis ex Aphorismorum sectione quinta. Est autem ubi in rigore neruorum sine ulcere iuuene bene carnoso æstate media aquæ frigidæ immersio caloris reuocationem facit: calor uerò hic liberat. Indicat, inquam, quod nam idoneum sit contrarium quo ægritudinis alleuatio fiat, ostendens non frigidam ipsam, sed calorem ab ipsa reuocatum, idoneum rigoris neruorum contrariũ esse, illíque adscribi curationem debere: eósque arguit, qui curationem eiusmodi à frigida, non autem à calore natiuo ab illa reuocato fieri contendebant. Atque eo ipso loco hæc de uoluptatis causis scripsit.

4. de Sympt. cau. cap. 6.

Πάντα πρὸς τὴν φύσιν ἔρχεται διὰ τῶν ἐναντίων. ὥσπερ καὶ ὁ τέτανος διὰ τῆς κατὰ τὴν θερμασίαν ἐπανακλήσεως. εἰ μὲν οὖν ἀθρόως τοῦτο γίγνοιτο, μεθ' ἡδονῆς ἡ θεραπεία συντελεῖται, κατὰ μικρὸν δὲ συμβάντος, ἀναίσθητος ἡ εἰς τὴν φύσιν ἐπάνοδος ἔσται.

Omnis (inquit) affectus præter naturam per contraria ad naturalem habitum reducitur, quemadmodum rigor neruorum per caloris reuocationem. Quòd si cõfertim hoc fiat, non sine uoluptate perficietur curatio: si uerò paulatim sensu haudquaquam percipietur ad naturalem habitum regressus.

Voluptatem igitur Galenus ex regressu in naturalem statum confertim facto, tanquam à sua ipsius effectrice causa oriri hisce uerbis apertissimè confirmauit: id nimirum testatus, rigoris neruorum curationem, tum quidem cum uoluptate perfici, si confertim natiuus calor morbificam causam discutiat: quod frigidæ immersione fieri testatissimum relinquitur. Si uerò sensim non affatim id fiat, nulla sanè percipietur uoluptas. Et rursus eodem ipso capite:

Καὶ διὰ τοῦτο τῆς κατ' ὀλίγον ἀθροιζομένης ἐν τῷ σώματι διαθέσεως οὐ κατὰ φύσιν ἀναισθήτου παντάπασιν οὔσης, ἡ εἰς τὴν φύσιν ἐπάνοδος ἐπειδὰν ἀθρόως ἐπιτελῆται, μετ' αἰσθήσεώς τε ἅμα καὶ ἡδεῖα γίγνεται.

Hoc est: Et quibus sensim in corpore increscit non secundum naturam affectus, licet ille sensum effugiat, quum tamen ad naturalem redit habitum, idque affatim, sensum uoluptatemque parit.

Eadem Galenus hoc loco, quæ superioribus de uoluptatis generatione & causis adfert. Quin & pauló pòst de uoluptate ea quæ ex genitalis

ſeminis excretione oritur, dum per concubitum ſemine confertim eiecto, uoluptas mira percipitur loquens, tantam eſſe uoluptatem tradit, quanta fuerit ipſius regreſſus ad naturalem ſtatum celeritas. quòd ſcilicet ſemen affatim excernatur eoq; uoluptatem maximam inferat:

ἡ δ' ἀπόκρισις ἡ τοῦ λυποῦντος ἀθρόως γιγνομένη, ὅσον τάχει εἰς τὴν κατὰ φύσιν ἐπανόδου, καὶ τὸ τῆς ἡδονῆς μέγεθος ἀνάλογον ἔχει.

Quia, inquit, affatim excernitur pro reditus ad naturalem ſtatum celeritate, uoluptatis quoq; magnitudinem ad proportionem habebit.

Conſtare igitur ex his cuiq; uel mediocriter in Galeni lectione uerſato exiſtimo, quænam de uoluptatis & doloris cauſis eius autoris fuerit ſententia, Dolorem tum ſcilicet fieri, cùm cauſa quæpiam uiolenter affatimq; incidens moleſtum pathos intulerit: uoluptatem uerò, tum quum ab ipſo non ſecundum naturam ſtatu, in eum qui ſecundum naturam eſt regreſsio fit: non languida quidem illa atq; remiſſa, (ut quæ uix ſenſu percipiatur, neq; inſignem aliquem ſui ſenſum exhibeat: ut paulò antè de eiuſdem Galeni mente demonſtrauimus) ſed planè intenta & ualida, tum etiam affatim facta. Ea enim eſt quæ uehementi ſuo motu animal afficit. quumq; per illam ad naturalem ſtatum, unde à cauſa ui irrumpente deciderat, reditus fiat, neceſſum quidem eſt uoluptatem percipi. Quamobrem in rigoris neruorum curatione tum quidem uoluptatem ſentiri meritò dixit, cùm caloris reuocatio (quæ morbificam cauſam ceu contrarium idoneum deſtruit) affatim facta fuerit. Fit autem huiuſmodi, cùm in frigidam derepente æger immergitur: qua quidem in frigidam demerſione, confertim intrò reuocari natiuum calorem ceu à contrario adactum neceſſarium quidem eſt: quòd ex Ariſtotelis ſententia ea ſit contrariorum natura, ut ſeſe mutuò expellant, nec unà ineſſe eodem in ſubiecto poſsint. Itaque foras occurrente frigiditate, intrò colligi calorem conſequens eſt: à qua quidem caloris intrò facta reuocatione, diſcuti morbificam cauſam oportet: ex qua quidem ſic repentè confertimq; ſublata, blandum quendam atq; iucundum ſenſum percipi eſt neceſſe, quem uoluptatem tum medici tum philoſophi omnes uocare ſolent. Eſt enim Voluptas iucundus quidam naturæ ſenſus illi planè conueniens: uti Dolor triſtis quidem & iniucundus. Itaq; illud neceſſariò uel ex ipſa rerum natura conſequi uidetur, ut cùm præſens aliqua in corpore ſubſit morbifica cauſa, magna ui atq; impetu illius temperiem aut unitatem euertere potens, ea dolorem pariat. Siquidem uel Galeni teſtimonio dolores quancunq; obſederint partem, uel intemperaturam in ea, uel ſolutam unitatem demonſtrant: uti cùm ea ipſa quæ dolorem intulit cauſa, per idonea contraria aufertur, uoluptatem percipi eſt neceſſe: hoc eſt, blandum quendam ac iucundum ſenſum quo in naturalem ſtatum reuocatio fiat. Quæ quidem ſine hoc ipſo naturæ maximè amico ſenſu fieri nunquam poteſt.

*Cap. de contrarijs.*

*In Arte medicin. li.*

Quò autem plenius luculentiusq; tractari propoſita res poſsit, pugnantesq; Galeni loci quoad eius fieri maximè poterit conciliari, omnis mihi & doloris & uoluptatis natura, cauſæ, generationis etiam illorum modus ex Platonis præſertim & Galeni ſententia ad amuſsim explicanda erunt

erunt. sine quorum animaduersione neq; satis commodè quaesitum tractari, neq; Galenus à pugnantia uindicari ullo modo potest.

Primùm igitur doloris & uoluptatis naturam suis notionibus, hoc est definitionibus explicatam trademus: Dein utriusq; causas: Postremò generationis amborum in nobis rationem modumq́; proferemus. Quibus explicatis rebus, plana erit atq; perspicua, quae antea erat controuersa atq; ambigua doloris uoluptatisq́; generatio.

A Platone igitur Philosophorum summo initium sumentes, dicamus Voluptatem actionis illius nomen esse, quae ad ὄνησιν, id est utilitatē emolumentumq́; tendit: Dolorem uerò, à διαλύσεως, id est dissolutione corporis dictum uideri. Ea enim de re tota sic in Cratylo de recta nominum ratione Plato differit. HERMOG. Quid ἡδονὴ, λύπη, ἐπιθυμία, uoluptas scilicet, dolor, cupiditas, Socrates, & huius generis reliqua? SOCR. Haud nimis obscura mihi uidentur Hermogenes. ἡδονὴ, id est uoluptas, siquidem actionis illius nomen est, quae ad ὄνησιν, id est utilitatem, emolumentumq́; tendit: δ, uerò adiectum facit, ut pro eo quod est ἡονὴ, ἡδονὴ proferatur. λύπη id est dolor, à διαλύσεως, id est dissolutione corporis trahi uidetur. Nam in huiusmodi passione corpus dissoluitur.

*Plato.*

Rectissimè certè Plato ex ipsa uocum ratione rerum naturas explicauit: in id enim rebus nomina apposita sunt (ut idem eodem loco tradit) ut per ea ceu instrumenta quaedam congruentissima, rerum substantias doceamur: unde est illud etiam Aristotelis, Voces esse earum quae sunt in anima passionum notas, quibus sensa mentis rerumq́; naturas aptè explicamus. Voluptatem itaq;, hoc est Graecè ἡδονὴν, ab utilitate emolumentoq́; dictam rectè à Platone pronuntiatum est: quòd qui ea potitur, maximo bono, utilitate, ac fructu perquam cōmodo frui se sentiat: est enim blandus quidam ac iucundus sensus, naturae nostrae maximè congruens. Dolor uerò, λύπη nuncupatus ob id meritò est, quòd illius interuentu dissolui corpus & eneruari planè contingat. Vnde est illud Galeni, Ex maximè uirtutem prosternentibus dolor est. Hactenus de nominum ratione Plato.

*In Perihermenijs.*

*Commen. 31. primi praedictionum. & 12. Meth.*

De rerum uerò ipsarum, uoluptatis inquā & doloris natura, ad hunc modum cùm in Philebo, tum in Timaeo tractauit. Horum enim pathematum essentiam in eo potissimùm positam esse idem in Philebo statuit, ut ex eorum genere sint quae naturam suam omnem in fieri & transmutari, non in eo quod statū est atq; permanens habeant. Sunt enim huius generis multa quae fixum nihil atq; permanens habent, uti motus, tempus, pathos: quod bellissimè à Galeno libro de Sympt. differ. ad principium dictum est. Quo quidem in genere ex Platonis sententia & uoluptatem quoq; reponit, & in uniuersum motum omnem quicunq; procedit ab altero in alterū. Vnde in Philebo sic ea de re à Platone differitur. SOCR. Quid uerò hoc? quod audiuimus uoluptatis quidem generationem semper, essentiam uerò nunquam existere? Elegantes enim quidam uiri hoc ferunt, eisq́; gratia est habenda.

*1. de Sympt. differ. cap. 1.*

Ex his sanè constat, Voluptatis generationem semper quidem esse,

Eſſentiam uerò nunquam. Voluptas enim præceps quidam motus eſt, uti in Timæo idem autor doctiſsimè probat: motus autem omnis in generatione, non in habitu eſſentiam ſuam habet: itaq; & uoluptatis natura in generatione, hoc eſt motu, non in habitu erit. Sic etiam & Dolor: eſt enim ex eorum pathematum genere, quæ in actione & motu eſſentiam ſuam habent, nempe actionis tangendi noxa, quod Galenus libro de Symptomatum differ. cap. III. abundè monſtrauit: Actionis (inquit) tangendi noxa dolor eſt. Omnem uerò utriuſq; pathematis naturam, in Philebo Plato his uerbis ſcitiſsimè expreſsit. Poſteaquam enim de quatuor ſummis illis generibus, quæ rebus quidē omnibus inſunt, Termino, Infinito, Mixto, & Cauſa diſſeruiſſet, oſtendere uolens quo in genere tum uoluptas, tum dolor reponenda eſſent, ſic cum Protarcho diſſerit. SOCR. Nunc igitur, ò amice, in quo genere ſit mens, quam'ue habeat uim, ſatis propemodum monſtratū eſt. PROTAR. Omnino. SOCR. Quinetiam uoluptatis genus iampridem patuit. PROT. Nimirum. SOCR. Reminiſcamur iam & horum circa utraq; quod mens quidem cauſæ cognata eiuſdem'q; cum illa generis fermè erat: uoluptas autem infinita, eiuſq; generis, quod nec principium, nec medium, neq; finem, in ſeipſo ſuapte natura continet, aut aliquando continebit. PROT. Quid ni reminiſcamur? SOCR. Oportet itaq; poſthac in quo horum utrunq; conſiſtit, & propter quam paſsionem fit, quoties fit, aduertere: utq; uoluptatis primò genus ipſum inueſtigauimus, ſic & iſta circa illam primò nunc inquiremus. Seorſum tamen à dolore uoluptatem ſufficienter examinare non poſſumus. PROT. Si hàc gradiendum eſt, hàc utiq; gradiamur. SOCR. Num igitur idem tibi quod mihi de horum generatione uidetur? PROT. Quid iſtud? SOCR. Communi eodem'q; in genere ſecundum naturam dolor & uoluptas eſſe uidentur. PROT. Hoc commune genus Amice Socrates oſtende obſecro quidnam ex his quæ ſuprà diſtincta ſunt intelligi uelis. SOCR. Pro uiribus ò mirifice uir id agam: PROT. Bene inquis. SOCR. Commune igitur intelligamus, quod ex quatuor tertium numerauimus. PROT. An quod poſt infinitum finitum'q; locaſti, in quo ſanitatem & harmoniam, ut arbitror, collocaſti? SOCR. Rectè dicis: ſed nunc maximè mentem adhibe. PROT. Dic igitur. SOCR. Harmonia ſoluta in animantibus, unà naturæ ſolutionem generationem'q; dolorum eo in tempore fieri dico. PROT. Conſentaneum. SOCR. Rurſus harmonia contemperata & in ſui naturam protinus reſtituta uoluptatem fieri dicendum eſt: ſi modò res maximæ uerbis paucis concludendæ ſunt. PROT. Reor equidem te rectè, ò Socrates, dicere: clarius tamen exprimere eadem adnitendum. SOCR. An non uulgaria & notiſsima, cognitu facilia ſunt? PROT. Quænam iſta? SOCR. Fames quidem ſolutio eſt atq; moleſtia. PROT. Eſt. SOCR. Comeſtio uerò, repletio atq; uoluptas. PROT. Ita. SOCR. Sitis iterum corruptio, ſolutio'q;, & dolor. Vis autem humore quod arefactum eſt reficiens, uoluptas eſt. Diſcretio inſuper & diſſolutio præter naturam æſtu quodam effecta moleſtia. At ſecundum naturam reſtitutio refrigeratio'q;

ratioq; uoluptas. PROT. Prorsus. SOCR. Concretio quoq; humoris præter animalis naturam frigore facta, dolor: contrà humido liquescente & in suam redeunte naturam, reditus iste uoluptas. ac summatim considera, num toleranda tibi hæc oratio uideatur. Quòties corrumpitur animata species, ex infinito & termino, secundum naturam ut diximus genita, eiusmodi corruptio dolor est. Cùm uerò hæc in essentiam suam refluunt, regressum hunc dicimus uoluptatem. PROT. Esto: uidetur enim hoc mihi admodum uerisimile. SOCR. Hanc unam itaque uoluptatis & doloris speciem in ijs passionibus utrisque ponamus. PROT. Ponatur.

Eodem autem in libro post multam eius rei disputationem sic rursus Socrates de uoluptatis & doloris causis differit. SOCR. Dictum est sæpenumero, quòd quorumlibet natura concretionibus uel discretionibus, repletionibus uel euacuationibus, incrementis uel decrementis corrupta, dolores, molestiæ, cruciatus, cæteraq; id genus exoriuntur. PROT. Sæpe iam dictum.

Et rursus paulò infrà, Mutationes quidem magnæ (Socrates inquit) uoluptates doloresq; afferunt: mediocres autem & exiguæ, minimè.

Hæc de uoluptatis dolorisq; natura in Philebo Plato: in Timæo uerò breuibus omnem eorum pathematum uim atq; naturam his uerbis expressit. Quod præterea, inquit, ad uoluptatem attinet & dolorem, ita consideretur. Passio uiolenter præterq; naturam abundè, simulq; nobis illata, molesta fit. Rursus quæ in naturam abundè simulq; reuertitur, dulcis: quæ contrà fit, contrà. Passio uerò magna cum facilitate illata, sentitur quidem maximè, uoluptatis autem & doloris minimè particeps. Et rursus, Corpora, inquit, ex partibus grandioribus constituta, & uix agenti cedentia, quando motiones illatas in totum corpus traijciunt, uoluptates doloresq; continent: quando uidelicet è suo statu mouentur, dolores: quando redeunt, uoluptates.

*Platonis locorum de uoluptate et dolore explicatio.*

Ex hac uniuersa quum in Philebo, tum in Timæo Platonis serie, non solùm quæ sit tum uoluptatis, tum doloris natura: uerùm etiam & quæ amborum causa, & quis generationis eorum modus, euidentissimè constat. Doloris enim eam uult esse naturam, ut sit à naturali statu molesta quædam & uiolenter confertimq; facta secessio: Voluptatis uerò, ut sit regressus quidam in eum, unde deciderat corpus, naturalem statum: si modò refluxus is atq; reuersio abundè simulq; fiat. ita ut ad doloris uoluptatisq; naturam essentiamq; constituendam, id præcipuum esse uelit, ut abundè simulq; (hoc est confertim & uiolenter) pathos ipsum inferatur, quod uerba illa in utriusq; pathematis explicatione posita [simul & abundè] exactissimè monstrant. Passio, inquit, uiolenter præterq; naturam abundè simulq; illata molesta fit, hoc est doloris particeps. Rursus quæ in naturam abundè simulq; reuertitur dulcis. Quod quidem paulò post explicatius tractans, idq; confirmans, Passio, inquit, magna cum facilitate illata sentitur quidem maximè, uoluptatis autem & doloris minimè particeps. Quam quidem sententiam Galenus ex hoc, ut arbitror, lo-

eo ijsdem penè uerbis. VII. de Hippocratis & Platonis decretis expresit. Vt itaque uoluptatis aut doloris essentia constet, affatim, hoc est simul & abundè sensum fieri oportet. Si enim, ut idem ait, magna cum facilitate, hoc est sensim & languidè, motio fiat: sentitur quidem illa, uerùm doloris uoluptatisue minimè particeps erit: quòd scilicet abundè simulque non fiat, sed sensim potius & remissè. Discessionem igitur ab eo qui secundum naturam statu confertim factam, dolorem: regressum uerò in eum ipsum itidem affatim factum uoluptatem esse iure dicemus. Quod & Galenum ipsum, magistrum suum Platonem sequutum uoluisse, ex capite sexto libri de Symptomatum causis suprà locupletissimè ostendimus. Abundè autem simulque fieri oportere, id quod uel dolorem uel uoluptatem est illaturum, uel ipso sensuum iudicio ac experientia duce cognoscimus: in ijs utique pathematis, quæ nobis à Platone in exemplum proposita sunt, fame, siti, æstu, ac refrigeratione, & id genus reliquis: quò enim maior fuerit membrorum inanitio, quò grauior & diuturnior, eo urgentior consequetur fames: quò siccitas & humoris inopia, uel caloris copia amplior, (ab his enim ambobus sitim fieri pulchrè Galenus asseuerauit) eò sitim nasci ampliorem uidemus. Sic in æstu, refrigeratione, labore, cæterisque molestis sensionibus fieri cernimus, ut tantò grauiora molestioraque à nobis percipiantur, quantò maiore ui fuerint illata. Sic rursus, quum ab his pathematis in naturalem statum opportunis præsidijs regredimur, uoluptatem tum maximè sentimus, cùm præsidiorum in id idoneorum ope confertim immutamur. Famescentes enim auidè cibum sumentes, magna expleri uoluptate, iucundoque sensu cernimus: sic & immodicè sitientes, cùm se largo potu affatim impleuerint: æstu affectos, quum refrigerarint: perfrigeratos, quum concaluerint: labore delassatos, quum se quieti dederint: nimiùm uigilantes, quum altum dormierint, iucunda perfrui uoluptate experimur. Quorum quidem præsidiorum nullum uoluptatem affert, nisi cõfertim abundeque suggeratur. Quam enim, quæso, fame enectis uoluptatem affert exiguus cibus languidè ac tardè oblatus? quam exiguus potus guttatimque instillatus ualde sitientibus? quam grauiter æstuanti, lenis ac modica perfrigeratio? ut à qua nullatenus leuatos se sentiant? Et ut in summa dicam, & multum & confertim oblatum esse omnino oportet, quod uoluptatem est pariturum: uti quique in nobis, dum hisce pathematis urgemur, experimento discimus. Sit itaque constans illud ex Platonis atque Galeni sensis enatum, Voluptatis atque doloris in eo maximè positam naturam esse, ut & abundè & simul hoc est affatim fiant, sintque ex eorum genere quæ in motu & generatione: non in habitu essentiam suam habeant. Vnde illud rectissimè in Philebo dictum est, Voluptatis quidem generationem: essentiam, nunquam existere.

*1. de Simpl. facult. primo.*

Hæc de uoluptatis dolorisque natura dicta in præsens sufficiant. De causis uerò & generationis eorum modo, quod dicturos nos secundo loco recepimus, facillimum est ex ante adductis ex Platone locis istæc colligere. Doloris enim causam præcipuam Plato in Philebo naturæ nostræ corruptionem, & immutationem uehementem ab ijs quæ harmoniam, ut ille

ut ille uocat, seu symmetriam nostrā euertere potenter possunt, esse uult. Harmonia (inquit) soluta in animantibus unà naturæ solutionem generationemq; dolorum fieri dico. Et rursus, dictum est sæpenumero, quod quorumlibet natura concretionibus uel discretionibus, repletionibus uel euacuationibus, incremētis uel decrementis corrupta dolores, molestiæ, cruciatus, cæteraq; id genus exoriuntur. Et item mutationes (inquit) magnæ, uoluptates doloresq; afferunt: mediocres autem & exiguæ minimè. Quæcunq; igitur calore uel frigiditate immodicis temperaturam euertere nostram, quęcunq; item secare, diuidere, cogere, inanire, replere, & alioqui extra naturalem statum confertim deducere corpora nostra possunt, ea omnia dolorum illatiuas effectricesq; esse causas censendum. Vnde est illud Hippocratis, Ab his quæ naturam nostram corrumpunt ac mutant dolores excitantur. Hac quidem uocula [corrumpunt] ut Galenus I I I. de Symptomatum causis interpretatur cap. V I. & celeritatem & uehementiam transmutationis indicans. id scilicet nobis ut testatissimum faciat, (quod & nos suprà diximus) abundè & simul fieri oportere quod dolorem sit illaturum. Nisi enim celeritate ac uehementia rei corrumpentis sese efferat impetus, dolorē sanè minimè excitabit. Quamobrem & illud à Platone in Timæo rectissimè dictum arbitrandum est, Passionem magna cum facilitate illatam sentiri quidem maximè: uerùm dolorem non inferre. Voluptatis uerò eæ causæ omnino censendæ erunt, quæ dolorum illatiuis causis ex diametro opponentur. Quæcunq; enim corpora nostra è natiuo suo statu lapsa, in sui naturam protinus restituere possunt, uoluptatem ea pariunt, hoc est, blandum ac iucundum quendam sensum, qui magna nos delectatione afficiat, ac suauitate deliniat. Harmonia, inquit in Philebo Plato, contemperata & in sui naturā protinus restituta, uoluptatem fieri dicendum. Vnde & quæ calefacta corpora nostra refrigerare, refrigerata calefacere, humore madentia exsiccare, siccata madefacere, quæ dissoluta cogere, inanita replere, & omnino in suam ipsorum naturam protinus restituere corpora possunt, ea uoluptatem parere existimandum.

Horum uerò pathematum amborum causas, uoluptatis inquam & doloris, si quis in uniuersum percensere uelit, Galenum libro de Symptomatum causis I I I I. tum & X I I. & X I I I. Methodi, & libro de Inæquali intemperatura, & libro de Elementis secundum Hippocratem, & I I. de Ratione uictus in morbis acutis, commentario primo, & V I I. de Hippocratis & Platonis decretis, & cōmento primo in primum de Vulga. morb. adeat: in ijs enim locis omnibus symptomatum horum exactissimè à Galeno causæ ex Platonis & Hippocratis mente traduntur: ad quæ quidem loca lectorem ablegare (ne transsumptione & citatione locorum in profusam nimium seriem se proferat oratio) commodius uisum est.

Generationis autem horum ratio quum à Platone citatis locis, tum à Galeno libro V I I. de Hippocratis & Platonis decretis, & libro primo de Elementis, & X I I. Methodi, & commento primo secundi de Ratione

uictus

uictus in morbis acutis, & libro de Sympto. cau. IIII. cap. eodem, & libro de Tremore bellissimè explicatur, idq́ in hanc ferè sententiam: Est autem locus II. de Ratione uictus in morbis acutis commento primo:

περὶ οὖν ὀδύνης γενέσεως εἴρηται μὲν μοι κἀν τοῖς περὶ τῶν καθ' Ἱπποκράτην στοιχείων. εἴρηται δὲ κἀν ταῖς τῶν συμπτωμάτων αἰτίαις, ὡς ἐν τοῖς αἰσθητικοῖς σώμασιν ἡ ὀδύνη γίγνεται, μεταβολὴν ἀθρόαν εἰς τὸ παρὰ φύσιν λαμβάνουσι, καὶ ὡς ἔστιν ἡ μεταβολὴ διττὴ, ποτὲ μὲν ἀλλοιουμένων αὐτῶν ἀθρόως τε καὶ βιαίως κατὰ ποιότητα, ποτὲ δὲ συνεχείας λυομένης. ἀλλοιοῦται μὲν οὖν ἀθρόως κατὰ τὰς δραστικὰς ποιότητας, θερμαινόμενα καὶ ψυχόμενα, καὶ ξηραινόμενα καὶ ὑγραινόμενα. διαφθείρεται δ' αὐτῶν ἡ συνέχεια, τεμνομένων σφοδρῶς, ἢ θλιβομένων.

De doloris generatione (inquit) diximus & in libris de Elementis secundum Hippocratẽ, & in eo qui de Symptomatum causis, quòd dolor in sensilibus fiat corporibus, cùm ea ipsa in id quod præter naturam est, subitò simulq́ transmutantur: præterea & quonam pacto transmutatio ea bifariam fiat: corporibus huiusmodi aliàs tum subitò simulq́, tum uiolenter secundum qualitatem alterascentibus: aliàs unitatis dissolutione. Alterantur autem subitò simulq́ ab efficientibus qualitatibus, cùm & calefiunt & refrigerantur, & siccantur, & humectantur. Vnitas uerò dissoluitur, corrumpiturq́, ubi corpora illa uel distenduntur, uel comprimuntur.

Atque eadem XII. Methodi, & citatis iam paulò antea ex Galeno locis recensentur. unde generationis dolorum ratio, atq́ ex opposito uoluptatis (siquidem, ut uult Aristoteles, contrariorum eadem est disciplina) desumi magna facilitate potest. Gignitur enim dolor, ubi uel qualitates effectrices subitò ac uiolenter sensu prædita corpora alteratione quam pariunt immutauerint, uel diuisione, compresſione, & omnino unitatis solutione quæ isthæc efficere posſunt, eadem ipsa affatim & uiolenter affecerint. uoluptatem uerò tum maximè fieri, quum quæ in naturalem statum reuocare ac restituere corpora posſunt, id affatim confertimq́ effecerint. quod quidem idonei contrarij ope fieri libro de Symptomatum causis IIII. cap. VI. Galenus affirmauit,

πάντα πρὸς τὸ κατὰ φύσιν ἔρχεται διὰ τῶν ἐναντίων.

Omnis, inquit, præter naturam affectus ad naturalem habitum per contraria reducitur. Itaq́ si labore fatigatum fuerit corpus, quies uoluptatem pariet: si calefactum, refrigeratio: si refrigeratum, calefactio: si inanitum, impletio: si plenitate affectum, uacuatio: ad quem sanè modum & reliqua omnia in naturalem habitum corpora deducentia, sunt reuocanda.

Expleuimus bona fide quæ explicanda præmittendaq́ ad Galenum ab erroris pugnantiæq́ labe uindicandũ censuimus. Enarratis utiq́ uoluptatis ac doloris natura, causis ac generationis modo ex Hippocratis, Platonis, atq́ ipsiusmet Galeni decretis: is nunc nobis erit (quantum quidem ingenij nostri uiribus eniti contendereq́ poterimus) à calumniæ iniuria uindicandus: qui, ut initio diximus, eadem de re pugnantia dixisse sit uisus, XII, scilicet Methodi, statuens reditum in naturalem statum, si confertim fiat, dolorem, non uoluptatem creare; contrà, quàm in IIII. de

Sympt

Symptomatum cau. & libro de Tremore, ac plerisq; alijs locis astruxit. Atq; horum quidem pugnantium reuera locorum conciliandi ratio non aliundè mihi, quàm ex ipso Platone, summo & dicendi & philosophandi magistro (à quo omnia mutuasse de doloris ac uoluptatis natura ac causis Galenus est uisus) petenda uidetur: qui unus omnium exactissimè causam in Philebo reddidit, cur sæpenumero in ipso ad naturalem habitum reditu (quanquam is perpetuò uoluptatem pariat, si affatim abundéq; fiat) dolor sit intermistus, atq; ita confusus, ut planè discernere nequeas maiorem'ne reuocatio huiusmodi molestiam, an uoluptatem adferat. Quod quidem ipsum in ualde perfrigeratis, qui se præproperè igni admouent, tum in prurigine affectis, dum scalptu & frictione quod molestum est discutere tentant, perspicere sanè possumus. In his enim ita se dolor uoluptati, atq; hæc illi immiscet, ut utriusq; sensum simul, doloris, inquam, & uoluptatis, ita affecti percipiant. Sed iam Platonem ea de re doctissimè differentem audiamus. Græca ob longitudinem apponere uisum non est. SOC. Aggrediamur iterum athletarum more hanc disputationem. PRO. Aggrediamur. SOC. In superioribus diximus, siquidem meminimus, cupiditates (quæ sic uocãtur) quantisper seorsim nobis inesset, tunc corpus paßionibus, absq; animæ paßione occupari. PRO. Recordamur, dictáq; hæc proculdubio sunt. SOC. Non'ne cupiebat anima contrarium corporis habitum? Receptaculum autem doloris & uoluptatis, quæ paßione fit, erat corpus? PRO. Erat. SOC. Collige quod ex his sequitur. PRO. Dic. SOC. Quoties ista concurrunt, congrediuntur quoq; uoluptates atque dolores, eorúmq; sensus, quæ contraria sunt: quod profectò nunc patuit. PRO. Apparet.

*Plato in Philebo.*

Et rursus eodem in dialogo de hisce pathematis loquens, quæ uoluptatem dolori intermistam habent, ita ad uerbum differit.

SOC. An non aliquas (de uoluptatibus scilicet sermonem instituens) è multis elicere decet & uestigare, qua ratione maximè uocari debeant? PRO. Necesse est. SOC. Aduerte itaq; talium morborum uoluptates qua ratione se habeant. PRO. Qualium? SOC. Deformium uoluptates, quas illi quos indignantes uocauimus, penitus horrent. PRO. Quales inquam? SOC. Velut in scabiei medela quæ fricando fit, cæterísq; huiusmodi, haud alio pharmaco indigentibus. hoc enim malum (prò dij immortales) uoluptatem'ne, an dolorem potius nuncupabimus? PRO. Malum quiddam ò Socrates mixtum hoc esse uidetur. SOC. Haud equidem uel Philebi gratia, hoc exemplum produxissem: sed nisi hæ uoluptates, & quæ hasce sequuntur, inspiciantur, nunquam fermè quod quæsitum nunc est, dijudicare ualemus. Ergo ad istarũ cognatas pergendum est? PRO. Num eas inquis, quæ immixtione communicant? SOC. Has ipsas. Sunt igitur mixtiones corporis quidem ipsius in corporibus, animæ in anima. Et dolores animæ & corporis uoluptatibus mixtos reperiemus, eámq; utrorunq; commixtionem interdum uoluptatem, interdum uerò dolorem cognominatam. PRO. Quonam pacto? SOC. Vt ecce, Cùm quis in restitutione uel corruptione simul contraria patitur, algens

algens sæpe calescit, & calens aliquando refrigescit, quærens, ut arbitror, id assequi, illud obijcere, ac quod dicitur, amaro dulce permixtũ, & cum difficultate reiectionis adsistens molestiam, mox ferum congressum facit. PRO. Est maximè uerum quod dicis. SOC. Non'ne harum mixtionum quædam ex æquali utrinqꝫ & uoluptate & dolore, quædam ex alterutro excedente conflantur? PRO. Nihil prohibet. SOC. Dic igitur ex earum numero quæ doloris plus quàm delectationis continent, eas esse quæ sequuntur, scabiem & titillationes, quando quod intus est, feruet atqꝫ gliscit, neqꝫ huc perfricando aut exagitando quis attingit, sed quod circa cutem est solum diffundit: tum sanè illa in ignem ferentes, & nunc huc, nunc illuc, consilij inopia reuoluti, inæstimabiles sæpenumero uoluptates pariunt: aliquando contrà interioribus ad exteriorum molestias uoluptatibus mixtis, in utram partem declinatio fiat exhibent, ex eo quod commixta per uiolentiam diffundant, uel dispersa confundant, simulqꝫ uoluptatibus dolores admoueant. PRO. Vera narras. Hac quidem tota serie Plato id bellissimè docet, immixtam sæpenumero uoluptatem dolori esse, doloremqꝫ uoluptati: causamqꝫ cur id fiat reddit: in causa scilicet id esse statuens, quòd cùm corpus molesto quopiam ac tristi pathemate affectum urgeatur, passione tunc ipsum ac dolore occupari est necesse: cui sanè Pathemati anima mederi cupiens, contrarium corporis habitum concupiscit, ut si inanitione affectum sit corpus, proindeqꝫ doleat, impleri cupit: si plenitate, inaniri: si calefactum, refrigerari: si refrigeratum, calefieri maximè cupiat. Atqꝫ hoc quidem necessariò sequitur, ut quoties ista concurrunt, affectus nimirum corporis & animæ, uel contrarij corporis habitus, congrediantur simul uoluptas & dolor, eodemqꝫ momento contrarij in corpore sensus percipiantur. Etenim cùm contrariorum ea sit natura, ut sese mutuò abigant, nec eodem in subiecto (ut Philosophi loquuntur) esse possint: fit, ut contrarium unum alteri oppositum atque obiectum, illud tollat atqꝫ funditus corrumpat: quod cùm sine pugna fieri nullo planè pacto posit (obfirmatur enim contrarium à contrario exagitatum, & quasi suis uiribus nixum contra nititur, sese quoad fieri maximè potest seruare cupiens) necessum est utriusque contrarij eodem in tempore percipi sensum, unius uidelicet molestiam inferentis, alterius item molestiam depellentis, ut in exemplo à Galeno proposito XII. Methodi, perfrigerati corporis properè ad ignem accedentis: in eo enim accessu, cùm & frigoris dolorem inferentis, & caloris frigus conceptum depellentis sensus percipiantur: fit, ut inter hæc ingens exoriatur pugna, dum calor ignis intrò admissum frigus ui sua pellere satagit: frigiditate contrà nitente, & quasi à contrario obiecto (quod Græci ἀντιπερίστασιν uocant) fortiore effecta, & ualidius insurgente. Vt enim, quæ caliditas in calce latet, non nisi affusa frigida aqua sese exerit, atque ostentat: sic in perfrigeratis, uis se tum maior frigoris exhibet, cùm properè ad ignem accesserint. Quæ causa est, ut tum dolor sentiatur ingens, ex contrariorum scilicet pugna enatus: qui quidem tum sedabitur, quum à calore uis frigoris fuerit deiecta, prorsusqꝫ superata. Itaque (ut tandem pugnan

*Loci Platonis explicatio.*

pugnantes Galeni locos explicemus, explicandoq́ conciliemus) dicimus uerum perpetuò esse, ex reditu in naturalem statum, si affatim id fiat, uoluptatem creari, uti IIII. de Sympto. caus. & libro de Tremore, ab eodem Galeno demonstratum. Cùm uerò XII. Methodi reditum eum ad naturalem statum confertim factum dolorem creare asseuerauit, ita interpretandum arbitror, ut existimarit, non per se quidem reditum illum dolorem creare (qui quidem semper, ut antea ex Platone & ipsomet Galeno docuimus, uoluptatem parit) uerum per accidens, quòd uidelicet in eo reditu acerba contrariorum sese inuicem exagitantium & pellere satagentium pugna contingat, à qua dolorē consequi sit necesse: ac utriusq́ contrarij percipi sensum, ut algescens calescat, calescens frigoris uim sentiat, ut præcedenti ex Philebo serie Plato nos docuit: uti etiam in lepra prurigineq́ affectis accidit, qui dum scalptu frictioneq́ mederi sibi student, & doloris & uoluptatis sensu simul afficiuntur: uoluptatis, dum eo affrictu quod molestum est fundunt atq́ discutiunt: doloris, dum molestum id acreq́ attrectantes magis exasperant, & ad inferendum dolorem promouent. Atq́ hac quidem ratione & bellè Galeni mens explicari, & ipse ab erroris contradictionisq́ nota uindicari plenissimè potest. *Conciliatio pugnantiũ locorum Galeni de uolupta te & dolore.*

*Conciliatio diuersorum locorum Galeni de Erysipelate, quum I. & II. de Morborum diff. & cau. tum XIII. Methodi & XIIII. item libro de Tumo. præter naturam, à bili fieri dicat: II. uerò ad Glauc. à sanguine tenui bili admixto: & quòd natiua bilis sit sanguis tenuis ex Galeni sententia.*

ENARRATIO III.



QVOD de Erysipelatis natura uarijs in locis à Galeno scriptum est (qui modò à flaua bile, modò à tenui sanguine huic ipsi bili admixtò prouenire affirmauit) quanquam controuersum esse uideatur, haud magno tamen negotio explicari eius rei difficultas, uel à mediocriter in Galeni lectione uersato poterit. Quod ut commodius à nobis perfici posit, loca ea ex Galeno afferemus, in quibus flauæ bilis sobolem Erysipelas esse dictum est. Primo itaq́ de Morborum differ. libro, cap. penul. de ijs tumoribus sermonem instituens, qui ab influxu humorũ in unam quampiam partem incumbentium fit, ita disserit:

Σύνθετα γὰρ ἐστὶ τὰ τοιαῦτα πάντα νοσήματα, κἂν χωρὶς ἕλκους γίγνηται, καθ' ἕνα μὲν τρόπον, ὅτι πάντα περιττῆς ὑγρότητος, ἤτοι θερμῆς, ἢ ψυχρᾶς ἐστὶν ἔγγονα, χολῆς μὲν ξανθῆς ἐρυσίπελας.

Compositi (inquit) sunt huiusmodi morbi uel nullo comitante ulcere: Principiò quod omnes ex abundante nascuntur humore, uel calido, uel frigido: à flaua enim bile Erysipelas.

Quem quidem locum uertens è Græco Copus Basiliensis (ut interim id ne uidear uel dissimulasse, uel conniuentibus oculis præterijsse) duo illa uerba ἤτοι θερμῆς, ἢ ψυχρᾶς, à Galeno scripta omisit: desunt enim in uersione sua, quam ad libros περὶ νοσημάτων καὶ συμπτωμάτων appinxit. Sed id quic- *Copi erratũ.*

quid est lapsus, modicus enim is est, codicis potius quàm interpretis culpa accidisse arbitrandum est. A bile itaque flaua Erysipelas nasci hoc loco uerissimè affirmauit Galenus. id ipsum sanè confirmans & XIII. & XIIII. Methodi, & millies in mille locis, quoties illi de Erysipelate est instituendus sermo. Verùm II. Therap. ad Glauconem, Erysipelatos ex professo curationem naturamque accuratissimè tractans, ita de ea disseruit:

Εἰ δ' ἐξ αἵματος καὶ ξανθῆς χολῆς θερμοτέρων τοῦ δέοντος μικτὸν εἴη τὸ ῥεῦμα, ἢ ἐξ αἵματος μὲν, ζέοντος δὲ καὶ λεπτοτάτου τὴν σύστασιν, ἐρυσίπελας τὸ πάθος καλεῖται.

Quod est: Si uerò ex sanguine & flaua bile calidioribus quàm oporteat mixta fluxio fuerit: uel ex sanguine quidem, sed efferuescente & tenuissimo secundum substantiam, Erysipelas passio uocatur.

Duplici ratione Erysipelas fieri Galenus hoc loco statuit: uel cùm ex sanguine & flaua bile calidioribus quàm naturæ ex usu sit, mixta fluxio in unam quampiam partem incubuerit: uel cùm sanguis quidem secundum substantiam tenuissimus, qualitate uerò feruentissimus, tumorem præter naturam excitarit. Erysipelas enim alterutra fluxione in locum quempiam incumbente orietur. Siue enim sanguis bili confusus, atque expultricis facultatis actione in partem aliquam protrusus, fluxionem excitarit: siue sanguis ipse solus, uerùm consistentia tenuissimus, qualitate uerò feruentissimus (qualis arterialis esse solet) tumorem fecerit, Erysipelas erit, quodcunque huiusmodi fluxione in partem procubuerit: ita ut exquisitum Erysipelas non solùm à bile fieri, uerùm mixtam esse fluxionem asseuerare ex Galeni hoc loco sententia iure possimus. Quid igitur sibi uoluisse Galenum dicemus, qui affectum huiusmodi à bile, uti Phlegmonem à sanguine, œdema à pituita, cancrum ab atra bile nasci affirmauit? Equidem si mixta fluxio est, quomodo à bile erit? est enim bilis simplex quidam ac impermistus humor: esse autem mixtam quandam fluxionem Erysipelas, uerba illa apertissimè indicant,

Εἰ δ' ἐξ αἵματος καὶ ξανθῆς χολῆς θερμοτέρων τοῦ δέοντος μικτὸν εἴη τὸ ῥεῦμα, ἐρυσίπελας τὸ πάθος καλεῖται.

Hoc est: Si uerò ex sanguine & bile calidioribus quàm oportet mixta fluxio fuerit, Erysipelas huiusmodi passio uocatur.

Mistam igitur ex bile sanguinéque calidioribus quàm par est fluxionem uult esse Erysipelas. Quod si ita fuerit, quonam pacto à bile, simplici scilicet humore, nascatur (uti citatis antea locis affirmauit) est inquirendum. Cuius sanè inquisitionis caput id esse mihi præcipuum uidetur, ut intelligamus, quid bilis nomine (à qua Erysipelas prouenire dixit Galenus) accipiendum sit: id enim si exactè intellexerimus, omnis confestim difficultas tolletur. Bilem itaque medici & Græci & Latini, Pœníque pariter omnes, humorem esse quendam confitentur, substantia quidem tenuem, qualitate uerò atque potentia calidum siccumque, ex eo quod in alimentis assum ac ueluti ustum est genitum, & ad uarios naturæ usus accommodatum, ubi naturam suam modumque exactè seruauerit. Hanc uerò cùm simpliciter sine adiecto pronuntiamus, pallidam illam & flauam uocatam significare uel de Hippocratis sententia solemus. Vnde Galenus comm

Idem habetur: cōmen. 5.

commentario III. in librum sextum de Popularibus morbis Hippocratis, Multoties suprà dictum est, inquit, cùm simpliciter Hippocrates bilem dicit, pallidam & flauam uocatam bilem significare: quoniam plus quàm alia bilis genera colore suo inficiat. Hæc autem uel Galeni & omnium testimonio, duplex esse depræhenditur. Naturalis enim alia, alia præter naturam. Naturalis (inquit II. de Facul. natur. Galenus) quod in nutrimẽto assum ac ueluti ustum calidissimumq́ue ac dulcissimũ est, id flaua bilis est, nempe tenue quid humidũ & fluidum, non quale cùm ad ultimum est exustum flauum, igneum, & crassum uitellis ouorum simile: hoc nanque præter naturam iam est, alterum uerò secundum naturam. *in eũdem lib. & 3. de Alimen. fac. cap. de melle. & lib. de Tumo. præter natu. cap. 10. & cõment. ad lib. de Nat. hum. et 10. de Simpli. fa. cap. de felle.*

Ab immodico autem calore gigni humorem hunc, idem ipse Galenus eodem ipso de Naturalibus facult. lib. secundo testis locupletissimus est: sicuti & ipsam quoque bilem unà cum sanguine in iocinore & uenis gigni: quod quidem tum proximè citato libro, tum eo qui de Atra bile scriptus est à Galeno, bellissimè dictum est. Bilis uerò differentias omnes persequi, eius præsertim quæ præter naturam esse censetur, superuacaneum in præsens esse arbitror: de quibus abundè Galenus tum in principio libri de Atra bile, tum in comment. primo ad primum Porrhetici disseruit. Quin & illud quoque memorandum, bilem ipsam spumam sanguinis esse. Succos enim corporis Galenus IIII. de Vsu partium, uino nuper ex uuis expresso comparans, bilim flori in uinis tenuibus supernatanti similem facit: uti melancholicum succum, fæci in uino subsidenti, conceptisq́ue uerbis sanguinis ueluti spumam bilem esse explicauit. Eius enim eo loco uerba hæc sunt.

Ἄμεινον δ' ἂν εἴη εἰς εἰκόνα ἐνεργείας, μὴ ξηροῖς σιτίοις, ἀλλ' ὑγρῷ χυμῷ, προπεπεμμένῳ μὲν ἤδη καὶ προκατειργασμένῳ, δεομένῳ δὲ τελειοτέρας πέψεως, ὁμοιῶσαι τὸν ἐκ τῆς κοιλίας διὰ τῶν φλεβῶν, εἰς τὸ ἧπαρ ἀναφερόμενον χυλόν. ἔστω δή τις οἶνος, ἄρτι μὲν τῶν βοτρύων ἐκτεθλιμμένος, ἐγκεχυμένος δ' ἐν πιθάκναις, ὑπὸ δὲ τῆς ἐμφύτου θερμότητος ἔτι κατεργαζόμενός τε καὶ διακρινόμενος καὶ πεττόμενος, καὶ ζέων, καὶ αὐτῶν τῶν περιττωμάτων, τὸ μὲν βαρὺ καὶ γεῶδες, ὅπερ οἶμαι τρύγα καλοῦσιν ἐν τοῖς πυθμέσι τῶν ἀγγείων ὑφιστάσθω. τὸ δ' ἕτερον, τὸ κοῦφόν τε καὶ ἀερῶδες ἐποχείσθω (καλεῖται δ' ἄνθος τοῦτο) καὶ πλεῖστον ὑφίσταται τοῖς λεπτοῖς οἴνοις, ὥσπερ τοῖς παχυτέροις, θάτερον ὑφίσταται πάμπολυ. κατὰ δὴ τὴν τοῦ παραδείγματος εἰκόνα, νόει μοι τὸν ἐκ τῆς κοιλίας εἰς τὸ ἧπαρ ἀναδοθέντα χυλόν, ὑπὸ τῆς ἐν τῷ σπλάγχνῳ θερμασίας ὥσπερ τὸν οἶνον τὸν γλεύκινον, ζέοντά τε καὶ πεττόμενον καὶ ἀλλοιούμενον εἰς αἵματος χρηστοῦ γένεσιν. ἐν δὲ τῇ ζέσει ταύτῃ, τὸ μὲν ὑφιστάμενον αὐτῷ τῶν περιττωμάτων, ὅσον ἰλυῶδές τε καὶ παχύ, τὸ δ' ἐπιπολάζον, ὃ δὴ λεπτόν τε καὶ κοῦφον, οἷον ἀφρός τις ἐποχεῖται τῷ αἵματι.

Quod est: Melius autem utique esset ad similitudinem actionis & conuenientem euidentiam, non siccis cibarijs sed humido liquori præcocto quidem iam & prius elaborato: indigenti autem adhuc perfectiori concoctione, assimilare chylum qui ex uentre, ad hepar per uenas transfertur. Sit itaque aliquod uinum nuper ex uuis expressum, infusum autem in dolia, & quod ab innata caliditate adhuc elaboretur, & secernatur, & segregetur, & concoquatur, & ferueat: & eius excrementorum quod quidem est graue & terrestre (quod ut puto uocant fæcem) in fundo uaso-

rum subsideat. Alterum uerò quod est leue & aëreum, supernatet (hoc autem flos uocatur) & plurimum supereminet subtilibus uinis, sicut crassioribus: alterum subsidet plurimum. Porrò secundum exempli similitudinem, intellige mihi distributum à uentre ad hepar χυλὸν, hoc est succum, à uisceris caliditate, uelut uinum ipsum musteum, feruere, concoqui, alterari ad sanguinis utilis & benigni generationem: ebullitione autem ista, hanc quidem eius superfluitatē subsidere, quantacunque est lutosa & crassa: hanc autem quæ est subtilis & lenis, ueluti spumam quandam supernatare sanguini.

Constat igitur naturalem uocatam bilim flori in uinis tenuibus proportione quadam & similitudine respondere, esseque aëream quandam & leuem ueluti spumam sanguini supernatantem: quod quidem ipsum in sanguine qui secta uena à biliosioribus corporibus manat, cernere est: tenuem enim quandam aqueamque in eo substantiā colore quidem flauam, substantia uerò subtilem & leuem supernatare uidemus, quam quidem bilem esse atque dici uult Galenus. huius multa portio unà cum sanguine in uasa permeat, ad membra biliosa enutrienda sanguinemque attenuandum. Reliquum uerò ad uesicam ceu superfluum & noxium futurum si à sanguine non secerneretur transfertur. Vnde Galenus citato proximè loco, his (inquit) id est, tenui crassæque in sanguine superfluitati rationabilia organa præparari, caua quidem ut suscipiant facilè: oblonga autem colla, uelut stomachos quosdam, ex utraque parte concauitatis habentia: alterum quidem eorum, ad attrahēdum superfluitatem, reliquum autem eorum ad emittendum idoneum: sed & positionem familiarem oportuit esse reptioni & lationi superfluitatis: & ipsas stomachorum ad hepar implantationes positionibus proportionaliter. propterea igitur & apparent hæc sic ordinata & ornata. Nam κύστιν, hoc est uesicam, quæ leuem & flauam superfluitatem recipit, natura apposuit hepati. Hunc uerò locum uniuersum ita ferè ad uerbum transtulit Auicennas Galeni interpres, hac quidem in parte explicanda minimè reijciendus: (utar autem ipsissimis interpretis Auicennæ uerbis, ne sententiam inuertisse mutatione purioris sermonis uidear) Cholera, inquit, rubea alia est naturalis, alia superfluitas non naturalis. Naturalis est spuma sanguinis, cuius color est rubeus clarus, & est leuis acuta, & quantò magis fuerit calida, erit eius rubedo maior: quæ cùm in corpore generatur, in duas diuiditur partes, quarum una cum sanguine uadit, & altera ad cystim transmittitur fellis. Illud uerò quod de ea uadit cum sanguine cum ea penetrat causa necessitatis & iuuamenti. Necessitas uerò est, ut sanguini admisceatur ad nutrienda membra in quorum cōplexionibus magnam choleræ rubeæ partem esse oportet secūdum modum quem meretur de diuisione, sicut pulmo. Sed iuuamentum est ut sanguinem subtiliet, & in itineribus ipsum penetrare faciat. Quod uerò de ea colatum ad cystim transmittitur fellis, causa necessitatis transmittitur & utilitatis. Necessitas autem aut est secundum totum corpus, quod est ipsum à superfluitate mundare: aut secundum unum ipsius membrum, quod est fel nutrire. Vtilitatis uerò duo sunt iuuamenta:

*Fen 1. primi doc. 4. cap. 1.*

ta: unum est intestina à stercore & phlegmate uiscoso abluere, & aliud intestina & animusculos pungere, ut quod fit ei necessariũ sentiat & egestiones emittat. Hæc Auicenna latinè loquens: quem quidem ego sua lingua loquentem minimè puto sic de bilis colore sensisse, ut rubeam illam pronuntiarit. castigandumq́ hunc locum censeo, quandoquidem rei naturæ repugnat: non enim bilis ipsa colore rubeo uisa est unquam, sed flaua magis. itaq; pro rubeus clarus, uertendum opinor fuit, flauus ac pellucidus: is enim est bilis, quæ secundum naturam est, color: quanquam quæ sanguini mixta est, & cum eo in reliquum corpus ad biliosa nutrienda membra mittitur, ea quidem colore rubea est ob sanguinis cum ea commistionem: de qua (si rectè à Gerardo Cremonensi ex Punico sermone citati nunc loci series uersa est) intellexisse Auicennam arbitrandum est. In quam item sententiam pedibus ire uidetur Guido Cauliacensis, qui capite de Erysipelate, bilem naturalem, subtilem esse sanguinem uult. Ex bili, inquit, quatuor apostematum genera nascuntur: primo ex cholera laudabili (ut ipsissima autoris uerba referam) quam subtilem sanguinem uocant. unum fit apostema quod certum & exquisitum Erysipelas dicitur. Citatq́ eum Galeni locum, qui 11. Artis curatiuæ ad Glauconē de Erysipelate scriptus est: quo Erysipelas à sanguine bileq́ simul mixtis calidioribusq́ quàm par est fieri affirmauit. Quem quidem nos locum initio huius Enarrationis adduximus. Itaque quum Erysipelas à bili fieri dixit pluribus in locis Galenus, ei non repugnat quod 11. ad Glauconem & libro de Tumoribus præter naturam cap. x. de Erysipelate dictum est: à sanguine scilicet & flaua bile calidioribus quàm oporteat & unà commixtis, uel à sanguine quidem efferuescente, sed secundum substantiam tenuissimo ipsum gigni: idem enim utrobiq; affirmauit. nempe a bili Erysipelas fieri. Bilim nanque, quæ secundum naturam, Galenus nihil aliud esse eo loco censet, quàm sanguinem illum tenuissimum calidissimumq́, & efferuescentem, qui ubi in unam quampiam partem ui naturæ procubuerit Erysipelas faciat. Non enim à bili sola & à sanguine iam secreta fit Erysipelas, sed magis Herpes, ut eodem ipso libro bellè docet Galenus. Fit enim Herpes à bili ea quæ à sanguine separata, nec iam amplius illi commixta in membra delabitur: quæ pro sui tenuitate uel crassitie uaria creat Herpetum genera: exedentem scilicet, cùm ea abundè crassa secundum substantiam fuerit, ualdeq́ erodens: mitiorem, cùm minus acris minusq́ calida fuerit. Erysipelas uero tum creat, quum una cum sanguine confusa, calidiorq́ quàm par est reddita, in partem quampiam transfertur. Is enim sanguis qui & substantia tenuissimus est, & caliditate feruentissimus, bilis à Galeno esse censetur, ac propterea dixit exquisitum Erysipelas à sanguine & bile calidioribus quàm oporteat, uel à sanguine quidem tenuissimo & feruentissimo fieri hunc ipsum sanguinem, naturalem esse bilem existimans, uti & Arabs Auicennas, & Cauliacensis Guido ex hoc ut arbitror loco existimauerunt. Atq; hæc propositæ explicandæ difficultati sat fuerint.

*Castigatur Auicēnæ, seu eius interpretis locus.*

*Conciliatio pugnantium Galeni locorum de Erysipelate.*

miliarem.

*An in Erysipelate ab initio refrigerantibus & astringentibus, ut Arabs Auicennas: an potius ut Galenus, Paulus, atq; Rasius uoluere, refrigerantibus & humectantibus sine astrictione utendum.*

## ENARRATIO IIII.



RYSIPELATOS curationem ex professo tractans Auicenna Fen tertia quarti, cap. V. ab initio refrigerandum esse cum his quæ uehementer adstringunt conceptis uerbis ad hunc modum affirmauit: Et oportet (inquit) ut sit infrigidatio eius in principio fortis stypticitatis, ad hoc ut forsitan augmẽtetur eius stypticitas super ipsius frigus. Et: paulò pòst Et si fuerit Erysipelas super cutem, curetur ex scoria plumbi cum uino pontico. Et iterum: Curetur (ait) cum eo in quo est resolutio & exiccatio fortis cum infrigidatione: & illud est sic, sumatur lanæ ueteris adustæ, non lotæ pondus drachmarum XII. carbonis è cortice pini, tantundem, ceræ drachmæ uiginti, scortæ plumbi drachmæ XI. seui caprini ueteris cum aqua abluti drachmæ XV. olei myrtini uncias quinque. Ex hac uerborum serie euidentissimè constat, refrigerantibus & adstringentibus uehementemq; stypticitatem habẽtibus, in Erysipelatos curatione Auicennam usum: quod & perscripta ab eo in id morbi medicamenta testantur: sunt enim ex eorum genere omnia quæ quum refrigerandi uim habeant, certè adstringendi non minimam habẽt: qualis est scoriæ plumbi cum uino styptico compositio: & quod sequitur medicamen ex lana ueteri, molybdena, quam ille plumbi scoriam uocat, caprino seuo, & oleo myrtino: hæc enim uehemẽter adstringendi stypticitate sua uim habent, uti ex Dioscoridis & Galeni monumentis perspici perquàm facilè potest. Galenus uerò II. ad Glauc. oppositum omnino sentit. Herpetum enim curationem tradens, eamq; curationi Erysipelatos conferens, adstringentibus uehementer cum refrigeratione curandos esse Herpetes affirmat, contrà quàm Erysipelati conueniat. Eius porrò eo loco hæc sunt uerba.

τοὺς δ' ἕρπητας, τὰ μὲν περὶ τὴν τοῦ σώματος ὅλου κένωσιν ὁμοίως τοῖς ἐρυσιπέλασιν, ἰᾶσθαι προσήκει. τὰ δὲ περὶ τὸ αὐτοῦ τοῦ πεπονθότος μέρους, οὐκ ἔθ' ὁμοίως. ἅπαντες γὰρ οἱ ἀναβιβρωσκόμενοι, ψύχεσθαι μὲν ἐθέλουσιν, ὡσαύτως τοῖς ἄλλοις ἕρπησί τε καὶ ἐρυσιπέλασιν. οὐ μὴν ὅσα γε σὺν τῷ ψύχειν καὶ ὑγραίνειν φάρμακα πέφυκε, ταῦτα γ' ἔτι φέρουσιν, ἀλλὰ μόνον τῶν ψυχόντων προσίενται, τὰ ξηραίνειν μάλιστα δυνάμενα. μὴ τοίνυν μήτε θριδακίνην αὐτοῖς, μήτε πολύγονον, μήτε τὸν ἀπὸ τῶν τελμάτων φακὸν, ἢ τὸν ἕλειον λωτὸν, ἢ ἀνθύλλιον, ἢ ψύλλιον, ἢ ἀνδράχνην, ἢ σέριν, ἢ ἀείζωον, ἢ τι τῶν οὕτως ὑγραίνειν τε καὶ ψύχειν δυναμένων προσφέρειν, ἃ τοῖς ἐρυσιπέλασιν ἦν οἰκεῖα.

Quod est: Herpetes autem quantum ad totius corporis euacuationem attinet, perinde ut erysipelata, curare oportet. Quantum uerò ad ipsius affectæ particulæ locum, non omnino similis cura adhibẽda. omnes enim exedentes refrigerari quidem desiderant. non tamen ea ferũt medicamenta, quæ præter id quod refrigerant, etiam humectare natura apta sunt, sed sola admittunt refrigerantia, quæ etiam maximè possunt exiccare. Non igitur uel lactucam, uel polygonium, neq; ex stagnis lentem, aut palustrem

ſtrem lotum, uel anthyllion, uel pſyllion, uel portulacam, uel ſerim, uel ſemperuiuum, uel tale aliquid quod refrigerare poſsit atque humectare apponendum: quæ Eryſipelatibus erant oportuna.

Ex quibus quidem uerbis manifeſtiſsimum fit, Eryſipelatibus refrigerantia & humectantia: non adſtringentia, ut Auicenna uolebat, eſſe admouenda. Inquiente nimirum Galeno, nullum refrigerantium & humectantium quæ Eryſipelatibus conueniunt Herpetibus conuenire: ac proinde nec lactucam, nec ſerim, nec portulacam, aut ſemperuiuum, aut denique memoratorum aliquod medicamentorum herpetibus admouendum, quum eſſent tamen ea Eryſipelatibus ualde oportuna, utpote abundè refrigerantia atque humectãtia. Quod Auicennæ ſententiæ aduerſatur. Quin & Paulus Galeni fidus interpres, explicatius eius ſententiam libro IIII. his uerbis confirmat: *Cap.21.*

χρῄζει δὲ τὰ ἐρυσιπέλατα κατ᾽ ἀρχὰς ὡς ἔφην τῶν ψυχόντων μεθ᾽ ὑγρότητος ἄνευ στύψεως, οἷον ὅ ἐστιν ἀείζωον, καὶ ἀνδράχνη, καὶ ψύλλιον.

Id eſt: Indigent autem initio Eryſipelata, ut dixi, refrigerantia atque humectantia abſque adſtrictione: qualia ſunt ſemperuiuum, portulaca, pſyllion, & cætera.

Quid ijs uerbis explicatius ad Galeni adſtruendam aſſertionem dici poſsit, planè non uideo. Refrigerantibus enim & humectãtibus abſque adſtrictione utendum eſſe in curandis ab initio Eryſipelatibus, Paulus hoc loco docet, ea ipſa adferens medicamẽta quæ à Galeno in id morbi II. ad Glauconem præcitato loco adducta erant. Quamobrem teſtatiſsimum relinquitur, Galenum ac Paulum Auicennæ aduerſarios hac in re, uti in plerisque alijs eſſe. Galeno uerò & Paulo Raſius inter Pœnos ſummo ſemper in honore habitus aſſentitur, qui libro diuiſionũ capite de apoſtematibus calidis ad hunc modum loquitur: In ſanguineo apoſtemate, inquit, cum illis quæ refrigerant & ſtypticitatem pariunt, procedendum, qualia ſunt ſandali, roſæ, ſief memithe, camphora, aqua roſarum, acetum: in cholerico, cum eis in quibus eſt refrigeratio, & humectatio, ſicut pſyllium concaſſatum cum citrullorum aqua, & raſura cucurbitæ, citrulli, & portulaca contrita, & ſimilia ex herbis frigidis. An non hic apertiſsimè Pœnus autor in Galeni & Pauli, Græcorum ſententiam deſcendit conceptis uerbis? refrigerantibus & humectantibus, ut illi: non refrigerantibus & adſtringentibus, ut Auicenna, utendum in Eryſipelate docens? Quod quidem ipſum magna certè ratione aſtruxiſſe uidentur ab ipſa nimirum morbi natura curationis ſcopum indicationemque præcipuam ſumentes. Nam quum ſit Eryſipelas, tumor quidam præter naturam à feruentiſsimo humore eodemque ſicco proueniens, nempe à tenuiſsimo & feruidiſsimo ſanguine cui bilis flaua ſit admixta, uti præcedente enarratione à nobis ex Galeno II. ad Glauc. monſtratum eſt: omnis autem morbus per contraria tolli debeat, uti concors eſt omnium medicorum ſententia: conſequens eſt, morbum hunc calidum & ſiccum, refrigerantibus & humectantibus, non exiccantibus eſſe curandum, contrà quàm Auicenna exiſtimarit, fœdiſsimè certè in hoc lapſus, qui adſtringentia & *Cap.126.* *Auicennæ lapſus.*

ualde styptica admoueri consulit: malè certè in hoc ægris consulens, qui dum ijs præsidijs utuntur, in magnam incidunt noxam: crassiore utiq; ab stypticis reddito humore, impactiorę́q; quàm ut facilè discuti postea à digerentibus possit, unde sæpe liuores in membro atq; nigrores contingunt, magnum sanè in Erysipelatibus malum. Galeni igitur ac Pauli Rasisq; hac parte potius, quàm Auicennæ (si ægris rectè consultum uelimus) sensa sequamur: qui pro morbi natura congrua admouere medicamenta, morbo quidem contraria, sua qualitate opposita, & ægrum nequicquam lædentia, methodo norunt. Non solùm autem in medicamentorum localium delectu, uerùm etiam in ijs præsidijs, quæ ad totius corporis euacuationem pertinent, errasse Auicennam in Erysipelatos curatione, ex his quæ ab eo in capite ad id dicato scripta sunt Fen III. quarti cap. V. euidentissimum relinquitur: de mittendo enim sanguine in Erysipelate uerba faciens, ita scribit: Et phlebotomia quidem non multum confert, nisi quando materia est inter duas cutes. Si autem profunda fuerit, tunc eius iuuamentum minoratur, & fortasse attrahit. Hactenus ille. Vnde illud constat, tum sanguinis missionem in Erysipelate minimè conferre, quum profundus fuerit qui Erysipelas facit humor: tum uerò usui esse, quum illius materia (ut ipsius uerbis utar) fuerit inter duas cutes. Quod quàm sit à ueritate alienum, cuiq; uel mediocriter in re medica uersato per se testatissimum esse puto. Quid enim alienius dici quicquam potest, quàm quum fuerit Erysipelatos materia profunda, tum sanguinis missionem minimè conferre? cum si quando aliàs in Erysipelate, tum certè maximè congruat? Crasso nimirum existente humore, & magis in carne impacto, quod quum fit & impurum esse Erysipelas & phlegmonosum abundè constat, quo sanè in genere Erysipelatos optimam esse sanguinis missionem omnes testantur: ubi scilicet sanguis bili confusus & superantior fuerit & crassior, unde in carne impactum magis ob humoris crassiciem nascatur Erysipelas. Vnde Galenus, inflammationibus (inquit) quæ cum Erysipelate coniunctæ sunt, & Erysipelati cum inflãmatione mixta quantum fieri potest curatio est adhibenda: semperq; illi quod magis superat resistendum. Itaq; si sanguis in mixtione superarit (quod sanè fit cùm crassus fuerit humor & in carne impactus) tum illi occurrendum pro Galeni eo loco sententia, idq; missione sanguinis, necessariò oportet. quòd superante sanguine nullum sit sanguinis missione præsentius auxilium, si cætera ad uacuationem necessaria non repugnent. Falsus itaque est Auicenna, sanguinis tum missionem fieri in Erysipelate prohibens, quum profunda fuerit Erysipelatos materia: quòd non admodum (ut ille putat) tum conferat: quum tamen, uti statim probauimus, nullibi conferentior sit atq; utilior. Quin & in eo falsus itidem inuenitur, quòd tum conferre sanguinis missionem dixerit, quum Erysipelatos materia inter duas fuerit cutes: id enim quum fit, indicio est, tenuem quidem esse qui Erysipelas facit humorem, atq; adeo exquisitum esse Erysipelas: quod autore Galeno II. ad Glauc. tanquam cutis solius passio est. Exquisitum inquit Erysipelas, tanquam cutis solius passio est. Vbi uerò exquisitum fuerit Erysip

[Margin: 2. ad Glauc. cap. 7.]
[Margin: Cap. 5.]

Eryſipelas, (quod ſanè erit, ubi materia inter duas cutes tenuitate ſua, ut Auicennæ uerbis utar, contenta fuerit) tum ſanè non mittendum eſſe ſanguinem, ſed magis purgandam bilim, Galenus doctiſsimè affirmauit. Non tamen ex uena in talibus ſanguis mittendus eſt, (de exquiſiti Eryſipelatis curatione loquens ait) ſed uentrem tantummodo expurgare ſufficit: dandum autem medicamen quod bilem flauam educat. Non itaq; mittendus ſanguis, ubi tenuis fuerit humor, & quaſi ſolam cutem occupans: ſed magis bilim educente medicamento mouenda aluus, quod ex tali purgatione & morbifica à corpore uacuetur cauſa, & à loco fluxione tentato quàm longiſsimè reuellatur qui influit humor. Quæ quidem medendi ratio his qui à fluxione naſcuntur morbis appoſitiſsima & conferentiſsima à Galeno millies in mille locis habita eſt.

*2. ad Glauc. cap. 7. ad finē.*

*In Arte medicinali. & 2. ad Glauc. & 13. & 14. Method.*

*Dioſcoridem in Meliloto pingenda diminutum fuiſſe.*

ENARRATIO V.

DIOSCORIDES egregius plantarum hiſtoriæ enarrator: eoq; in genere etiam ab ipſo Galeno princeps habitus (ut cui nimirum tantam in herbarum deſcriptionibus fidem, quantam nemini alteri adhibendam cenſeat) in meliloto pingenda, hoc eſt, ea quam ſertulam campanam Plinius & Celſus Latini ſermonis principes, Cato ſertam campanicam uocauit, non ſatis exactus aut potius in ea deſcribenda diminutus fuiſſe uidetur. De ea enim lib. III. cap. XLIII. ſcribens, ad hunc modum diſſerit.

*6. de Simpl. fac. cap. 1.*

Μελίλωτος κράτιστος ὁ ἀττικὸς καὶ ὁ ἐν κυζίκῳ, καὶ ὁ ἐν καλχηδόνι γενόμενος. κροκίζων καὶ εὐώδης. φύεται δὲ καὶ ἐν καμπανίᾳ περὶ νώλαν. μηλίζων, καὶ ἄτονος ἐπὶ τὴν εὐωδίαν.

Quod eſt: Melilotus probatiſsima attica, & quæ in Cyzico & Chalcedone naſcitur, croci colore & odorata. Naſcitur in Campania circa Nolam, colore luteo, & infirmo odore.

Hæc de Meliloto quantum ad illius plātæ natalem locum delectumq; pertinet Dioſcoridis aſſertio: quæ ſi cum aliarum plantarum ab eodem deſcriptarum hiſtoria conferatur, manca ſanè ac ieiuna iure dici poterit: ut in qua nimirum nec foliorum figura, ſubſtantia, qualitas, ſapor: nec radicis aut ſeminis natura ullatenus explicetur. quod in omnibus fermè reliquis plantarum deſcriptionibus facere ipſe ſolet. Niſi forte una tantum ratione uindicari ab oſcitantiæ crimine poſsit, quòd in ijs deſcribendis quæ paſsim ubique naſcerentur, quæq; uulgo eſſent nota, minorem adhibendam diligentiam cenſuerit. Plinius tamen diligentiſsimus atq; exactiſsimus rerum naturæ indagator, prætermittendum id etiam in uulgari illa herba meliloto non putauit. quin eius folia ac flores quales nam ſint egregiè depinxit, libro uidelicet naturalis hiſtoriæ XXI. cap. IX. in hæc uerba: Ergo in coronamenta folio uenere melothron, ſpireon, trigonon, cneoron, quod caſiam Higinus uocat. Et quod Cunilaginem, quæ conyza, melizophylon, quod apiaſtrum, meliloton quod ſertul

*Dioſcorides ab oſcitantiæ crimine uindicatur.*

*Lib. 21. Nat. histo. cap. 9. & 11.*

ſertulam campanam uocant. Eſt enim in Campania Italiæ laudatiſsima, à Græcis in Sunio, mox Chalcidica & Cretica, ubicunq; uerò aſperis & ſyluestribus nata. Coronas ex hoc antiquitus factitatas indicio eſt nomen ſertulæ quod occupauit. Odor eius croco uicinus eſt & flos, ipſa cana. Placet maximè folijs breuiſsimis atq; pinguiſsimis. Hæc capite I X. capite uerò X I. eiuſdem libri. Melilotos, ait, ubiq; naſcitur, laudatiſsima tamen in Attica. Vbicunq; uerò recens, nec candicans, & croco quàm ſimillima: quanquam in Italia odoratior & candida. Hactenus Plinius. Habere autem meliloton trifolij folia quanquam pinguiora, ipſum nomen lotos indicat, ut non immeritò quidam trifolij ſpeciem ipſum eſſe opinentur, & ſi reuera ab eo differt, quòd trifolium inodorum eſt, melilotos odorata: illud uirentia folia & tenuia, hæc candida & pinguia: ut meliloton trifolium non eſſe abundè ex his conſtet. Serapio eam longè aliter atq; Plinius depinxiſſe uidetur, qui cap. X V I I I. ſui de Simplicibus libri, folia ipſam habere uiridia, rotunda, atq; rara, ramulos tenues ſcripſit, fructumq; uaginis quibuſdam incluſum in quibus ſemina pauca cerulei coloris ſeu glauci, ut ille uocat, rotunda, exigua contineantur: atque eo ipſo loco Dioſcoridem citans, duo ipſius genera ex eiuſdem Dioſcoridis ſententia contra ueri fidem ſtatuit. Alterum croco ſimile odoratum, de quo reuera Dioſcorides præcitato loco: alterum fœno græco proximum, de quo ne uerbum quidem apud Dioſcoridem: tantum enim de illa, quæ croci colorem refert & odorata eſt, meminiſſe eum ſcimus: ut legenti caput de meliloto ſcriptum lib. I I I. certiſsima fide conſtat. Nec uideo unde id ſumpſiſſe Serapio potuerit, quum melilotos trifolij potius quàm fœni græci folia habere conſpiciatur. Quanquam ſcio fœno græco folia loto proxima eſſe, unde fortaſſe in eam opinionem deduci Serapio potuit, foliorum ſimilitudine deceptus. Atq; hæc de meliloto. Quæ à me non contradicendi ſtudio (quis enim id aduerſum Dioſcoridem auſit) ſed ueritatis magis inueſtigandæ amore (quæ nobis rebus cæteris omnibus ſecundum Deum eſt præferenda) optimi cuiuſq; ac candidiſsimi iudicio acrius excutienda propoſita ſunt.

*Serapionis lapſus.*

*Rhabarbarum uocatum cum tota ſubſtantia exhibitum, ut medicinam factitantes dicere ſolent, ut utilius eſſe cùm omnibus: tum præſertim ſanguinem reiectantibus, & plus ſoluere quàm illius dilutum, quod uulgus medicorum infuſionem uocat.*

ENARRATIO VI.

*Cap. 35.*



ECTISSIME illud à Galeno I. de Simpl. facul. dictum eſt, inuentionis omnis demonſtrationiſq; principia ea eſſe, quæ ſenſui atq; intellectui ſunt euidentia: quòd non aliunde fides rebus, quàm per ea quæ uel ſenſibus uel intellectui patent, haberi poſsit. Quamobrem qui rei cuiuſpiam naturam tractare, & quid nam unumquodq; in corpore poſsit demonſtratione oſtendere aggreditur, ut ab ijs principijs tractationis ſuæ initia ducat,

cat necessarium omnino uidetur. Itaq; mihi nunc faciendum id est, ut quando aduersus medici cuiusdam assertionem de Rhabarbaro in substantia exhibendo sermo habendus est, ostendendumq; ipsum sic exhibitum & amplius soluere, & utilius esse, præsertim ijs qui sanguinem ex ore reijciũt ab ijs quæ & intellectui & sensibus perspectißima sunt exordiar. Quod antequam facio, rei historiam unde in hanc disputationem incidimus enarrabo. Guido Argiuus Mediolanensis, ætate iuuenis, temperamento calido & sicco, mediocris habitus, uitam degens otiosam, cùm derepente in sanguinis reiectionem, quæ Græcis αἱμοπτόης: uel rectius αἱμόπτυσις dicitur, incidisset: à sanguinis nimirum tum copia, tum acrimonia perrupto uase, (erat autem uas in pulmone ruptum, uti ex sanguinis tum tenuitate & florido colore, tum copia & reiectionis modo euidentißimè apparebat) nosq; ad curationem accersiuisset: ea confestim adhibuimus auxilia, quæ profutura, morbumq; celeriter depulsura sperauimus: sectaq; statim in cubito uena, sanguinem non multum nec affatim, sed sæpius ac modicum eduximus: sic enim auertere sanguinem, & ad contraria loca reuellere iubet Methodi v. Galenus: moxq; frictionibus, uinculis extremarum partium, cæterisq; præsidijs commodè usi, magnoq; in silentio ac quiete ægrum seruantes, tum morbi causam, abundantiam scilicet sustulimus, tum sanguinem supprimentes, ulcus curauimus. Verùm quum sanguinis acrimonia ob multam admistam bilim curationi plurimum obstaret, hanc cholagogo medicamento purgandam magna certè ratione censuimus. quòd curari nequicquam morbus posset, manente quæ ipsum excitauerat causa: quæ docta Galeni millies in mille locis sententia est. Itaq; de dando Rhabarbaro cogitantes, optime id medicamentum facere rati, in medicamenti quidem delectu consentientes, in exhibitionis modo dissensimus: alter enim solum radicis dilutum dandum: ego uerò substantiam totam censebam: exploratum habens ea quam intermistam soluendi facultati habet adstringendi ui & curando à nobis affectui utilius fore, & plus noxij humoris sic propinatum educere. Cui quidem ille meæ sententiæ cùm magna proteruitate aduersus iret: nec ullis ego eum rationibus à semel concepta opinione dimouere possem, statui omnino quod uerbo persuadere non potui de scripto monstrare, efficereq; ut demonstrationis robore hominis conceptam opinionem ualidißimè frangam. Est itaque illud exploratißima sensuum fide manifestißimum, rheon hoc, quo de in præsentiarum agimus, è soluentium medicamentorum genere unum esse, adeò uiribus & nobilitate præstans, ut eius generis præsidiorum primas tenere credatur: ut quod nimirum singulari quadam prærogatiua præ cæteris omnibus noxia à corpore uacuando, membra confirmet ac roboret, præstanti scilicet quam habet adstringendi ui, & omni (qua cætera purgantia medicamenta fermè omnia prædita sunt) noxia qualitate careat. Vnde illud meritò dixisse de eo Arabs Auerrous v. suarum collectionum libro uisus est Raned (quod nos uulgato nomine uel Rheubarbarum uel Rhabarbarum dicimus) admirabilius esse medicinis cæteris purgãtibus, eò quod membra corporis omnia corr

*5.& 7. Metho.& in Arte medic.*

corroboret, sine uenenosa qualitate sit, & frenum quo cæteræ destituuntur, adstringentem uidelicet sui partem aromaticamq; facultatem abundè multam possideat: ut euidentissimum sit, ac longo iam usu exploratum, nullo reliquo medicamento quàm hoc, tutius aut maiore cum fructu noxia à corpore pelli: ut magna cum ratione Mesueus & pueris & senibus, & uterum gerentibus tuto dari posse capite ad id proprio scripserit. Quod perpendentes qui uulgò medicinam factitant, & quæstui student, generoso hoc medicamento nobilium ac potentum aluos, ubi opus est, purgant: quod tantæ interdum æstimationis fuit, ut auri pretium pari pondere æquarit. Vtimur itaq; præcipuè eo nunc, uel ubi bilis purganda, uel tormina leuanda sunt, uel ubi quis è sublimi cecidit: & in uniuersum, ubi cum humoris noxij uacuatione robur membris addendum est, astringendumq; uiscus: unde bilim noxiam uacuare studemus. Cuius rei gratia utiliter sanguinem ex ore reiectantibus datur, quod & humorem acrem commodè uacuet, & sua quam possidet adstringendi facultate, adaperta uasa constringat ac denset. Quæ nos una maximè ratio impulit, ut ægro huic salutariter propinandum suaderemus. Purgans itaq; esse Rhabarbarum hoc nostrum medicamentum, & cholagogon, id est bilis commodè eductiuū, & quotidiana experientia docet, & neotericorum de eo scribentium, Arabum præsertim, concors asseueratio confirmat. Magna autem cum ratione Rhabarbarum hoc, nostrum appellandum censui: hoc est nostra, uel recenti antecessorum nostrorum ætate inuentum, ut aliud esse ab antiquorum Rha, uel rheo uocato demonstrem: non enim Dioscorides, Galenus, & omnium uetustissimus Hippocrates nostrum hoc Rhabarbarum pernouerunt. Paulo tamen cognitum fuisse ex multis eius autoris monumentorum locis cognosci facillimè potest: libro enim primo cap. XLIII. ea numerans ex professo quæ sanis aluum mouere possunt, Rhabarbarum in ordinem cogit medicamentorum aluum ducentium:

*Cap. de Rhabarbaro.*

Τῇ δὲ κοιλίᾳ συνεργητέον τερεβινθίνης διδόντας, ἐλαίας μέγεθος καταπίνειν εἰς ὕπνον τρεπομένοις. μᾶλλον δὲ ὑπάγειν βουλόμενοι ῥέου βραχὺ καταμίξομεν.

Alui subductionem (ait) antiqui iuuabant, resinam terebinthinam oliuæ modo dormituris deuorandam offerentes. At quum acrius aluum mouere cogitamus, rheu momentum admiscebimus.

Hæc libro primo: libro uerò III. cap. XLVIII. aquæ intercutis curationem tractans, catapotijs illis quas in id morbi admirandas uocat, rheon hoc ut solutiuum admiscet:

Καὶ ταῦτα δὲ θαυμαστὰ καταπότια ἀλόης, εὐφορβίου, κόκκου κνιδίου ἀνὰ γο. α΄. ῥέου γο. ς΄. ἀναλάμβανε χυλῷ κράμβης καὶ πλάσσε. καταπότια δίδου κερ. ζ. ἢ θ΄.

At sequentia (ait) mirifica sunt catapotia, Aloes, euforbij, grani gnidij, singulorum uncia: rhei semuncia, excipiuntur brassicæ succo finguntur q; catapotia, dantur siliquæ septem aut nouem.

*In Manardū*

Vnde mirari subit Manardum, uirum alioqui oculatissimum, tam sibi parum in hac re constitisse, ut rheon hoc nouum, priscis modò cognitum, modò incognitum affirmet: & modò eiusdem cum antiquorū rheo generis,

generis, modò diuersi esse astruat. Diuersi quidem conceptis uerbis epistola V I. lib. X V I I. cùm ait: Quòd si hoc de quo antiqui scripserunt, & quod penitus odore caret, recipiendum in pleuritide est: quis non libentius admiserit aliud genus quod in communi usu ante Paulum Aeginetam esse cœpit, barbarum scilicet uocatum, odore suo eximio principalia membra, & præcipuè spiritualia, miro modo corroborans, & uires recreans? Epistola uerò ultima lib. V. ad Leonicenum, Mihi inquit (de rha antiquorum, & rhabarbaro nostro loquens) eiusdem esse speciei uidetur, præstareq́; Indicum. Et epistola I I. libri V I. de Rhabarbaro nostrate loquens: Quicquid tamen sit, non est ambigendum eam prærogatiuam, non habuisse apud antiquos inter cathartica, quam nunc habet.

Vnde uidere est non satis ipsum sibi in hac re constitisse. Ad institutum itaq; redeuntes, purgans medicamentum esse rhabarbarum hoc nostrum cùm euidentissima sensuum fide constet, atq; Auerroys Cordubensis, & Ioannis Mesuei, neotericorumq́; omnium de eo scribentium testimonio, id ostendere habemus plus ipsum tota sua substantia exhibitum soluere: utiliusq́; dari, quàm ipsius dilutum, idq́; hac potissimùm ratione suis ueluti axiomatis constante quæ uim demonstrationis sit habitura. Sunt autem axiomata medica hæc ex Galeno desumpta. Primum, Medicamenta alia suis ipsorum substantijs, alia qualitatibus manifestis agere: uti libro de Theriaca ad Pisonem bellissimè Galenus docet: cuius sua lingua loquentis eo loco hæc sunt uerba:

πολλὴ γὰρ ἐστιν, ὡς οὐκ ἀγνοεῖς, παρεστὶν ἡμῖν εἰς τὴν χρῆσιν ἡ τῶν φαρμάκων περιουσία, καὶ οὕτως διάφορος, ὡς μὴ μόνον αὐτῆς ἐν τῇ συνθέσει τὸ ποικίλον τῆς δυνάμεως ὁρᾶσθαι δύνασθαι, ἀλλὰ καὶ τῶν ἁπλῶν φαρμάκων, τὰ μὲν ἐξ ὅλης αὐτῶν τῆς οὐσίας, μίαν τινὰ καὶ ἁπλῆν ἐπιδείκνυται τὴν δύναμιν, ὥσπερ ἡ σκαμμωνία ξανθὴν χολὴν ἕλκουσα φαίνεται. τὸ δὲ ἐκ τῆς ἀττικῆς ἐπίθυμον, τὸν τῆς μελαίνης χυμὸν διὰ τῆς κοιλίας καθαῖρον ὁρᾶται, καὶ ὁ κνίδιος κόκκος τοῦ φλέγματος, καὶ παντὸς τοῦ ὑδατώδους περιφανῶς ἀγωγός ἐστι. ταῦτα γὰρ τὰ φάρμακα ἐκ παντὸς αὐτῶν τοῦ μέρους, καὶ ἐξ ὅλης ἑαυτῶν τῆς οὐσίας τὴν ὁλκὴν τῶν χυμῶν τούτων ποιεῖσθαι φαίνεται.

Quod est: Multa quidem uti nō ignoras, penes nos est parata ad usum medicamentorum facultas, adeoq́; diuersa, ut non solùm in compositione uirtutis diuersitas uideri queat; sed etiam simplicium medicamentorum, alia quidem ex tota ipsorum substantia unam quandam & simplicem uirtutem indicent. Quemadmodum scammonia bilem flauam trahere apparet. Epithymum atticum atrabilarium humorem ex uentriculo purgare cernitur. Coccus Gnidius pituitam & totum aquosum humorem educit. Hæc siquidem pharmaca ex tota ipsorum parte, totaq́; substantia huiusmodi humorum eductionem moliri conspicimus. Quod explicare Mesueus uolens, non ineptè dixisse est uisus, solutiuum medicamentum non tale esse temperamenti sui merito, sed quia tali cœlesti uirtute donatum. Dicimus, inquit, quòd medicina laxatiua non est à re cōplexionali sic, sed quia talis. Neq; ut cōtrarium in contrarium quia contrarium, sed quia tale. Et neq; quidem simile attractiuum huius, uel erradicatiuum aut contrarium sed quia tale. Et neq; quia graue aut leue, agitatiuum superius

perius uel inferius, sed quia tale: dotatur enim omne duplici, ut Philosophi aiunt, uirtute, elementari, & cœlesti: huic quidem communi, huic uerò propria. Etenim calefactiuum & infrigidatiuum calidum & frigidum omne. Solutiuum autem non quia calidum, nec quia frigidum, sed quia cœlesti uirtute dotatum, sic ipsius mistionem regulante: & ob hoc quidem solutiuum hoc, illud uerò prouocatiuum. Secundum axioma, cui inniti nostra demonstratio debet, id est, medicamentorum facultates experientia esse dijudicandas: quod Galenus tum I. tum IX. de Simpl. facult. sæpissimè docet. Tertium facultates actionum esse causas, uti bellissimè idem Galenus libro de Facultatibus natur. probat. Quartum, has facultates nihil esse aliud, quàm potentias quasdam seu uirtutes rebus ipsis à natura inditas, quarum merito operentur: sic enim ea de re Plato I. de Repub. cùm inquit, Non'ne & uirtus tibi esse cuique uidetur, cui aliquod opus adscribitur? Ex his itaque hypothesibus, axiomatum uim habentibus, hanc construamus rationem: Rhabarbarum solutiuum quidem medicamentū est, ut experientia docet, à tota igitur sui substantia solutiuum, Ex prima hypothesi: quæ enim soluunt, quatenus id efficiunt, à tota sui substantia id moliuntur, uti suprà ex Gal. lib. de Theriaca ad Pisonem & Mesueo monstrauimus. Sed quæ à tota ipsorum substantia operantur, maius opus efficiunt ubi plus substantiæ, quàm ubi minus: (ex quo enim operatio substantiam in talibus sequitur, necessarium quidem est, ubi abundantior eius rei substantia fuerit, maius ibi opus inueniri) Atqui in toto rhabarbaro longè plus substantiæ quàm in illius diluto inest: cùm in hoc solum pars tenuis & aërea, in illo præter hanc & terrea quoque insit: erit itaque & plus uirium in soluendo, cùm ex quarta hypothesi ex Platone sumpta, uirtus seu potentia res ipsas comitetur, & id sit cui proprium cuiusque opus adscribitur. Plus itaque rhabarbarum tota sua substantia exhibitum, quàm illius dilutū mouebit, quod erat probandum. Præterea cùm facultas, ex tertia hypothesi, actionis sit causa: ubi hæc amplior fuerit, ibi actio maior. At in toto rhabarbaro quàm in illius diluto facultas maior: (ex quo facultas rei substantiam sequitur) manabit itaque à toto rhabarbaro quàm ab illius diluto facultas operandi amplior, atque proinde actio uberior erit. Sed quid rationibus immoror? cùm rationum omnium uim una experientia longo interuallo superet? An non id in dies experimur, maiorē à tota rhabarbari substantia quàm à liquore solutionem sequi? si enim parem rhabarbari portionem uni quidem tota cum substantia: alteri uerò sine hac, sed solo propinato liquore exhibueris, maiorem longè ab illa quàm ab hac (nisi aliundè impedimentum sequatur) uidebis. Quod millies ego in innumeris ægris sum apertissima sensuum fide expertus. Quod animaduertens Galenus IIII. de Sanitate tuenda, sic ea de re sententiam tulit: Medicamenta (inquit) subtilia facilius in totum corpus distribuuntur, crassiora in uentre hærent melius, & proinde deiectionibus hæc sunt idonea, illa cæteris operibus. An non conceptis hic uerbis Galenus nostræ sententiæ adstipulari uidetur? inquiens crassiora medicamenta in uentre melius hærere, ac proinde

*Demōstratio de Rhabarbaro in substantia exhibito.*

*Altera Ratio demōstratiua.*

inde deiectionibus esse idonea magis. Quamobrem quum rhabarbarum tota sua substantia exhibitum, & crassius sit quàm illius dilutum, & uentri firmius hæreat, deiectioni moliendæ erit idoneum magis, uel Galeni sententia. Probauimus abundè satis opinor, & ualidissimis rationibus & experientiæ fide plus rhabarbarum totum quàm ipsius infusum soluere. Adstruendum id modo probatissimorum quorunq;, qui ea de re scripserunt testimonijs: quò res tam firmis assertionis uinculis constabilita pro comperta haberi perpetuò possit. Mesueus certè apertissimè id testari uolens, Rhabarbari in puluere dosim à drachma una ad quatuor tãtum esse uult: infusi uerò à sesquidrachma ad decem. Quanquam mendosum esse eum locum abundè constet: ut pro decem drachmis, duæ scribendæ sint: uti & Manardus in suis ad Mesueum Annotationibus, & Iacobus Syluius Medicorum nostri seculi decus singulare & ornamentum, libro II. de Medicamentorum componendorum ratione testantur: hic enim sic Mesuei locum emendandum censet. Rhabarbarum, inquit, cholagogum & phlegmagogum datur puluere à drachma dimidia ad drachmam unam & semissem: infusum uerò à drachma una & dimidia ad drachmas duas: ut mendosus sit locus hic Mesuei, à drachma una & semisse ad drachmas decem: sic enim nunquam scripsisse uidetur. Manardus uerò excellere nimis eam quantitatem, nec posse sine discrimine semel dari (ut Pannonis cuiusdam nobilis testimonio qui id temerè magno suo malo sumpserat) contendit. Itaq; quum Mesueus, Manardus, Syluius, & quotquot de factitanda medicina commentarios reliquerunt, maiorem infusi rhabarbari dosim, minorem cum tota substantia exhibiti propinent: maiorem soluendi uim in toto rhabarbaro, quàm in illius diluto inesse censendum est. Verentur enim ne nimia quantitate effrenis sequeretur solutio, si tantundem Rhabarbari quantum diluti sui darent. Quæ enim uiribus efficaciora sunt, minore dosi exhiberi: quæ infirmiora, ampliore debent: siliquæ enim Aegyptiæ, mellis aërei, tamarindorum, & similium plus quàm rhabarbari, agarici, & scammonij exhibere, quum usus est, solemus: quòd imbecilliora illa sint, hæc fortiora. Sed quid in ijs laboro quæ perspectissima quũ sint demonstrationis robur non requirunt? Manardus certè eo in argumento omni molestia sese liberans, & ad Antonium Pedocham medicum scribens, epistola VI. libri XVII. ita de tota re ceu censor quidam statuit. Secundam (inquit) tuam dubitationem (erat autem dubitatio ea ab Pedocha Manardo proposita: num Rheon totum deglutitum, quàm eius infusum, plus moueat) solius Ioannis Mesuei testimonio, quem apud te magnæ autoritatis esse puto, facillimè dissoluemus. Dari enim permittit hic uir liquorem, in quo rhabarbari maduerint decem drachmæ, contriti uerò, quatuor ad summum drachmas concedit, contrarium facturus si maiorem uim purgandi relinqui in liquore putasset, ea quæ in tota substantia reperitur. Neq; hoc rheo peculiare existimandum: cùm omni medicamini siue leniter siue uehementer purganti sit cõmune: æqua enim cuiusq; portio, ualidiùs longe purgat per se tota deglutita, quàm eius decoctum uel cremor ebibita. Nec credendum,

*Iacobus Syluius.*

ut tuæ innuunt rationes, totam purgatoriam uim in liquorem transfundi: Nam in eo etian qui per quinqꝫ dies maduit, ad nos delato, licet animam perdidiſſe à Meſue dicatur, uis tamen adhuc quædam ſupereſt purgatoria, ut qua nec pars ipſa terreſtris penitus caret, in his præcipuè medicamentis quæ (ut Meſuei modo loquamur) euacuant comprimendo.

Hæc de noſtro quo de in præſentiarum agimus argumento docta Manardi, nec minus uera aſſertio, quam latæ ſententiæ loco habendam à qua prouocare non liceat (ut Iuriſperiti dicere ſolent) optima certè ratione cenſeo. Maneat itaqꝫ in confeſſo illud, Plus Rhabarbarum, omneqꝫ aliud purgans medicamentum, per ſe totum deuoratum, quàm illius liquorem ſoluere. Dari uerò utilius præſertim in ſanguinis reiectatione totam ipſius ſubſtantiam, quàm dilutum, nemo quiſquam eſt qui ignoret: cùm terrea illa & adſtrictoria illius pars qua cogere & agglutinare apertum uas poteſt, inſit toto epoto rhabarbaro, non inſit autem in illius liquore: ut in quem ſolum pars tenuis & aërea, non terrea & craſſa rhabarbari transfundatur: tum etiam quòd ipſum totum exhibitum, cùm & abundè moueat, & adſtrictione ſua ſolutionem non impediente, uiſcera omnia corroboret, an non utilius dabitur, quàm ſi ſolus liquor dilutum'ue præbeatur? ut quod omni adſtringente uirtute ſpoliatum, qua robur principibus membris afferre debet, minimè roborare illa poſsit: quorum tamen ſummam eſſe in omni morbo habendam rationem, doctè Gal. x i. Methodi docuit. Quum enim uarias rhabarbaro dotes natura tribuerit, amaritudinem ſcilicet, qua bilioſa educit: acrimoniam leuem, qua incidere craſſa poteſt, adſtrictionem demum, qua diſſoluta roborare membra ualeat: an non præſtat totam illius ſubſtantiam, in qua hæc inſunt omnia, dare, quàm illius dilutum, à quo roborandi uis (præcipuum ſcilicet munus) abeſt? Adde quòd in ſoluentibus medicamentis propinandis antiqui infuſionibus uſi non ſunt, ſed ipſis per ſe deuoratis. Galenus enim v. Methodi catapotia conficit ex aloë, ſcammonio, colocynthide & agarico. Et x i i i i. cancrum curat epithymo ad drachmas quatuor cum ſero lactis exhibito. Et eodem loco, illuſtrem Romæ mulierem herpete laborantem, clam immiſſo in ſerum lactis ſcammonio purgauit: tantum (libro Quos & quando & quibus medicamentis purgare oportet) helleborum daturus, acetum mulſum, in quo ramuſculi hellebori albi in raphanum infixi maduerint, ad uomitum ciendum dari præcipit: ut intelligatur, priſcos cùm de purgantibus exhibendis medicamentis cogitarint, totam medicamentorum ſubſtantiam, non infuſionem quam uocamus dediſſe. Quod ſi illi in fortibus medicamentis utilibus fecerunt, ſcammonio, colocynthide, peplio, & reliquis, cur non multò cõmodius nos in leuibus, & quæ (ut Meſuei more loquamur) comprimendo educunt, id faciamus? Infuſiones enim ſiue diluta in medicamentis purgantibus (ut Meſueus in ſuis canonibus docet) eò inuenta ſunt, ut aut uis medicamenti omnis maior'ue illius pars in liquorem illum trahatur, ac tranſeat, aut ut gratior ſit medicata potio: (ſolent enim infuſa, quàm ſolida purgantium medicamentorum ſubſtantia gratiora eſſe) tum ut ſim⸗

plicis

plicis medicamenti facultas uehemens retundatur, ut tripolium lacte caprino maceratum clementius efficimus: uel ut facultas recens aliqua medicamento per infusionem adiungatur, ut cùm à remotis educere excrementa uolumus, tripolium ſucco agreſtis cucumeris temperamus, ut ualentiùs attrahat: uel ut medicamentum lubricum & leue facileq; fluens reddamus, quo modo colocynthidis ſubſtantiam liquore tragaganthi præinfuſam facilè labilem ac lubricam efficimus: ne adhæſu ſuo & mora uentriculo, inteſtinis, ueſicæ, moleſta ſit. Sic ſcammonium uiolaceo uel amygdalino oleo temperatum facilius deorſum truditur, nulla quas permeat partium noxa. Aut igitur liquor in quem quicquam immittitur medicamenti uires in ſe trahit, aut mutat, ac frangit, uel auget, & efficaciores reddit: quæ cuncta fuſiſsimè Meſueus & Syluius docent. His itaq; ſcopis ſi quando infundere medicamenta ſit opus, infuſis utendum. At cùm ſoluere uolumus, & à corpore noxia expellere, totam medicamenti ſubſtãtiam potius, quàm illius liquorẽ, ijs quas ſuprà attulimus rationibus, dare expedit: præſertim ſi eius generis ſit medicamẽtum, quod roborandi uiſcera (quæ infirmiora plerunq; purgantium medicamẽtorum uſu reddi ſolent) poteſtatem habeat, quale inter cætera rheon hoc noſtrum haberi ſolet. Itaq; conſultius facturos medicinam exercentes exiſtimo, ſi rhabarbarum daturi ad biliosa purganda, totam illius ſubſtãtiam, quàm infuſum dederint: præſertim ſi in ſanguinis reiectatione propinaturi id ſint. Nam præterquàm quòd ſic exhibitum membra omnia corroborat, ſanguinem etiam adſtrictione ſua uehementer ſiſtit, ualet enim reiectioni ſanguinis rhacoma, non illud ſolùm quod Plinio, Dioſcoridi, atq; Galeno cognitum fuit, inodorum ſcilicet, & adſtringendi ui præditum: ſed hoc etiam noſtrum, purgandi poteſtatem habens: notabilem enim ſtypſin guſtatum habere deprænditur. Tu igitur his adductus ſententiam muta, & ueritati cede, ne plus tibi quàm ueritati tribuere uideare.

*De pariendi ſtatuto mulieribus tempore: & an ad undecimum uſq; menſem geſtari fœtus in utero poſsit.*

ENARRATIO VII.



CVM de ſtatuto à natura mulieribus pariendi tempore cogitarem, uideremq; nullum certum atq; ſtatum tempus illis eſſe à natura præfinitum: cùm quaſdam ſeptimo, alias octauo, pleraſq; nono, aliquas etiam decimo atq; undecimi initio parere contingat, quæ eſſet tantæ rei cauſa animaduerſione ſanè dignisſimum exiſtimaui. In quam ſanè cogitationem acrius ut incumberem, uxoris meæ inopinatus immaturusq; partus effecit. Nam cùm ea utero grauis ſeptimeſtremq; geſtãs fœtum in nonum menſem pro cætero ſuo more uentrem ſe geſtaturam arbitraretur, (etſi ſemel antea uitalem partum ſeptimo menſe ediſiſſet) opinione ſua falſa, iliorum ac renum doloribus derepente correpta, aquoſis fluentibus ichoribus, adapertoq; uteri oſtio parturire cœpit, moxq; ſcitum forma puellum

peperit, qui biduo post destillatione in fauces pectusque irruēte, ac spiritus uiam intercludente, Deo sic disponente, sublatus est. Itaque cur nulla præcedente externa causa solius naturæ ductu egredi fœtus maturasset, cur etiam uitalis non fuisset cogitare cœpi: præsertim quum ab Hippocrate dictum in Epidemijs meminissem. Quibus nimirum nihil intra constitutum tempus accidit, ijs singulis quæ pariunt uitalia sunt. Quæ quidem sententia Græcè ita ab eo scribitur:

*Lib.6.Epide. sectionis octauæ, Aphorismo 6.*

ὅσῃσι μὲν οὐδὲν ἔσω τοῦ τεταγμένου χρόνου, ἑκάστῃσι τὰ τικτόμενα ἄγονα γίνεται.

Atque cùm hac quidem sententia declarare illud Hippocrates uisus sit, ut quibuscunque mulieribus grauidis intra statum à natura pariendi tempus (quod scilicet certas, statas, ac constitutas suis finibus uices habet) nihil incommodi acciderit, ijs inquam partus uitales fieri. Mirari subijt, cur quum nihil mali intra id tempus uxori meæ accidisset, qui æditus est infans uitalis tamen non fuerit, ut uel præcitata Hippocratis sententia esse debuerat. Quam ego rem cùm inquisitione dignissimam sim arbitratus, operæpretium facturum me existimaui, si ex probatissimorum autorum monumentis quæ ad huius rei explicationē maximè facere uisa erunt, ea adferam, nonnullis prius ad id negotij necessarijs prælibatis: quorum primum illud est, Cur cùm cæteris sit animantibus cunctis præstitutum à natura pariendi tempus, nullum sit certum mulieribus à natura datum. Secundum: Cur septimestres octimestresque non raro edantur. Et quanam ratione dies mensesque in uteri gestatione ex Hippocratis atque Galeni sententia dinumerari debeant. Postremò: Cur septimo mense nati uitales sint, octauo uerò minimè: quod uxori meæ accidisse infelici hoc partu animaduerti. Obiter & illud attingam, Num ad undecimum usque mensem gestari fœtus in utero possit. Quibus quàm potero breuissimè absolutis finem faciam. Porrò animantibus cunctis, tum quadrupedibus & uiuiparis, tum uolatilibus & ouiparis, constitutum esse à natura & pariendi & partus gerendi tempus, ex Græcis Aristoteles, ex nostris Plinius prodidere. Ille nempe V I I. de Natura animalium ea de re ijs uerbis sententiam suam pronuntiauit:

*Cap.4. et 10. Proble. sect. proble.41.*

τὰ μὲν οὖν ἄλλα ζῷα μοναχῶς ποιεῖται τὴν τόκου τελείωσιν. εἷς γὰρ ὥρισται τοῦ τόκου χρόνος πᾶσιν. ἀνθρώπῳ δὲ πολλοὶ μόνῳ τῶν ζῴων. καὶ γὰρ ἑπτάμηνα καὶ ὀκτάμηνα καὶ ἐννεάμηνα γίνονται, καὶ δεκάμηνα τὸ πλεῖστον. ἔνιαι δ' ἐπιλαμβάνουσι, καὶ τοῦ ἑνδεκάτου μηνός.

Quod est: Sed cùm cætera animalia omnia singulari, ac simplici modo partum suum perficiant (unum enim pariēdi tempus statutum omnibus est) homini uni multiplex datum est. Nam & septimo mense, & octauo, & nono parere potest: & quod plurimùm decimo. Nonnullæ etiam undecimum tangunt.

*7.Natur.hist. cap.5.*

Plinius uerò huius tanquam sententiæ paraphrastes atque interpres, sic illam expresit: Cæteris (inquit) animantibus statutum & pariēdi & partus gerēdi tēpus est: homo toto anno & incerto gignitur spatio. Alius septimo mense, alius octauo, & usque ad initia decimi undecimique. Atque hāc rem totam cōfirmans experimēto Aristoteles, lōga serie per singula ferè animantium genera uagatus, sexto de animalium historia quoto quæque

temp

tempore parere, & partum gestare animalia soleant ostendit. Indicans & certo anni tempore, & (quod præcitata sententia explicauit) uno ac simplici modo tum parere, tum partum ferre animantia cuncta solere: unum tantum hominem, nec uno tempore, nec simplici more gigni. Cuius ego euentus eam esse causam crediderim, quòd cùm cæteris animantibus cunctis suus insit stato tempore ad generandum appetitus, tumq́; ueluti turgescentia prolis amore ad uenerem concitentur, quieta alioqui, nec ad concubitum prona, efficitur: ut cùm certum sit ac constitutum concumbendi animantibus, atq; adeò generandi tempus, necesse quoq; sit & pariendi & partus gerendi statum esse ac ordinatum. In brutorum enim genere, ubi uno altero'ue maris initu impletæ fœminæ sunt, marē amplius non admittunt: sed ipsæ conceptus sui obseruantissimæ, & naturæ ductu partum suum perficiunt, & perfectum postea edunt: aliæ temporius, tardius aliæ, prout cuiq; & formandi fœtus & fouendi atq; alendi in utero, postremoq; edendi constitutum à natura fuerit tempus. Quod & in arborum fructibus euenire quoq; uidemus, ut alij alijs celerius, segnius'ue maturescant: quod partim cœli ac soli clementia ac bonitate, partim arboris ac seminis, partim culturæ prouenire tradunt rei rusticæ scriptores. Itaq; cùm concubitus in partum ceu finem dirigatur, idq; naturæ iustissimæ atq; sapientissimæ ductu, quæ motus suos omnes non impedita, aut alioqui casu ullo externo labefactata, statos, ordinatosq́; habere solet: sicq; concubitus in brutis animantibus certus ac constitutus, necessum quoq; est, & fœtus à conceptu geniti tum gestationem, tum editionem statam fixamq́; esse. Homini uerò contra accidit. Nam quum nullum habeat certum ad concūbendum designatum tempus: Sed toto anno, ut Plinius ait, & incerto gignatur spatio, quod non unius tantum naturæ iustissimæ motu atq; impulsu in uenerem prolis gratia, sed explendæ magis uoluptatis causa feratur: incertosq́; & inordinatos habeat ad uenerem motus, prout uel seminis genitalis collecta in uasis seminarijs copia, uel succulentior ac plenior corporis habitus, uel ipsa tandem uictus ratio, uel deprauata inferioris animæ partis (quam concupiscitricem uocāt) appetitio, ad cōcubitum nullo stato tempore, nullo ordine hominem excitarit: fit profectò, ut cuius generationis initia tam incerta, inordinataq; fuerint, & ipsa quoq; tum gestatio, tum editio non unius modi sit: sed incerta ipsa, inconstans, uaria ac nullis temporum statis finibus cohercita. Accedit præterea, quòd nos ipsi perfectos ordinatosq́; naturæ motus in fœtu formando atq; in utero conseruando plurimum labefactamus atq; peruertimus. Perinde enim genito intus infanti, atq; satis, & uinearum gemmis accidit. In his enim, ubi iam sparsum in terram semen ipsius gremio fotum atq; collectum, uaporeq; suo tepefactum diffundi cœperit, herbescentemq; ex semine iacto uiriditatem elicere, si quis rursus aratro proscindere tentet, sementem omnem disperdi uideas, atq; corrumpi, gēmantesq; item uites & fœtu suo turgidas, si ligone percusseris, omnem decutias fructum: (quæ concors est omnium rei rusticæ scriptorum sententia) sic sanè mulierem fœtu suo grauidam, si crebro concubitu agites,

*Cur cæteris animantibus certū sit pariēdi & partus gerendi tempus: homini autem non sic.*

*Vide Catonem cap. 7. 8. 9. & 51. Varro lib. 1. cap. 5. Colu. lib. 5. cap. 10. & lib. 10. per totū. & lib. 11. cap. 3. & lib. de arboribus. Palladius lib. 1. ti. 34. et lib. 2. ti. 14. 15. 16 & lib. 3. ti. 25 & lib. 4. ti. 10. Constantinus lib. 10. cap. 1. 2. 3. 71. & lib. 11. cap 2. & 3.*

*Lib. Nat. histor. 7. cap. 5.*

*Simile pulchrum.*

corrumpi omnino fœtum uideas: dehiſcente utiq; uteri hoſtio, qui toto geſtationis tempore ita adſtrictus clauſusq; manet, ut ne ſpecilli mucronem (quod ait Gal.) admittere poſsit. Quod & ipſum rectè animaduertentes inter Pœnos medicos præſtantiſsimi Rhaſes & Auicennas, utero gerentem à concubitu omnino arcendam, ſi conceptum ſeruare uelit, doctiſsimè conſulunt.

*Gal. de locis affect. & 15. de Vſu partium.*
*4. ad Almanſ. cap. 27.*
*Fen 21. tertij trac. 2. cap. 2.*

Quin & illud non minimum partus tempus uariare ſolet, quòd cùm toto geſtationis tempore mulieres nec cauta uictus ratione utantur, nec incommoda ea ſæpenumero uitent, quorum occaſione maturare partus ſolet: efficitur, ut pro horum ratione quæ prægnanti incautè eueniunt, infans alio atq; alio tempore edatur. Nimius enim motus, frequens concubitus, ciborum acrium & aperientium creber uſus, rixa, mœror, triſtitia, ira, curæ, (quæ animi pathemata ſunt, & ſæpenumero in prægnantes incurrunt) adhæc innumeri morbi, præſertim qui acuti ſunt, & naturæ ordinem peruertere, & partum accelerare quàm maximè poſcunt. Quæ cauſa eſt, cur pariendi nullũ ſit ſtatum fixumq; in homine tempus: prout hæc quæ enumerauimus omnia in ſeptimum, octauum, ac nonum geſtationis menſem incidere poſſunt, laboresq; grauidæ mulieri inferre: qui non ſolùm prædictis menſibus, ſed & alijs quoq; contingere ſolent: quod animaduertens Hippocrates, meritò dixit,

*6. Epidemi. part. 8. apho. 12.*

Ἐπὶ πλείονα δὲ χρόνον οἱ πόνοι τρίτῳ, πέμπτῳ, ἑβδόμῳ, ἐννάτῳ μηνὶ, τετάρτῳ, ἕκτῳ, ὀγδόῳ.

Quod eſt: Vt plurimùm labores tertio, quinto, ſeptimo, nono, quarto, ſexto, & octauo menſibus fiunt. Laboris utiq; nomine quicquid infra tempus geſtationis acciderit intelligens, ſiue id in fœtus conformatione, ſiue illius motu, ſeu abortu, ſeu perfectione & editione fiat. Qui quidem labores, cõſtituto (vt ait Hippocrates) tempore fiunt: nempe tertio, quinto, ſeptimo, nono, quarto, ſexto, & octauo menſibus. Coniũxit verò tertium, quintum, ſeptimum & nonum, tanquam impares, in quibus labores contingunt: quartum, ſextum & octauum tanquam pares. Itaq; cùm innumera ſint quæ mulieri uterum gerẽti toto geſtionis tẽpore negotiũ faceſcere poſsint; præſertim ubi fœtus iam grandior effectus, exitum ſibi ipſe diſruptis ferè membranis & calcitratu molitur, quod ſeptimo potiſsimùm menſe contingere Hippocrates libro de ſeptimeſtri partu affirmauit. Cùm id temporis pelliculæ, vt idem ait, in quibus ab initio nutritus fuit infans, quemadmodum ſpicarum membranæ laxantur, ad id coactæ antequã fructus perfectè matureſcat: & fortiſsimi ac pleniſsimi fœtus violãtes ac dirumpentes pelliculas, partum fieri cogunt: fit, vt nullum ſit pariendi ſtatutum à natura mulieribus tempus. Quam eſſe cauſam idem uoluit, cur nõ rarò ſeptimeſtres edãtur partus. In brutis uerò cũ ſimplex & uniuſmodi ſit omnis uitæ ac uictus ratio, eodemq; naturæ tenore in geſtatione ſeſe grauidæ animantes habeãt; nec animi perturbationibus, aut aliòqui inordinatis motionibus, niſi laceſsita, ſint ipſa obnoxia, perinde atque homines, efficitur, ut & geſtationis & editionis ſua habeant tempora atq; fines, intra quos & partum perficere, & in lucem edere poſ-

*Cur ſeptimeſtres edantur partus.*

ſunt

ſunt. Vnde cùm de brutorum partu agit ex profeſſo Ariſtoteles. VI. præſertim de animalium natura, vnicuique animātium generi, & geſtationis & partus certa aſsignat temporum ſpatia. Vbi verò de homine agit, libro ſcilicet eiuſdem tractationis ſeptimo, non ſtata & fixa, ſed incerta ſtatuit & varia pariendi, & geſtandi tempora. Vnum enim, inquit, brutis omnibus pariendi tempus ſtatutum eſt: homini vni multiplex datum eſt. uti præcitata eiuſdem autoris ab initio enarrationis ſententia abundè explicauimus. Atque hæc de primo.

Secundum porrò illud eſt, Cur ſeptimeſtres octimeſtresq́ non rarò prodeant partus: & quanam ratione dierum ſupputatio in vteri geſtatione fieri debeat. Qua in re explicanda conuenientiſsimè ab ipſius rei eſſentia ſumendum nobis erit exordium. Quod eos facere debere, qui cum demonſtratione quippiam ſunt dicturi, Galenus doctiſsimè affirmauit: quòd inuentionis omnis in omni propoſita contemplatione initium ſit, antè cognoſcere, quid nam eſt id quod quæritur, ut Plato in Alcibiade primo, & Hippia minore, & in Sophiſta, tum uerò præcipuè in Protagora, & idemmet Galenus docent. Partum uerò eſſe uolunt geniti in utero infantis atque iam perfecti editionem. Et ſi interdum non pro editione ſolùm & natali uitæ initio, ſed pro geſtione ipſa uſurpari ſolet: uti Plinius cùm inquit, cæteris animantibus ſtatutum & pariendi & partus gerendi tempus eſt. Et rurſus cap. 15. eiuſdem: Ergo cùm grauidis fluxit, inualidi aut non uitales partus eduntur. Et Gaza Ariſtotelem interpretans VII. de Natura animalium cap. IIII. in eandem ſignificationem partus nomine uſus eſt. Cætera, inquit, animalia omnia ſingulari ac ſimplici modo partum ſuum perficiunt. Quibus quidem locis partus nomen pro conceptu ipſo, non pro eo qui editus iam in lucem eſt, uſurpatur. & ſi ſignificātius atq; apposite magis, uel pro ipſo pariendi actu, uel pro edito in lucem infante Latinis ſumitur: ut apud eundem Plinium, de ſeſeli agens, Sunt & folia utilia (inquit) ut quæ partus adiuuent etiam quadrupedum. Et rurſus de Aneſo, Et ſtatim à partu dandum polenta inſperſa. Et innumeris alijs locis. Et apud Ciceronem lib. de Natura deorum: Diana, inquit, adhibetur ad partus: quòd ij ſeptem aut nouem Lunæ curſibus matureſcant. Nos uerò de ipſo præcipuè pariendi actu hic partus nomen intelligi uolumus, dum de conſtituto partus tempore cauſas inueſtigamus: tum & de edito iam in lucem infante, dum id quærimus, cur ſeptimeſtres octimeſtresq́ naſcantur. Septimeſtres porrò octimeſtresq́ edi partus, non ſolùm Hippocratis atq; Galeni, tum etiam Ariſtotelis atq; Alexandri Peripatetici ſummorum autorum teſtatiſsima fide receptum eſt: ſed & experientia duce, quæ normæ uice ſemper (ut Galenus ait) habenda eſt, & demonſtrationis omnis initium, uel eiuſdem teſtimonio. Plerosq́ enim ſeptimo menſe genitos, octauo etiam non paucos uideas. Quamobrem quum ea certiſsima omnium demonſtratio habeatur, quæ ab euidentiſsimis deducta, ſui ipſius fidem facit: nihil autem uſquam experientia aut certius, aut firmius euidentiusq́ excogitari poſsit: conſequens eſt, conſtanter ut aſſeueremus, ſeptimo

*5. de Sympt. cau.*

*Lib. num ars tuendæ ſani. ad medicam artem ſpectet*

*7. Natu. hiſt. cap. 5. et rurſus cap. 15.*

*Lib. 20. Natur. hiſt. ca. 5. Vbi ſuprà cap. 17*

*6. de Sanit. tuen. Lib. de cuiuſque peccatorum notitia. & 1. de alimen. fa.*

octa

octauoq́ue mense nasci hominem posse. Cur uerò id fiat, non satis à nostris explicatum. Itaque ad eam rem exponendam quantum conniti uiribus & animo potero, tantum certè præstabo. Nasci uerò septimo mense hominem Hippocrates in hæc uerba testatum reliquit:

*Lib. de carnibus ad finem.*

Τὸ παιδίον ἑπτάμηνον γόνον γενόμενον, λόγῳ γεγένηται καὶ ζῇ, καὶ λόγον ἔχει τοιοῦτον, καὶ ἀριθμὸν ἀτρεκέα ἐς τὰς ἑβδομάδας. ὀκτάμηνον δὲ γενόμενον, οὐδὲν βιοῖ πώποτε. ἐννέα δὲ μηνῶν καὶ δέκα ἡμερέων γόνος γίγνεται καὶ ζῇ, καὶ ἔχει τὸν ἀριθμὸν ἀτρεκέα ἐς τὰς ἑβδομάδας.

Quod est: Puer septimo mense natus, pro ratione natus est: & uiuit, habetq́ue rationem ac numerum ad hebdomadas uerè & exactè respondentem. Mense autem octauo natus, nullus unquam uixit. Nouem uerò mensium, & decem dierum partus fit, & uiuit, & habet ad hebdomadas numerum exactum. Hæc libro de carnibus: libro uerò de septimestri partu:

οἱ δὲ ἑπτάμηνοι γίνονται, ἐκ τῶν ἑκατὸν ἡμερέων, καὶ ὀγδοήκοντα, καὶ δύο, καὶ προσόντος μορίου.

Id est: Septimestres nascuntur diebus cētum & octuaginta duobus ac dimidio, & insuper accedente diei particula.

Galenus uerò eiusdem tractationis libro, qui item de septimestri partu inscribitur, eadem ex Hippocratis sententia confirmat. Post dimidij anni tempus (inquit) posse septimestrem fœtum in lucem edi uoluit Hippocrates: idipsum quoque Philosophorum summus Aristoteles. Cùm cætera animalia omnia (inquit) singulari ac simplici modo partum suum perficiant, (unum enim pariendi tempus statutum omnibus est) homini uni multiplex datum est. Nam & septimo mense, & octauo, & nono parere potest. Alexander uerò Aphrodiseus in problematis, cur septimestres infantes uitales sint, octimestres minimè, quærit: magnaque indagine causam inuestigat. Quod item facit Plutarchus autor grauissimus libro de philosophorum placitis V. cap. XVIII. Quin & Plinius hominem toto anno & incerto gigni spatio, ut alius septimo, octauo alius nascatur, magna fide asseuerant. Ex horum itaque tantorum uirorum assertionibus, ipsaque experientia duce, ac rerum omnium magistra (cui refragari nemo quisquam potest) euidentissimè constare arbitror, septimo, octauoq́ue mense nasci hominem posse: cui uni innixus diuinus Hippocrates dogmatis sui assertionem ueluti firmissimis demonstrationis nexibus conclusit.

*7. de Natur. animalium cap. 4*

*Sectione 5. proble. 46*

*7. Natu. hist. cap. 5*

*Ad finem libri de carnibus.*

Θαυμάσειε δ' ἄν τις καὶ τοῦτο, ὅστις ἄπειρός ἐστιν, εἰ ἑπτάμηνον γίνεται παιδίον. ἐγὼ μὲν οὖν αὐτὸς ὄπωπα καὶ συχνά. εἰ δέ τις βούλεται καὶ τοῦτο ἐλέγξαι, ῥήϊδιον. πρὸς τὰς ἀκεστρίδας αἳ πάρεισι τῇσι τικτούσῃσι ἐλθὼν πυθέσθω.

Quod est: Cæterùm inexpertus quispiam mirari queat, quòd septimestris puer nascatur. Ego quidem igitur hoc ipsum uidi, & quidem frequenter. Siquis autem hæc depræhendere uult, facilè est obstetrices adire, quæ parientibus adsunt, & ex ipsis percunctari.

*Cur septimestres nascantur partus, ex Hippoc. libr. de Septimestri partu ad initium.*

At ut hoc uel experientiæ fide testatissimum, sic illud abstrusissimum, ac in naturæ ueluti recessibus positum, cur septimestres nascantur; cuius euentus causam hanc esse idem autor uoluit, quòd id temporis & maturescere

rescere foetus, & robore augescere incipiat, magisque quàm alijs perfici temporibus: pelliculisque, in quibus conclusus in aluo manet, à fortissimo foetu uiolatis atque laxatis (uti in semente spicarum membranæ plenissimo ac ualidissimo foetu distentæ, laxari cogūtur anteaquam fructus perfectè maturescat) partum uiolento quodam motu accelerari. Quum (inquit) ad hoc perfectionis principium partus peruenerit, maturescente foetu, & robore multum augescente, in perfectione magis quàm in alijs temporibus, pelliculæ in quibus ab initio nutritus fuit, quemadmodum spicarum membranæ laxantur, ad id coactæ anteaquam fructus perfecte maturescat: & fortissimi ac plenissimi foetus uiolantes ac dirumpentes pelliculas, partum fieri cogunt, & plurimi ex his pereunt. Græca non appono, ne nimia uerborum mole inanis excrescat oratio.

*Lib. de Septimestri partu.*

Cur uerò talia puero septimo mense, quàm alijs potius contingant, septenarij numeri in naturæ iudicijs, & arcanis ipsius motionibus præcellentis dignitati ac uiribus attribuere conceptis uerbis Hippocrates uidetur. Quòd & morborum iudicia septenarijs diebus, si acuti fuerint, perfici solent, & puerorum dentitio eodem annorum curriculo expleri. Necessitatem autem naturæ, quapropter in septem hæc singula dispensentur, alio se loco demonstraturum Hippocrates pollicetur. Censet itaque tum septimestres nasci, quum uulua id temporis expleatur, eaque foetu iam propè maturo distēta laxari incipiat, membranæque dirumpi, unde erumpere foetum necesse fit. Expletur autem septimo mense uterus, uel ob locellorum angustiam, qui foetum grandiorem continere præ angustia non possunt, unde emergere ui naturæ infans cogitur: uel ob foetus celerem uiolentumque motum, quo calcitratu nimio ualenter membranas laxans atque disrumpens, uiam sibi ad exitum facit, uel tandem maturitatis perfectione: (cōtingit enim alios alijs celerius perfici) Atque primus quidē perfectionis limes, quo uitalem edi infantem contingit, septimus mensis est: qui maturius quàm septimo mense prodeat, (Aristoteles inquit) nullo pacto uitalis est: qui septimo, uitalis quidem hic primus exit. Quæ quidem uerba ex hoc Hippocratis loco desumpta esse uidentur, quo ad perfectionis principium peruenire partum septimo mense affirmauit, & uiribus roborato foetu aditum sibi parare, quò in lucem exeat. Quam quidem sententiam ex amborum penu ac promptuario deprompsisse Plutarchus autor grauissimus, eo qui de placitis philosophorum inscribitur libro, uidetur. Hac enim de re ex professo tractans, Hippocratis & Aristotelis sensa ita expressit: Aristoteles (inquit) Hippocratesque putant, si uulua mensibus expleatur septem, tum denique erumpere infantes, uitalesque nasci. Atque hæc summa ac naturæ consentiens ratio esse mihi uidetur, cur septimestres sæpenumero infantes prodeant. Inepta porrò, nec naturæ operibus cōgruens, ea quam Plinius affert, septimo tantum nasci eos, qui aut pridie postero'ue plenilunij die, aut interlunio concepti sint. Cur enim ij dies potius quàm alij, in quibus concipi foetus possunt, præstare id ualeant, ut partum ad septimum mensem accelerent, nulla est ratio: quocunque enim mensis tempore gigni in aluo foetum contingat, siue

*7. de Natura animalium cap. 4.*

*Lib. 5. capite 18.*

*7. Natu. histo. cap. 5.*

siue id interlunio, siue plenilunio, siue medijs in quadraturis (ut uulgò Astronomi loquuntur) fiat, si modò expleri uuluam septimo mense usu eueniat: eo ipso mense erumpere infantem pro testium adductorum sententia consequens quidem ac necessarium certè erit. Itaque non interlunio aut postridie plenilunij gigni infantem, editionis in lucem septimo mense, (ut Plinius arbitratur) sed uuluæ expletio, & partus id temporis consummatio atque perfectio, membranarumq; diruptio causa erit. Adde quòd quum exactissimè tum Hippocrates, tum Galenus de septimestri partu editis libellis tractauerint: quantaq; fieri potuit methodo eius euentus causas omnes fuerint perscrutati, si editionis septimo mense conceptum pridie postero'ue plenilunij die, aut interlunio factum causam esse existimassent: aut ex aliorum scriptis compertum habuissent, id eos profectò non latuisset: nec se aut inscitiæ, aut indiligentiæ nomine notari siuissent: præsertim quum essent astronomiæ omnis callentissimi, lunæq; cæterorumq; planetarum & uires & potestates tenerent: quibus inferiora hæc (hominis præsertim corpus) immutare suo aut motu, aut influxu, aut lumine, aut tandem arcanis quibusdam & abditis facultatibus possunt. Quod quum nullo pacto ab ipsis, ijs quæ ediderunt commentarijs, proditum sit: censendum profectò editionis partus septimestris, non lunæ locum ipso genituræ tempore, (ut Plinius arbitratur) sed quas attulimus ex Hippocrate causas pro ueris firmisq; habendas. Non enim usquam à quoquam ueterum astronomorum proditum est, (quod quidem eorum sit traditum monumentis ijs quæ ad nostram ætatem manarunt) ex loco lunæ tempus gestationis moræq; infantis in utero definiri numerariq; posse, ut qui pridie, postero'ue plenilunij die conceptus sit, eum septem totos menses gestari in utero, moxq; in lucem edi sit necesse: qui alijs diebus genitus sit, eum longiores in utero trahere moras. Non hæc profectò Ptolemæus, non Hermes, non Auenazra, non Haly, aut ueterum demum quispiam, qui astrorum effectiones & potestates scriptis notarint, monumentis usquam suis prodiderunt. Atque eadem de octimestri partu ratio est, qui enim eo temporis spatio consummati perfectiq; sunt, uuluæq; ita fœtu turgidæ, ut ferre onus in longius tempus minimè possint, efficitur, ut calcitratu diruptis membranis prodeat in lucem infans. Quanam uerò ratione dierum in uteri gestatione numeratio fieri debeat, (quod prodituros nos suprà promisimus) ex Hippocratis Galeniq; sententia quanta maxima fide potero explicabo.

*Supputatio dierum in gestatione quomodo fienda. Gestatio.*

Supputationē porrò in uniuersum à conceptu in partum fieri debere nemo est qui nesciat: Totum enim id tempus, quod à genito intus infante ad eius exitum interest, gestatio dici consueuit, & mulieres tum uentrem gestare à iuris peritis dicuntur. Hippocrates unus omnium hoc in genere diligentissimè uersatus, per menses & hebdomadum decadas supputare totum gestationis tempus solet: unicuique decadi septuaginta dies, hebdomadæ uerò dies septem, unde nomen sortita uidetur, assignans. Eius uerba libro de Carnibus hæc sunt: Quatuor (inquit) denarii hebdomadum, dies sunt ducenti & octoginta: in denarium autem hebdomadum septuaginta dies incur

incurrunt. Habet autem & septimestris partus tres denarios, siue decadas hebdomadum, & in unaquaque decade septuaginta dies. Tres uerò hebdomadum decades ex toto sunt dies ducenti ac decem. Cui item supputationi quadrat ea quæ ab Auicenna Fen. 21. tertii, cap. 2. describitur. septem enim mensium spatium diebus ducentis ac decem confici pro Hippocratis sententia affirmauit, uti nouem mensium diebus ducētis septuaginta. Hic uerò mensis nomine non lunarem intelligi uolumus, Galeni more, qui libro de septimestri partu mensem uocat spatium id, quod ab uno lunæ coitu cum sole usque ad alterum intercedit: quod uiginti nouē dierum ac dimidii curriculo compleri eodem ipso libro idem autor prodidit. Nec obstat quòd alibi mensem Galenus non uiginti nouem dierum spatio, sed uiginti septem perfici, adiecto horarum octo interuallo affirmarit. Nulla enim hac ipsa in re ob id pugnantia inueniri potest. Est enim lunæ motus inæqualis, ut idem autor testatur, eoq; efficitur, ut non uno semper eodemq; stato dierum numero cursum luna suum conficiat. Nam cùm ab uno quodam signiferi loco progressa, perenni motu tandiu fertur quoad absoluto cursu in eundem ipsum locum, unde primum moueri ceperat, redierit (quem quidem motum Ptolemęus & Astronomi omnes cursum longitudinis uocant) tum sanè orbem conficit suum. idq; temporis interuallum, progreßionis mensem uocant. finiturq; diebus uiginti septem horis octo, hoc est tertia diei parte, ut libro de Diebus decretorijs III. cap. IIII. uult Galenus. Quem quidem lunæ cursum ex motu cētri epicycli lunæ fieri, quo singulo quoto die tredecim zodiaci gradus, & momenta XIIII. conficit, Ptolemæus affirmat. Sed mensem coitus lunæ Galenus uiginti nouem dierum ac dimidij spatio constare uult: alterū uerò illum quem longitudinis cursum Astronomi, Galenus impreßionis, seu apparitionis mensem uocandum censuit, uiginti septem diebus. Is autem mensis hanc ob id sortitus est nomenclaturā, quòd tum luna à sole seiuncta, spatio tāto ut acceptum ab ipso lumen impartiri subditis corporibus poßit, ea ualde afficiat, uimq; suam (lumen potißimùm) imprimat: quod sanè temporis interuallum minus esse altero illo quo cum sole luna coit apertißimum est. Subtrahuntur enim à toto illo temporis spatio (quod uiginti nouem dierum esse diximus) tres circiter dies, quibus sub sole delitescens atq; abdita luna lumen nobis suum impartiri non potest. Quos sanè dies rei Rusticæ scriptores illunes uocant, quasi sine lunæ lumine. Itaque constat, nullam in Galeni dictis repugnantiam esse, & si pugnare sibi inuicem præcitati loci uidentur. Sed an integris diebus atque hebdomadis fieri hæc supputatio debeat, inquisitione dignißimum arbitror, quòd pugnantes itidem ea de re inueniam Hippocratis aliquot locos. Is enim præcitato antea libro de carnibus uidetur integris diebus atque hebdomadis gestationis tempus numerare, cùm septimestres partus tres decadas hebdomadum habere, unamquāq; autem decaden septuaginta dies affirmet. Sic enim in totum fient ducenti ac decem dies: quos si per septenarium numerum diuiseris arithmetico more, conficient triginta dies in singulos menses; septies enim triginta,

*3. de diebus decretorijs. cap. 4.*

*Cōciliatio pugnantium locorū Galeni. Vbi suprà.*

*Lib. de septimestri partu.*

ducētos ac decem ad unguem conficiunt dies. Cui sanè supputationi cōgruit ea quæ Auicennæ, Fen. XXI. tertij, cap. II. qui pedibus in Hippocratis sententiam it. Verùm aliò loco Hippocrates non per integros dies supputationem esse faciendam, conceptis uerbis docet: libro namque de Iudicationibus iudices ac decretorios dies enumerans, quibus decernere morbi solent, ita ad uerbum sententiam mentemq́ suam expresit.

*Lib. de Iudicationibus ad principium.*

οὐ δύναται δὲ ὅλαις ἡμέραις οὐδὲν τούτων ἀριθμεῖσθαι ἀτρεκέως. οὐδὲ γὰρ οἱ ἐνιαυτοί τε καὶ μῆνες ὅλαις ἡμέραις πεφύκασιν, οὐδὲ ξυνεστήκασιν.

Quod est: Non potest autem quicquam horum integris diebus exactè numerari: neq; enim anni ac menses totis diebus constant.

*3. de diebus decretorijs. cap. 9.*

Quam quidem Hippocratis sententiam, Galenus ueluti explicans ita est interpretatus. Cur, inquit, & uigesimus & uigesimus primus, multò magis uigesimus decernat, explicabo. Primum quum huiusmodi morbus diuturnus iam est, & paribus diebus accesiones fiunt: deinde quòd septimana non integris septem diebus constet, ueluti prius expositum est. Nouit hoc quoq; Hippocrates, sic in opere prognostico inquiens: Hæ igitur accesiones per quatuor in uiginti auctæ finiuntur. His subiungit: Verùm huiusmodi supputatio, per integros dies nimirum fieri non potest: quippe cùm nec annus, nec menses ipsi integris diebus numerentur. Vt igitur annus ad trecentos sexaginta quinq; dies particulam diei maiorem quarta adiectam habet, tum mensis ad triginta dies absoluendos, unius dimidium desiderat: sic & septimana sexta maximè diei parte, ut septem integros habeat, indiget. Et rursum sub finem capitis, Iam (inquit) sanè ostendi secundum rei ueritatem, & Hippocratis sententiam, nullam horum supputationem per dies integros fieri posse, hoc est, absolute citraq; fracturam: neq; septimanam, neq; quaternionem, neq; mensem, neque annum, neque alium quemuis numerum. Itaque ex horum sententia constat, numerationem non integris hebdomadis atq; diebus, sed ad integros dies atque hebdomadas, temporum momenta (quas fracturas Arithmetici uocant) addenda esse. Verùm si quis paulò penitius autorum sensa fuerit perscrutatus, aliam esse in gestatione supputandi rationem, aliam longè in morborum decretorijs inueniet. Hippocrates certè gestationis tempus dum numerat, libro de Carnibus, per integros dies atque hebdomadas, solaremq́ mensem triginta dierum, supputationem facit, dum septimestrem puerum legitimè & natum & uitalem esse affirmat: quòd rationem & numerum habeat ad hebdomadas exactum, nempe tres decadas hebdomadum complectentem: in unaquaque autem hebdomadum decade septuaginta dies inesse uelit. Sic item eodem loco nouem mēsium decemq; dierum partum eadem ratione uitalem esse confirmat, quòd quatuor hebdomadū decadas, seu dies ducentos & octoginta cōtineat. Quæ si uera sunt, (uti sunt) necessariū quidem est supputationem ab eo integris, non fractis numeris fieri. Nam si unaquæq; hebdomadum decas, septuaginta dies (ut ipse uult) continet: hebdomadam septem totos integros dies cōplecti erit necesse. si enim denarium numerum per septenarium, more arithmetico duxeris, septuaginta consurgent. Itaque cùm

cùm ſeptimeſtris partus ducentos ac decem dies, ſeu tres hebdomadum decadas contineat: fit, ut ſi eos dies per ſeptenarium numerum diuiſeris, triginta in ſingulos menſes conſurgant dies. Quam item ſupputandi rationem ſecutus fuiſſe Auicenna cõceptis uerbis uidetur, qui ſeptimeſtrem partum ducentis ac decem diebus perfici atq; in lucem edi, nouimeſtrem autem, ducentis ſeptuaginta aſtruxit. Vnde fateri neceſſe eſt, ſolaribus menſibus, non lunæ motu actis, geſtationem in utero matris metiri debere, ut ſingulis menſibus triginta dies, Græcorum more reſpondeant, tam in ſeptimeſtri, quàm nouimeſtri partu: quum hic ducentis ac ſeptuaginta diebus, ille ducentis ac decem naſcatur. Hos enim ducentos ac decẽ dies ſi ſeptenario numero partiaris, triginta arithmetica ſupputatione conſtabunt: uel ſi triginta dies ſeptenario ducas, ducentos ac decem conficies dies: ſepties enim triginta hunc dierum numerum conficiunt, uti nouies triginta ducentos & ſeptuaginta. Quam quidem de mẽſium ſupputatione ſententiam, in fœtuum geſtatione attigiſſe uiſus eſt Iacobus à Partibus Auicennæ interpres, præcitatum Auicennæ locum explanãs, qui triginta dies unicuique menſi adſcribit. Item & Fuchſius noſtri ſeculi medicorum princeps commen. VIII. in ſextum Epidemiorum Hippocratis. Sed in primis diuinus Hippocrates, qui libro de Alimento ita ſcripſit, Quumq; (inquit) & triginta ſoles fœtum formant, ſeptuaginta mouẽt, decem & ducenti perficiunt. Vnde conſtat ſolis, non lunæ circuitibus ex Hippocratis ſenſis ſupputationem eſſe fiendam. Si enim ad lunæ menſes ſupputationẽ hanc referre oporteret, haud ſanè dierum numerus, in quibus uel ſeptimeſtrem edi partum, uel nouimeſtrem Hippocrates Auicennaq; uoluerunt, reſponderet: cùm lunaris menſis ex Galeni placitis, uel uiginti & ſeptem dierum ſit, ſi lunæ motum quo nobis conſpicua eſt ſpectes: aut uiginti nouem & dimidij, ſi ipſius cum ſole coitum, ut libro de ſeptimeſtri partu, & III. de decretorijs diebus, idem autor fuſiſsimè explicauit. Itaque quum ducentis ac decem diebus ſeptimeſtrem naſci infantem, ducentis uerò ac ſeptuaginta nouimeſtrem Hippocrates affirmarit, ſi ſingulis menſibus, XXVII. tantum, aut uiginti nouem dies tribuantur, confici ea dierum ratio ab Hippocrate nobis propoſita haud quaquam poterit. ſepties enim uiginti ſeptem, centum & octoginta nouem, non ducentos ac decem conficiunt dies: aut ſepties uiginti nouem ducentos ac tres. Item in nouimeſtri partu eadẽ ac par ratio: ſi enim XXVII. nouies duxeris, ducenti quadraginta tres, non ducenti ſeptuaginta (in quibus nouimeſtrem naſci Hippocrates uoluit) reſultabunt. Vel ſi uiginti nouem nouenario numero duxeris, ducenti ſexaginta unum conficientur: quæ ratio Hippocraticæ dierum numerationi repugnat: qui ſeptimeſtrem diebus ducentis ac decem, non centum & octogintanouem naſci uoluit, uti nouem menſium, diebus ducentis ſeptuaginta, non ducentis ſexaginta uno. Quæ mihi in primis ſufficere planè uiſa erunt, ſupputationis ut rationem in geſtando fœtu (quod propoſueram) demonſtraſſe uidear. Reliquum illud eſt, ut qua ratione ſeptimeſtres uitales ſint, octimeſtres minimè (quod ultimo loco facturum me recepi) doceã. Quod

Fen 21. tertij, cap. 2.

ego, etsi antea quadamtenus ex Hippocratis sensis expressisse sim uisus, explicatius id nunc & ex professo explanare constitui. Vitalem autem ob id septimestrem esse foetum Hippocrates uoluit, quòd ratio & tempus quo enutritus in utero fuit, probè constet, ut omnium particeps sit foetus, quorum etiam perfectissimi participes esse solent. Nam cùm & robore septimestris partus plurimum ualeat, (ut qui ad perfectionis principium tum primum peruenerit: &, ut tradit Hippocrates, ipso maturescente, & robore aucto membranas quibus continetur disrumpere, exitumq; moliri satagat) & consummatus atque perfectus sit id temporis partus, si expleri uuluam eo ipso tempore contingat, egredi foetũ, eumq; uitalem esse consequens quidem erit. Itaq; Hippocrates septimestris partus uitæ, tum ipsius perfectionem foetus, tum robur ipsius, tum denique uuluæ id temporis expletionem causam esse existimat: atq; cum eo item Aristoteles, qui partum temporius quàm septimo mense prodeuntem, nullo pacto uitalem esse: eum qui septimo, hunc quidem primum uitalem exire, sed magna ex parte infirmiorem: ob id scilicet, quòd ab uteri conceptaculis egredi cupiens, uarioq; agitatu ac motu membranas diuellens, exitum sibi paret, in eoq; plurimùm colluctetur: unde infirmiorem reddi labore tanto ac fatigatione necesse est. Quod non solùm ratione, sed & experimento discere possumus, ut quos septimo mense natos nouerimus, eos cæteris infirmiores esse, & inconstantis ualetudinis cernamus. Quod testatissima ipse fide confirmare omnibus possum, qui in educando septimestri filio meo Ioanne, nullos nõ sim perpessus labores, omnesq; senserim molestias, easq; percipi ab indulgentissimo patre, & filij amantissimo possunt: adeò & pusillo corpore, & exilibus membris, & uirtute infirma prodijt, ut Dei opt. Max. singulari beneficio atque ope, potius quàm humana seruatus & altus uideri posit. In quo tamen tantum ualuit & matris in alendo proprio foetu, plena amoris charitas, diligentia, atq; industria, & lactis materni probitas, & sedula educandi cura, ut puerum (etsi imbecilla natura) produxerimus, tamen præter omnium nostramq; spem in firmiorem ætatem ut iam annum agens quartum uegetior fieri, & habitior Dei munere incipiat. Ad institutum uerò redeuntes, eas quas ex Hippocrate Aristoteleq; attulimus causas, certissimas uitæ septimestris partus esse putamus: quas & ipsas Plutarchus item autor præstantissimus, ex eorundem autorum promptuario desumpsit, atque expresit. Aristoteles (inquit) Hippocratesq; putant si uulua mensibus expleatur septem, tum denique erumpere infantes, uitalesq; nasci. Nec solùm prænarratis causis euentum eum in totum tribuere Hippocrates uidetur: sed etiam septenarij numeri pefectioni, arcanæq; cuidam in natura dignitati, ac præstantiæ suæ, cui id attributum à natura uidemus, ut maxima quæq; in natura septenario perfici numero uideamus: nempe acutorum morborum liberationem, dentium post septem annos in pueris expletionem. Quæ omnia breuiter pro solenni suo more Hippocrates sub finem libri de septimestri partu attigisse est uisus, & se alijs locis hanc naturæ necessitatem (cur septenario numero tam magna in natura dispen

*Lib. de Septi. partu.*

*Lib. de Septimestri partu.*

*7. de Natu. animalium. cap. 4.*

*Lib. 5. de placitis philosophorũ. ca. 18.*

dispensentur) declaraturum pollicetur. Alexander certè Aphrodiseus Peripateticorum post Aristotelem summus, in huius numeri perfectionem, huius rei causam reijcit: inquirens in problebatis, cur septimestres uitales sint, octimestres uerò minimè. *Sectione. 5. problematū, problemate 45.* Quòd (inquit) septenarius numerus perfectus sit, ut testatur Pythagoras & Arithmetici, & Musici: octonarius autē imperfectus: quemadmodū ne mōstruosi quidem partus diu uiuunt, Quandoquidem eorum ortus ex naturæ prouidentia non fit: sed imperfecti sint propter redūdantiam ac materiæ fluctuationem, in aliam formam conficti. Nihil siquidem imperfectum, aut tempore, aut informatione, aut ortu à natura procreatur: ideo ne diuturnum quidem est. Eduntur autem septimestres, ob ualidißimam uim in uulua informatricem: utilem atque moderatum sanguinem foetum celerius explicantem. Qui uerò decimestres è contrario, quòd perfectus decem, & septem, à natura sit numerus, uel ex eo liquet, quòd septem syderibus inferiorem mundum Deus administret, septimestres infantes dentire comperti sunt: septennes immutant, bis septennes pubescunt, ter septennes uiri euadunt, nec non morbi septenarij numeri proportione adiudicantur: itidem luna septenario numero figuratur, septimanis quoque mensis conformatur: septem etiam sunt uocales. Hæc Alexander. Plutarchus uerò libro de placitis philosophorum V. sat multa è multorum uariè sentientium opinione in hac re adfert, quæ non satis doctis auribus probari poßsint: quale illud est Empedoclis, (planè ut mihi uidetur fabulosum) septimestres ob id decimestresq; nasci, quòd initio propagationis hominū, quum primum humanum genus è terra enatum est, tantum longitudine diem fuisse ob solis segniciem, quantum nunc sit decem mensium tempus, procedente deinde tempore, tantum fuisse, quantum nunc septem mensium. *Cap. 18.* Itaq; has ob causas decimestres septimestresq; nasci, ac uitales esse. Polybus & Diocles empirici, octauum quoq; mensem agnouere genitalem, etsi languidiorem quodammodo quoniam permulti ex infirmitate perierint. Verior, & naturæ operibus congruentior, quæ ab eodem autore ex Hippocratis Aristotelisq; summorum uirorum monumentis adfertur sententia. Si uulua mensibus expleatur septem, tum deniq; erumpere infantes, uitalesq; nasci. Sin uerò nouem mēsibus expleatur, tum demum numeris omnibus suis consummatum esse partum atq; perfectum. Cur uerò octimestres uitales non sint, septimestres contrà, ad Cœli dißidentiam & congruētiam idem autor ex Mathematicorum sensis causam referre uidetur: quòd octo omnis genituræ menses dissociabiles esse aiunt, septem uerò fœderabiles. Dissociata autem disiunctaq; signa uocant stellas eas, quas œcodespotas, id est domicilij dominas nuncupant, quas maleficas nanciscuntur qui octauo prodeunt mense: quòd ab una quapiam harum, uiuendi sumant inauspicatū initium: eamq; ob rem infortunatos & minimè uitales esse. Abiūcta autē signa, nulloq; mutui conspectus commercio uincta sunt, Aries & Scorpio, Taurus & Sagittarius, Gemini & Capricornus, Cancer & Aquarius, Pisces atque Leo, Virgo & Aries. Septimestres itaq; & decimestres ob mundi concordiam, uitales esse,

octimestres ob mundi dissidentiam perire. Numerorum itaque septenarij & octonarij naturæ proprietatisq́, huius rei euentum non mathematici solùm, sed & Hippocrates ipse adscribit: quòd septenarius perfectionem quandam mirabilem à natura nactus sit, (ut suprà libro de carnibus ex eodem attulimus) & exactissimè atque elegantissimè Macrobius libro primo in Somniū Scipionis cap. VI. huius numeri septenarij (quē plenū ipse uocat) perfectionē multis rationibus demonstrat. Octonarius uerò numerus contrariam sit adeptus naturam. Cùm uerò septenarium numerum perfectum esse pronuntiamus, non ad Arithmeticorum legem id dicimus, qui eum numerum perfectum dici uolunt, qui omnibus suis partibus quibus numeratur, sit æqualis, uti Euclides IX. suorum Elementorum libro definiuit: qualis numerus senarius esse intra denarium perhibetur, cuius omnes partes totum ipsum numerum æquant. Sunt autem eius aliquotæ partes, Vnum, Duo, Tria, quæ simul iuncta senarium tantùm conficiunt numerum. Sic & uicesimus octauus infra centesimum perfectus esse dicitur, & infra mille, CCCC.XCVI. & infra decem milia VIIIM.CXXVIII. horum enim numerorum quæ ipsos numerant partes simul collectæ, integros suos numeros complent, nec excedentes, nec ab his deficientes. Qua sanè ratione perfecti esse ij numeri traduntur, in quorum albo septenarius reponi minimè potest, quum impar sit numerus, nec partes præter unitatem aliquotas ullas habeat. Verùm perfectione formæ septenarius perfectus esse dicitur, quòd impar sit numerus, qua sanè ratione ternarius numerus ab Aristotele perfectorum primus esse traditur. quoniam omne, totum, atq́ perfectum de eo in primis dici consueuerint. Quæ sanè in numeris perfectio exacta magis, plurisq́ facienda altera illa Arithmetica, (quæ ad materiam magis & partes numeri, quàm ad perfectionem & formam spectare uidetur.) Sunt enim partes, totius ueluti materia, uti II. de Physico auditu, & V. Metaph. ab Aristotele est traditum. Sed de septimestri partu iam satis. De octimestri uerò censet Hippocrates libro ad id dicato, propterea octimestres superstites minimè esse, quòd fieri nequeat, ut duas sibi inuicem succedentes afflictiones pueri ferre possint: contingit enim eos consequenter affligi, tum ea quæ in utero fit afflictione, tum ea quæ in partu accedit. Quapropter octimestrem nullum uitalem esse arbitratur. Cùm enim fœtus sæpe mense septimo exitum sibi paret, in eoq́ plurimùm colluctetur, ac non raro conatu excidat: fit, ut si nondum refectis uiribus, octauo rursum eūdem petat conatum, imbecillum fatigatumq́ egredi, oblæsumq́ frequentius intermori. Quippe cùm octaui mensis gestatio uel eiusdem Hippocratis sententia, onerosa, molesta, ac perdifficilis sit: tum matris ratione grauiter ob pueri intus conditi perturbatos motus affectæ, tum uteri incommodius se habentis, ac quodammodo ingestabile onus respuentis, si se tum temporis partio ostenteet: dupliciter inde fœtum lædi: & à proprio, quo se imbecillus præcipitat, exeundi motu: & à matris uteriq́, in quo continetur, affectu. Vnde ipsum graui imbecillitate urgeri, consequens quidem est, tandemq́ consecutione fermé necessaria interi

1. de Cœlo textu.cōm.2.

textu comme.31. Cap.25.

Lib. de octimestri partu.

interire. Nisi tamen alicubi, aut ob matris robur, temperiẽ probam, succulentumq; habitum, aut ob regionis fertilitatem, uitales esse contingat: quod in Hispania accidere Auicenna, & in Aegypto Aristoteles prodidere. *Lib. de natu. animalium. 7. de histor. ani. cap. 4.* Itaq; septimo mense uitalem gigni partum posse, ob Diuini Hippocratis Autoritatem Romanorum etiam legibus sancitum est. In lege enim, Septimo mense Digestis de Statu hominum, ita à Paulo sancitum legimus, Septimo mense nasci perfectum partum, iam receptum est, propter autoritatem doctissimi viri Hippocratis. Et ideo credendum, eum qui ex iustis nuptijs septimo mẽse natus est, iustum esse filium. Hactenus Paulus. Decimo uerò undecimoq; in lucem uenire, & multorum testimonijs, & spectatissima experientiæ fide probatur. Nam & Hippocrates libro de octimestri partu, decimestres undecimestresq; nasci conceptis uerbis testatur. Cæterùm (inquit) decimestres & undecimestres partus ex septem quadragenarijs eodem modo fiunt, uelut ex dimidio anno septimestres. Et rursus ad finem libri: Ex his igitur omnibus necessarium est, plærasq; mulieres circa plenilunium & ultra in uentre concipere, ut ducenti & octoginta dies, sæpe undecimum mensem apprehendere uideantur: tot enim dies septem quadragenarios constituunt. Nam quum ultra plenilunium mulier concipit, necesse est eum conceptum undecimum mensem attingere ac apprehẽdere, quo ad ultimum circuitum perueniat. Et Aristoteles plerasq; decimo parere, nonnullas undecimum tangere mensem testatur. *7. de Natu. ani. cap. 4.* Et ex Latinis comicis in præcipuis habitus Plautus in Cistellaria:

*Tunc illa quam compresserat*
*Decimo post mense exacto hìc peperit filiam.*

Plinius quoque idipsum affirmat, Vestiliam C. Herdicij ac postea Pomponij atq; Orsiti clarissimorum uirorum coniugem, ex ijs quatuor partus enixam Sempronium septimo mense genuisse, Gillum Ruffum undecimo, Corbulanum septimo, utrunque consulem, & postea Cæsoniam Caij principis coniugem octauo. *Libr. Natu. hist. 7. cap. 5.* Constat itaque usque ad undecimi mensis initia uentrem gestari posse. His itaq; ad rem explicandam necessarijs prælibatis, haud quaquam difficile cognitu erit, cur qui editus est infans uitalis non fuerit, etsi nihil mali intra gestationis tempus matri accidit: quòd (inquam) ducentis & uiginti quinq; diebus à conceptu genitus sit, neq; numerum haberet ad Hippocratis hebdomadas probè respondentem: qui septimestrem ducentis ac decem diebus in lucem proferri, nonimestrem uerò & decem dierum, ducentis & octoginta. Quæ ego ad propositæ rei explicationem satisfacere posse sum arbitratus: si id tantùm addidero; aliam etiam quàm hactenus tradita sit uarij hominum partus causam assignari posse, nempe genitalis seminis naturã aliam atq; aliam. Nam ut in semine quod terræ iacitur, est aliquod quod trimatu proueniat, (unde trimestre triticum rei Rusticæ scriptores uocant) aliud quod in annum fructum, maturitatemq; suam proferat: Sic esse inter hominum semina, aliud quod serius, aliud quod temporius proueniat: unde aliquos septimo mense, alios octauo, plærosq; nono atq; deci-

*Vbi suprà.* mo prouenire cernas: quod Plinius in Vestilia Herdicij, Pomponij, ac postremò Orfiti coniuge spectasse uidetur: quum ex tam multis uiris fœtum alium octauo, alium septimo, alium undecimo mense genuisse testetur. Nec dubito, quin pro ratione, temperamenti hominis, ætatis, uictus, educationis, Cœli, ac regionis, ipsa'que mulierum semen excipientium, locellorum'que uarietate, alio atque alio tempore tum fœtum in utero formari, tum gestari, tum in lucem edi contingat. Quod luculentissimè Diuinus Hippocrates in Epidemijs lib. VI. ita expressit. Labores in circuitibus, quicquid in septuaginta mouetur, in triplicitate perficitur: & quicquid in nonaginta mouetur, in triplicitate perficitur. Quam seriē & Galenus, & post eum Fuchsius doctissimè explicarunt.

*De uulnerum lethalium ratione: & quæ uulnera lethalia, quæ non iudicanda sint: & quonā pacto pro testimonio dicendū sit medicis in iudicium uocatis.*

ENARRATIO VIII.



CVM sæpenumero de uulnerum natura, ratione, euentis, & ea quam ui sua intulerunt corporibus noxa dicere pro testimonio iubente magistratu cogamur, cuius id præcipuum munus est, perditorū hominum impetus effrenem'que licentiam legum seueritate comprimere: non sum alienum ab officio arbitratus, ex probatissimorum nostræ artis professorum decretis, de omni uulnerum (sed præsertim lethalium) natura ac causis, tum etiam euentis disserere. Id ut paulò plenius rudioribus monstrarem (doctioribus enim, & quibus est domi ampla supellex, isthæc non scribuntur) quænam uulnerum lethalia habenda, quæ minimè sint: ut si quando in ius uocati, de inflictis uulneribus rationem reddere iubeamur, eos'que quorum de capite agitur, uel ex reis eximere, aut noxæ dare nostro testimonio iubeamur, præstare id arte possimus. Præstabimus sanè, si id in primis intellexerimus, qua nam potissimum ratione uulnus quodpiam lethale dici esse'que censeatur: & in quo eius ratio tota posita esse maximè uideatur: quum non omnia uulnera ad quæ mors consequitur lethalia confestim dici oporteat. Hanc autem tractationem totam methodo ut expleamus, ab ipsa nominum significatione inchoandum esse mihi uidetur: ut sciatur, quid sit id de quo quærimus. *Gal. 3. & 4. meth.* Vulnus itaque, unitatis solutionem in carne ab externa causa propriè illatam noxam afferentem continui'que partes diuellentem (si in genere uulneris nomen accipias) omnes esse uolunt. Et si enim uulneris atque ulceris nomine promiscuè, indiscriminatim'que utantur plæri'que omnes Græcorum autorum interpretes, ut omnem in carne factam continui solutionem, ulcus uocandam censeant: *Interpretum quorundā error.* in hoc tamen ualdè peccasse mihi sunt uisi, quòd ulceris nomen non tantum ab interna quapiam causa factæ in carne solutioni, quàm ei quæ ab externa causa fit, & uim corpori infert, propriè accommodare uoluerūt: uti'que plagam omnem corpori inflictam ulcus appellantes: quum si propriè magis & significanter autorum sensa interpretari uelint, non ulcus, sed

ſed uulnus potius appellabunt. Eam enim quæ à uulnerando fit in carne ſolutionem, Galenus non proprie ἕλκος, id eſt, ulcus: ſed τραῦμα magis, hoc eſt uulnus uocandum cenſuit. Eius III. Methodi hæc ſunt uerba.

*ἡ γὰρ τῆς συνεχείας λύσις, τὴν ἕνωσιν ἐπιζητεῖ. ἐπὶ μὲν ὀστῶν κάταγμα λεγομένη, ἐπὶ δὲ τῷ σαρκώδους μέρους, ἕλκος, ὥσπερ γε καὶ τὸ τραῦμα, καὶ τὸ ῥῆγμα, καὶ τὸ σπάσμα. τὸ μὲν ἐν σαρκώδει μορίῳ διὰ τοῦ τρωθῆναι γεγονὸς, τὸ δὲ ῥῆγμα καὶ τὸ σπάσμα, χωρὶς τοῦ τρωθῆναι.*

Quod eſt: Continui nanque ſolutio unitionem poſtulat: In oſſe ea fractura uocatur, in carnoſa parte ulcus: ſicuti etiam uulnus, & ruptio, & conuulſio. Atque in carnoſa parte ſolutio quædam ex uulnerando relicta uulnus dicitur: ruptio & conuulſio citra uulnerationem facta.

Quam utique ſententiam idem autor libro de Conſtitutione artis medicæ plenius tractans, ita de tota re mentem expreſsit ſuam.

*ὡσαύτως δὲ τῷ ῥήγματι τὸ τραῦμα συνεχείας ἐστὶν ἐν σαρκὶ λύσις, οὐκ ἐκ διατάσεως, ἀλλ' ἐκ τομῆς. εἰ δ' ὀξὺ καὶ λεπτὸν εἴη τὸ τιτρῶσκον, ὀνομάζεται νύγμα καὶ νύξις. εἰ δὲ βαρὺ, θλάσμα καὶ θλάσις. τῶν δὲ ἐξ ἀναβρώσεως, ὅσα μὲν ἐν ὀστῷ γίγνεται, τερηδών. ὅσα δὲ ἐν τοῖς ἄλλοις, ἕλκος.*

Quod eſt: Vulnus quemadmodum ruptura, continuitatis in carne ſolutio eſt: non ex diſtenſione, ſed inciſione profectum. Si uerò acutum & tenue fuerit uulnerans, punctura ſeu punctio uocatur: ueluti ſi graue, contuſio. Quod uerò ab eroſione oſsi accidit τερηδών, id eſt Caries, in alijs partibus ulcus appellatur.

Hactenus Galenus, qui pro philoſophi more, congrua rebus nomina adaptans, (quod artifices optimos quoſque in ſingulis artibus ac diſciplinis facere debere Plato in Cratylo monuit) cui rei uulneris atque ulceris nomen proprié congruerent, ſcitiſsimè explicauit: uulnus quidem ſolutionem continuitatis ab inciſione puncturaúe in carne factam dictitans: ulcus uerò cum eroſione. In quam item ſententiam Arabs Auicenas conceptis uerbis abijſſe uidetur, dum uulnera ab ulceribus, ſeparatis narrationibus diſcreuit, & ulcera à uulneribus plerunque gigni affirmauit, tum ab exituris ut ipſe uocat eruptis, id eſt, abſceſsibus, & à puſtulis. Vlcera (inquit) à uulneribus gignuntur, & ab exituris eruptis, & à puſtulis. Et ſolutio continuitatis in carne cùm facit ſaniem & pus, uocatur ulcus. Quod & diuinus item Hippocrates ſenſiſſe eſt uiſus dum peculiarem librum de ulceribus, qui Græcè περὶ ἑλκῶν inſcribitur: alium uerò de capitis uulneribus περὶ τῶν ἐν κεφαλῇ τρωμάτων edidit. Quin & Celſus lib. V. id tantùm propriè uulnus appellandum iure optimo exiſtimauit, quod extrinſecus læſit: Cùm facultates (inquit) medicamentorum propoſuerim, genera in quibus noxa corpori eſt, proponam. Ea quinque ſunt, cùm quid extrinſecus læſit, ut in uulneribus. Itaque Celſus eas læſiones quæ extrinſecus accidunt, in quibus noxa corpori eſt, & partium aliqua ſecatur, uulnera nuncupanda meritò cenſuit: quòd cruenta recentiaque adhuc ſint, nec dum ea uetuſtas, corruptioúe aliqua occupauit: quod ſi fiat, ulcerum nomine inſignienda idem autor cenſuit, uti eodem libro cap. XXVI. & XXVII. eſt uidere: ac proinde rectiſsimè uulnus recentiores chirurgi inter præcipuos habiti Guido Cauliacenſis, Guilielmus Placentinus, Ioannes

*Teu. quarti 4. tractat. 3. cap. 1.*

*Cap. 26.*

Ioannes Vigonius, & Tagautius meus, uir summa eruditione, magnoq; rerum usu, definisse uidentur solutionem continuitatis recentem, cruentam sine pure, seu putrefactione, in particulis mollioribus extrinsecus incidentem: uti ulcus solutionem continuitatis in carne, saniem & pus continentem.

Atq; hæc de nominum ratione: quorum uti ab ea quam faciunt imaginatione recedere ueritatis studiosum oportet, & ad ipsam rerum substantiam pro Galeni monitu se conferre: sic sanè decet nominibus propter res ipsas uti, in quorum usu claritas quasi meta spectanda perpetuò est, ut rebus ipsis congruis appositis nominibus, qui discit facilè intelligat. Vocet quis ut uolet solutam in carne unitatem, modò ulcus, modò uulnus: ita tamen ut & proprietatem obseruet, & de rerum natura nihil immutet. Vulnus autem lethale Galeno id propriè dici solet, quod suapte natura mortem ut plurimum afferre solet. Lethale enim eiusdem autoris ex Hippocratis sententia testimonio, de ijs dici consueuit, qui ex necessitate sunt morituri: uel de ijs, qui magna ex parte. Erunt igitur ea lethalia uulnera, quæ uel ex necessitate, uel ut plurimum mortem ex sua ipsorũ natura afferunt: quæ ut discriminare à non lethalibus arte possimus, eæ nobis uulnerum recensendæ differentiæ erunt, à quibus iudicium de futura salute uel morte sumi maximè queat. Petũtur autem uulnerum differentiæ præcipuè, à natura particularum in quibus consistunt, ab essentia ipsius uulneris & magnitudine, à complexu symptomatum cum uulnere coniunctorum, à proprijs item solutæ unitatis ex uulnere excitatæ differentijs. A natura partium, ut sit quoddam in similari parte: in instrumentaria aliud, & in similari: aliud quidem in molli, aliud in dura, aliud in mediocri. Molles porrò partes uocantur, caro & pinguedo: duræ, ossa & chartilagines: in medio positæ, nerui, tendones, ligamenta, arteriæ, uenæ. Quæ uerò uulnera in instrumentarijs subsunt, quædam in parte principe, nonnulla in parte principi serui̇ente, alia in uili & nullius penè momenti consistunt. In principe parte esse dicuntur, uulnera cordis, cerebri, iocinoris. Nam quæ testibus infliguntur, etsi ad speciei tutelam, in principum partium ordinem referantur, lethalia tamẽ esse non solent: quod exectis testibus uiuere hominem contingat, quod eunuchi declarant. Porrò in parte principi subministrante esse intelliguntur, quæ in aspera arteria, œsophago seu gula, pulmonibus, uentriculo, uenis, neruis, arterijs, renibus, uesica, & id genus reliquis subsunt. Quæ uiles partes occupant, nullius sunt (si à partibus iudicationem sumas) periculi.

*2.Meth.*

*5.Aphor.cōmen.2.& 6. Aphor.commen.18.*

Atq; hæc de partium uulneratarũ natura. De uulnerum autem essentia scire oportet, uulnus quoddam simplex, aliud compositum dici. Simplex id Galeno dicitur, cui nec affectus alius ullus comes est, nec symptoma, sed ipsum per se solum manet. Compositũ, quod cum alio quopiam affectu pluribus'ue coniungitur, nempe intemperie, inflammatione, cauitate, sordicie, & id genus reliquis. Itaque quod ad uulnerum essentiam pertinet quacunq; tandem in parte ipsum fuerit, quædam magna, parua alia aut mediocria esse intelliguntur. Magna, quæ ingens partis spatium quantit

*3.Meth.*

quantitatemq́ continent, quæ magno in parte diuortio facto plagam ingentem efficiant. Parua econtrà, quæ exiguam partem contingant minimumq́ labra à se deduci cogant. Breuia alia, longa, lata, mediocria, angusta, in superficie posita, profunda, æqualia, inæqualia, obliqua, recta, retorta, serrata, adunca, dirupta, quæ omnia uel ad quantitatem, seu magnitudinem uulnerum, seu ad figuram sunt referenda: perinde atq; ad situm, seu locum, quæ in principio musculi, in fine musculi, seu medio continentur. Quæ quidem differentiæ omnes, partim ab ipsius uulneris essentia, partim à proprijs solutæ unitatis ex uulnere differentijs desumuntur: uti si uulnus quodpiam intemperatum sit, inflammatum, erysipelatodes, sordidum, cauum, crucians, seu dolorosum, pruriens, cum delyrio cōiunctū, cum resolutione, cum syncopi, cum defectione, cum sanguinis profusione, cum supercrescente carne, & id genus cæteris, iam non simplex, sed compositum dici debet. eæq; differentiæ ad complexum symptomatum cum uulnere sunt referendæ. Has autem differentias omnes, huc de industria afferre uisum est, ut de uulnerum inflictorum euentis, & tutum iudicium sumere, & de tota ipsorum natura assertionē firmam præiudicatamq́ facere in ius uocati ualeamus. Nisi enim quis uulnerum essentiam atq; magnitudinem, locorum affectorum naturam, ipsiusq; patientis corporis, ad hæc symptomatum uulneribus superuenientium, & grauitatem & naturam penitius perspexerit omnem, nequicquam de uulneribus iudicare unquam poterit. Testis est diuinus Hippocrates, qui II. Prædictionum libro, qui Prorrheticon inscribitur, ea docens quibus de omni uulnerum natura atq; euentis decernere arte possimus, hanc nobis tradidit methodum.

τὸν δὲ περὶ τῶν ἑλκέων μέλλοντα γνώσεσθαι, ὅκως ἕκαστα τελευτήσει, πρῶτον μὲν χρὴ τὰ εἴδεα τῶν ἀνθρώπων ἐξεπίστασθαι, τά τε ἀμείνω πρὸς τὰ ἕλκεα καὶ τὰ κακίω. ἔπειτα τὰς ἡλικίας εἰδέναι, ὅποι ἧσιν ἕκαστα τῶν ἑλκέων, δυσαπάλλακτα γίνεται. τά τε χωρία ἐπισκέψθαι τὰ ἐν τοῖσι σώμασιν, ὅσον διαφέρει θάτερα θατέρων. τά τε ἄλλα ὁκοῖα τε ἐφ' ἑκάστοισιν ἐπιγίνεται, ἀγαθά τε καὶ κακὰ εἰδέναι. εἰδὼς μὲν γὰρ αὖ τις ταῦτα πάντα, εἰδῇ ἂν καὶ ὅκως ἕκαστα ἀποβήσεται. μὴ εἰδὼς δὲ ταῦτα, οὐκ ἂν εἰδῇ, ὅπως αἱ τελευταὶ ἔσονται ἀμφὶ τῶν ἑλκέων.

Quod est: Qui uerò de ulceribus cognoscere uolet, quemadmodum singula finient, primùm quidem eum hominum species perscrutari oportet: tum eas qùæ meliores sunt ad ulcera, tum quæ deteriores. Deinde ætates noscere, in quibus singula ulcera curatu difficilia existunt: locos itē in corporibus perspectos habere, quantum alij ab alijs differunt: sed & alia qualia in singulis accedunt, tum bona, tum mala, nosse oportet. Si quis enim omnia hæc nouerit, is sanè sciet etiam, quomodo singulorum euentus continget. Qui uerò non nouerit hæc, non nosse poterit quales fines ulcerum erunt.

Grauis, & Hippocrate sanè digna sententia, qua de omni ulcerum ratione, quæ euentura sunt, prædicere docemur. Quod sanè fiet, si & hominum species, hoc est naturas atque habitus, ad perferēda uulnera idoneas, aut secus, fuerimus contemplati. Aetates item, locos in quibus uulnera consistunt, superuenientia uulneribus symptomata: quæ cuncta summa

esse

eſſe attentione à medico ſpectanda, & animaduertenda, (ut ex quorum contemplatione & recta medendi uia, & certa præſagiendi ratio enaſcatur) belliſsimè nos Hippocrates monet. Species autem in primis hominum ſpectare iubet: quòd uariæ eæ, infinitæꝗ quodãmodo quum ſint, ſic & uarios præbent tum iudicandi, tum curandi ſcopos. Qui enim robuſto ſunt corpore, ſolidis ac bene compactis mẽbris, inuicto animi robore, ij etiam grauiſsima uulnera perferunt, ab illisꝗ haud magno negotio leuantur. Vnde etſi alioqui per ſe difficilia ſint, quæ ſæpe huiuſmodi corporibus uulnera infligũtur, malaꝗ ad ea plerũꝗ ſymptomata ſequãtur, ut morituros planè iudices: ſuperant tamen omnia naturæ ac uirium robore, animiꝗ firmitate. Vires enim ubi ualentes ſunt (inquit Galenus) omnia contemnunt, ac tolerant: ubi infirmæ ſunt, uel abs quouis offenduntur. Aetates uerò, quòd pro harum ratione ſeſe aliter atꝗ aliter uulnera in corporibus habeant: quæ grauia difficiliaꝗ in ſene, puero'ue ſunt cenſenda, ea uix mediocria in iuuenibus iudices: niſi ex eorum genere uulnera ſint, quæ omnino lethalia dicuntur. Locorum uerò eò utilis atque neceſſaria eſt conſideratio, ut quæ uulnerum ſalutaria ſint, quæ lethalia, quę periculoſa diſtinguere ex ipſis locis poſsimus. Quæ uerò uulneribus uel ſtatim illatis ſeſe coniungũt ſymptomata, uel paulò pòſt ſuperueniũt, de uulnerum malignitate, uarioꝗ euentu iudicium præbent, ac proinde ſumma cura eſſe à medico ſpectanda rectiſsimè nos Hippocrates docuit. Si quis enim ſecundum caput uulneratus, confeſtim ſine uoce, ſine ſenſu fiat, totusꝗ conuellatur, bilimꝗ uomat, ſanguinem de naribus fundat, quomodo non hunc & in cerebro, membranis'ue eius uulneratum eſſe, & breui moriturum dicemus? Ac proinde rectiſsimè illud dixiſſe Hippocrates eſt uiſus, Veſica diſciſſa, aut cerebro, aut corde, aut ſepto, aut aliquo ex tenuioribus inteſtinis, aut uentriculo, aut iecore, lethale. Qua quidem ſententia, uulnera lethalia à ratione partium ſumpta, enumeraſſe uidetur: quæ recenſens Latinus illius interpres Celſus, ad hunc modum quæ uulnera inſanabilia eſſent expreſsit: Seruari non poteſt (inquit) cui baſis cerebri, cui cor, cui ſtomachus, cui iocinoris portæ, cui in ſpina medulla percuſſa eſt, cuiꝗ aut pulmo medius, aut ieiunũ, aut tenuius inteſtinum, aut uentriculus, aut renes uulnerati ſunt: cui'ue circa fauces grandes uenæ uel arteriæ præciſæ ſunt: Difficilem porrò curationem habent, uixꝗ ad ſanitatem perueniunt, quibus ulla parte pulmo, aut iecinoris craſſum, aut mẽbrana quæ continet cerebrũ, aut lienis, aut uulua, aut ueſica, aut ullum inteſtinum, aut ſeptum trãſuerſum uulneratũ eſt. Hi quoꝗ in præcipiti ſunt, in quibus uſꝗ ad grandes, intusꝗ conditas uenas in alis, uel poplitibus mucro deſcendit. Periculoſa etiam uulnera ſunt, ubicunꝗ uenæ maiores ſunt: quoniam exhaurire hominẽ profuſione ſanguinis poſſunt. Idꝗ euenit non in alis tantum, atque poplitibus, ſed etiam in his uenis quæ ad anum, teſticulosꝗ perueniunt. Præter hæc malum uulnus eſt, quodcunque in alis, uel fœminibus, uel inanibus locis, uel in articulis, uel inter digitos eſt. Item quodcunꝗ muſculum, aut neruum, aut arteriã, aut membranam, aut os, aut chartilaginem læſit. Tutiſsimũ autem omnium quod in

10.Meth.

6. Aphor.18.

Lib.5.ca.26.

in carne est, & hæc quidem loco uel peiora, uel meliora sunt: modo uero periculum facit, quodcunque magnum est. Magna autem uulnera (quæ appellare discissiones Hippocrates consueuit) lethalia esse dixit Galenus. *6. Aphor. cōmen. 19.* Nec solum quæ commemorauimus, ex locorum uulneratorum differentijs obseruare oportet, ut tutum de uulneribus iudicium sumamus: sed & uulneris modos, figuras, percussionis uim, telorum naturam, & inferentis robur. Vulnerū enim infiniti penè modi sunt, ut antea diximus. Peius id est quod collisum, quàm quod tātum discissum est, ut acuto, quàm retuso telo uulnerari minus malum sit. Serrata uulnera, & inæqualia, in quibus pars dissecta est, pars semi auulsa dependet, in malis habēda sunt: ut pessima censenda plaga, quæ in orbem est: tutissima, quæ lineæ modo recta est. Quæ à uehementissimis telis, uti missilibus, hamatis, aduncis, rostratis, latis, & magno intentoque impetu actis, uti saxa, & globi, quæ à bellicis tormentis, ignis & pulueris tormētarij ui eiaculantur. Quæ item à sagittis uulnera infligūtur, plærunque grauia, difficilia, insanabilia esse solent: quòd & magnas suapte natura ob impetum discissiones facere soleant, & penitius in corpus agantur. Quæ uerò tantum ab incidentibus, non autem mucronatis gladijs inferuntur, periculosa minus esse consueuerunt: omnis enim à mucrone punctio, grauis plærunque, & periculosa esse solet.

Verùm quum ex uulneribus, quæ quidem externis in partibus consistunt, & oculis subiecta sunt, ea quidem discerni facilius curarique promptius à medico possint: quæ uerò imis in sedibus, neque curari facilè, nec discerni commodè queant: interfit autem plurimum, quà uulnus penetrauerit, quātumque penetrauerit nosse: necessarium uisum est notas subijcere, per quas quid intus actum sit scire possimus: ut inde uel spem, uel desperationem de salute concipere ualeamus.

*Internarum partium uulneratarū notæ.*

Vulneratum porrò cor indicant inflictum secundum pectus è regione sinistræ mammillæ uulnus, à quo confestim sanguis multus, feruentissimus fertur: uenæ cōcidunt, pallor occupat, animi prompta crebraque defectio, frigidi sudores, extremarum partium frigus, repentina maturaque mors.

Cerebrum, membranas'ue eius uulneratas indicant, sanguis per nares aures'ue, accepto in caput uulnere manans, ferèque bilis uomitus insequitur, sensus obtunduntur, hebetatur uisus. Quorundam oculi quasi resoluti huc atque illuc mouentur, ferèque tertio uel quinto die delyrium sequitur: plærisque nerui distenduntur, alios resolutio infestat, nonnullos uox deficit, ac penitus muti fiunt. Febriunt, uigilant autem, qui & delyrio capiuntur, & calidiore sunt temperamento: soporantur autem, qui frigidam & humidam sortiti naturam uentriculorum cerebri stipatione & obstructione à uiscidis & crassis succis tenentur.

Iocinoris autem uulnerati indicia sunt, acceptum sub hippochondrio dextro uulnus, à quo multus profunditur sanguis, ad spinā reducta præcordia, in uentrē cubandi dulcedo, punctiones doloresque ad iugulum usque atque scapulas, intentum os, & bilis nonnunquam uomitus, tussis irrita.

s Pulm

Pulmonem ictum indicant grauis ſpirandi difficultas, ſanguis ex ore ſpumans, ex plaga ruber, ſpiritus ex imis cum ſono fertur, in uulnus inclinari iuuat. Pleriq; in ipſum uulnus inclinati loquuntur, in aliam partem obmuteſcunt.

Icto uentriculo ſingultus, & bilis uomitus inſequuntur: ſi quid intrò cibi uel potionis aſſumptum eſt, id redditur citò: uenarum motus elangueſcunt: ſudores leues oriuntur, per quos extremæ partes frigeſcunt: cibus & potio per uulnus exeunt: præcordia indureſcunt: quæ ferè etiam notæ ieiuni inteſtini uulnera ſequuntur.

Si uerò craſſa inteſtina læſa ſint, ſub umbilico uulnus conſtat, ſtercusq; egreditur.

Spina uerò diſſecta, ſi altius uulnus ſit, ut ad medullam pertingat, nerui reſoluuntur aut diſtenduntur, ſenſus intercidit: interpoſito tempore aliquo ſine uoluntate inferiores partes, uel ſemen, uel urinam, uel etiam ſtercus excernunt.

At ſi ſeptum tranſuerſum percuſſum eſt, præcordia ſurſum contrahuntur, ſpina dolet, ſpiritus rarus eſt, ſanguis ſpumans fertur.

Vulnerata autem ueſica, dolent inguina, quod ſuper pubem eſt, intenditur: pro urina ſanguis, aut ex ipſo uulnere urina effertur: ſtomachus afficitur, bilem tum uomunt aut ſingultiunt: frigus, & ex eo mors ſequitur.

*Vt medicis coram magiſtratu pro teſtimonio dicendum.*

Has notas, quæ ſedes uulneratas demonſtrant, & diligenter attendere, & penitius contemplari oportet: ut per quas de affectis ſedibus iudicium facere, & de futuro uulnerum fine ſententiam ferre arte ualemus. Itaque qui rectè de lethalibus uulneribus apud magiſtratum pro teſtimonio dicere cogetur, eum in primis uulneratos locos deſignare, tum quàm altè telum penetrarit, & num punctim, num cæſim uulnus illatum ſit explicare, ex uero'q; enarrare oportebit. Ab hinc quæ uulneribus ſymptomata, & quoto quæq; die acciderint, de ſcripto notare: habent enim uulnera præſertim lethalia, & alioqui magna decretorios ſuos dies inſtar acutorum morborum, ita tradente Hippocrate ſecundo Prorrhetici, in quibus bona uel mala accidere ſoleant. Tum & illud in primis poſt hæc explicandum, quo die ab accepto uulnere ſequuta mors fuerit. Sunt enim certi quidam à legunlatoribus conſtituti dies, intra quos inſecuta mors uulneribus ſit adſcribenda, reusq; talionis (ut ipſi uocant) pœna damnandus. Poſtremò adhibitam in curatione methodum recenſeat, nihil omittens in genere eorum quæ in ægri opem atque ſalutem præſcripta ſunt: ne quem uis morbi & mala ſors peremit, medici aut ignoratione, aut negligentia perijſſe uideri poſsit. Sed omnium maximè, eum qui pro teſtimonio dicit, animum ab omni affectu perturbationeq; liberum uacuumq; habere oportet. Deum factorum noſtrorum & animi inſpectorem nobis adeſſe, uel improbitatis noſtræ uindicem & ultorem, ſi contra ueri æquiq; legem ſententiam tulerimus: uel fautorem & approbatorem bene conſtitutæ mentis, pro ueritate ſteterimus. Cui uni tantum innitendum, pro hac fortiter conſtanterq; pugnandum, boni ſemper uiri eſſe, à philoſophis

*Guido cap. de uulne. capitis.*

*Veritati ſemper innitendum.*

ſophis

sophis omnibus est existimatum. Magnum enim scelus est, & impietati proximum, eum qui legibus uindicari à mortis culpa possit, testimonio tuo mortis reum facere, uel quem ob illatum lethale uulnus sacrosanctæ leges sicariorum pœna damnarunt, uelle illæsum seruari. Talionis enim pœnam non iure solùm XII. tabularum, sed diuina etiam lege constitutam esse legimus, Exodi XXI. & Deuteronomij XIX. de pœna sycophantiæ & calumniæ: Non misereberis eius, (impij scilicet) sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente exiges. Talionis autem pœnam XII. tabularum legibus optimè constitutam, prætorij iuris clementia postea reuocatam esse Auli Gellij lib. XX. cap. 1. Noctium atticarum assertione legimus. Eius reuocationis duas idem autor præcipuè causas assignat: legis incommoditatem, & rependendæ pœnæ, id est, retaliandæ difficultatem. Sed hæc ad iurisperitos pertinent: nos nostra, hoc est, medici medica tractemus. Cùm itaq; de uulneribus à medico tractatur, ea si ex lethalium genere sint, & ad ea sequatur mors, ritè ad curationem adhibitis auxilijs, ipsoq; ægro medicorum consilijs præscriptisq; obsequente, mortem uulneribus adscribēdam esse testari apud magistratum certò poterit. Sin ex lethalium suprà enumeratorum ordine non fuerint, & ad ea tamen insequuta mors fuerit, uulneribus adscribi ea mors minimè debet: sed aut in humorum corporis malignitatem, aut malum laborantis corporis habitum, aut uirium imbecillitatem, aut parum cautam uictus rationem ab ægro seruatam, aut in aliquid tale quod mortem ciere potuerit, uulnerisq; naturam alioqui minimè lethalem peruertere, rejci mors ea sanè debebit. Ab omnibus enim cuiusuis generis uulneribus, mori homines contingit, ita tradente II. Prorrhetici Hippocrate. *Vide Hippo. 2. Prorrheti-ci.* Euenit autem non raro (ut idem ait) uulnera quædam in locis uilibus ac non malis esse, & nulla re grauia uideri: sic tamen dolore affligere plagam ut respirare ægri non possint. Quidam in uulnere quod graue nulla re erat, delyrio & febre affecti mortui sunt, ut idem affirmat. Quos quidem euentus admirari non oportet, neq; formidare, quòd corporum temperaturæ, & corpora hominum, ipsiq; adeò corporum habitus plurimum inter se differant, uel eiusdem Hippocratis testimonio, & uim maximam uel in seruando, uel perdendo ægro habeant. *Vbi supra.* Quæ causa est, cur à grauibus penèq; lethalibus uulneribus, nonnulli euadant: à leuissimis & nullius momenti alij moriantur. Testatur id abundè diuinus autor Hippocrates, qui septimo Popularium morborum, plerosq; à leuibus uulneribus decessisse testatur. Theodori cuiusdam filium ex denudatione iuxta os nullius momenti, uigesima tertia die perijsse affirmat. Magnæ nauis gubernator quidam, cùm anchora digitum medium, & os dextræ manus confregisset, inflammatione & conuulsione sequuta, tertia die mortuus est. Harpali filius ex liberta Telephane, luxato pedis pollice, atque reposito, ubi dolor remisisset, ex agro rediens in conuulsionem incidit, tertio die mortem obijt. Thrinon Damonis filius, ex ulcere in malleolo, in opisthotonon ui pharmaci erodentis incidens, decessit. Philes filio denudatione in fronte facta, nona die febris, ossis decoloratio & liuor, tan-

dem mors conſequuta eſt. Hæc de exiguis uulneribus, ad quæ mors ſequuta eſt, ab Hippocrate prodita. Nonnullos porrò ingentibus uulneribus malè affectos, ſeruatos tamen eſſe, idem ipſe abundè eodem loco teſtatur. Bello quidam (id enim uulnerato nomen fuit) in dorſum percuſſus, ut ſpiritus multus per uulnus cum ſtrepitu prodiret, ſanguisq; copioſus funderetur, congruis auxilijs ſanus euaſit. Puerum in Smyrna Ioniæ ad alterum uſq; anteriorem cerebri uentriculum uulneratum, atq; ſanatum uidiſſe ſe V I I I. de Vſu partium teſtatur Galenus. Quin & ſæpius uulneratum cerebrũ ſanatum ſe uidiſſe idem autor V I. Aphoriſmorum, Aphoriſmo X V I I I. uiuente adhuc præceptore Pelope teſtatur. Marylli mimographi puerum, ex oſsis pectoris ſideratione, nudatum cor apparuit. Exciſo thoracis quod putruerat oſſe, cordis autẽ inuolucrum cùm computruiſſe ex oſsis proximi ſideratione inueniſſet Galenus, malam de puero ſpem habere cœpit: is tamen præter ſpem, breui temporis ſpatio curatus fuit. Quæ ſanè hiſtoria V I I. Anatomicarum adminiſtrationum recenſetur. Sed quid alienis inſiſto? cur uiſa non repeto? Patris mei famulus à pedibus, adoleſcens annorum ſexdecim, optimi corporis habitus feliciſq; tẽperamenti puer, cùm uino madens è ſublimibus ædium noſtrarum feneſtris ſomno grauatus cecidiſſet, uniuerſam fermè caluariam fregit, moxq; ſine uoce, ſine ſenſu factus, & pro deplorato à Falcone, Griffio, totoq; medicorum ac chirurgorum collegio (quod frequens tum Monſpeſſuli erat) habitus, uix tandem à patre rogati curam ſuſcipiunt, fracta caluariæ oſſa terebris auferunt, ita ut dura menynx ſecundum uerticem capitis, latusq; ſiniſtrum uniuerſa fermè conſpiceretur, motusq; cerebri conſpicuè appareret, ægerq; tandem reſolutus ac mutus effectus, moriturus in horas à nobis credebatur: euaſit is tamen ſanus & incolumis, præter quàm quòd cæcus effectus eſt. Tantum ego, tamq; admirandum operum naturæ ſpectaculum domi meæ apud Monſpeſſulum circiter annum X X I I. ſupra ſeſquimilleſimum & uidi, & curationis non ſolùm teſtis, ſed & adminiſter fui: utiq; iam tum primum ſacris medicinæ initiatus. Quid contrà, ab exiguo, & planè deſpicabili uulnere in uolam ſiniſtræ manus accepto, quod uix ſubditam cuti carnem contingeret, Ludouicum Viues ſenatorij ordinis hominem, ea in curia, quæ apud Monſpeſſulum eſt, quam uulgò generalium uocant, intra ſeptimum diem conuulſione de repente oborta concidiſſe uidimus? Auenione Marcum Sobiratium, ſpectatæ uirtutis, ac ſummæ ſpei iuuenem, ex calcanei uulnere leuiore quàm ut quid mali ex eo ſperaretur, mortuum X V I I. die accepimus, quo tempore eo ex loco digreſſus, in aula agerem. Quendam accepi pugno in faciem illiſo, mox concidiſſe eo in pago, cui la Voulte nomen eſt. Alium refert Manardus Epiſtolarum medicinalium lib. V I. Epiſtola I. ex duobus leuiſsimis uulneribus ſecundum frontem acceptis, die X I I I I. mortuum eſſe, quum tamen lethalia ſuapte natura non eſſent uulnera, ut quæ uix dum cutem tranſcenderent, & à leuiſsimę cathenæ ferreæ annulis eſſent inflicta. Antonius Beniuenius ſummi ingenij ſummæq; eruditionis uir, libro de Abditis morborum cauſis,

*Hiſtoria notatu digna.*

*Hiſtoriæ uariæ.*

cap.

cap. LXV. quendam in cordis tunica ictum conualuisse, & à se magno negotio atque difficultate curatum fuisse testatur. Tum quendam colapho impacto statim in attonitum morbum incidisse, uitamque cum morte commutasse, cap. ultimo. Et Fullonem quendam adeò uiolenter pugno cuiusdam iuuenis stomachum percussisse, ut statim conciderit. Quid autem Plinij & Valerij Maximi summorum uirorum testimonia desero? Q. Aemilium Lepidum incusso pollice limini cubili expirasse: Caium item Aufidium in senatum proficiscentem, offenso pede in comitio mortem obijsse, Plinius certissima fide testatur. Nimius profectò sim, si inopinatas ex contemnendis uulneribus mortes recenseam: quæ eò à me in præsens de industria adlatæ sunt, id ut planum facerem, non omnia uulnera ad quæ mors consequitur, etiam citra ægri aut medici culpam, lethalia censeri debere. Sunt enim quidam (ut ait Galenus) qui à minimi digiti offensa grauiter læduntur, alij qui fortissima uulnera animi constantia, & uirium corporis robore perferunt: unde illud ab eodem rectissimè x. Methodi dictum est, Robustas uires omnia ferre: imbecillas à minimis etiam offendi. Itaque si quid tale accidat, ut ex non lethali uulnere mori quempiam contigerit, (si modo uulnus ipsum alioqui probè à medico tractatum, & neque loco, neque magnitudine sua, aut ex teli natura, aut inferentis ui in eorum ordinem quæ suapte natura lethalia sunt referatur) mortem eam non ex uulnere, sed mala potius ægri temperatura, malo corporis partis'ue habitu, succorum malignitate, aut uitio, imbecillitate partis, aut ægri inobedientia accidisse existimandum est. Quibusdam enim ob malum corporis habitum ulcera non sanescunt. Vnde illud appositè ab Hippocrate pronunciatum legimus: Aqua inter cutem laborantibus ulcera in corpore facta difficulter sanari, quòd uitiosis succis redundans corpus habeant: Quòd quum siccari ulcera postulent, ipsi humore nimio madeant: ac simili ratione de reliquis uitiosis corporum habitibus est iudicandum. Quæ mihi in præsens ad propositæ enarrationis explicationem abundè sufficere sunt uisa.

*7. Naturalis hist. cap. 53.*

*6. Aphor. 2.*

*De risus natura, & causis, & ad quam potissimum partem referri debeat: quidque ab eo consequatur.*

## ENARRATIO IX.



CVM pauca omnino sint ea, quæ de risu à classicis medicinæ autoribus in hanc usque ætatem monumentis prodita, tantæ rei explicare naturam possint: siue Græcorum, siue Arabum, siue etiam Latini orbis autorum scripta requiras: tanta uerò animaduersione res ipsa mihi sit uisa, ut nihil ferè quicquam ex corporeis functionibus risu admirabilius spectari usquam possit: operæpretium facturum me sum arbitratus, si de omni risus natura, affectione, ac causis, quæ huic negotio tanto congruere uidebuntur explicatius (aduocatis ad partes præcipuis autoribus, quantum quidem ex eorum scriptis hac de re excerpere potuimus, etsi pauca ea

omnino sunt) enarrauero. Cùm enim risus & propria maximè sit hominis affectio, uel Porphyrij censura: nec cuiquam alteri inter tot animantium genera quàm uni tantùm homini conueniat, ac ingenti quodam pene inenarrabili motu corpus uniuersum quatiat, animiq; gaudio ac lætitia exultãtis certissima nota sit, magnum quiddam id esse omnino oportet, magnarumq; uiriũ, quod tam ualidos in corpore ciere motus possit.

*Lib. de quinque uocibus. cap. de proprio.*

De risu igitur tria potissimùm sunt quæ quæruntur: Vnum, quid sit: alterum, unde sit: tertium, cuius partis affectio sit. Atq; illud primùm, quæ risus natura essentiaq; existat continet. Secundum, quo pacto risus concitetur, unde tam repentè emanet, atq; ita sæpe erumpat, ut eum cupientes tenere, nequeamus: & quomodo simul latera, os, uenas, uultum, oculos occupet. Tertium, quæ nostri corporis pars per risum affici propriè ac maximè uideatur. Quæ etsi difficillima, ut certè sunt, haberi abs quouis possunt: nos tamen quantum quidem per ingenij nostri mediocritatem licuerit, ea explanare: & quàm sint clariora facere adnitemur.

Vt autem omnis risus natura explicari commodè possit, prælibanda quædam censeo, sine quorum cognitione risus essentia intelligi nequicquam potest. Ea autem sunt, animi partes nosse, ut à cuius partis imperio atq; motu affectio hæc in nobis oriatur, sciri possit: tum, quæ præcedere affectum hunc, qui risus dicitur, necessariò habeant: & num in actione & motu, num potius in eorum genere, quæ subsistere dicuntur, illius essentia posita sit. Quibus sanè explicatis confestim ipsa risus natura sese ipsa prodet. Animum itaq; Plato in duas potissimùm partes seiunxit, quarum alteram rationis participem, alteram expertem facit. Cum quo sensisse Galenus cùm V. tum IX. de Hippocratis & Platonis decretis plena fide est uisus, dum easdem quas Plato animo tribuit partes. In participe itaq; rationis parte ponunt eam animi affectionem, quam ipsi Græco more εὐθυμίαν, siue γαλήνην, nos trãquillitatem dicimus, id est, placidam quietamq; constantiam, qua sibi consentit animus, nec in ullam rapitur partem: in illa altera motus turbidos & irrequietos tum iræ tum cupiditatis rationi sæpe contrarios & inimicos. Itaq; quum natura duce, omnes ea quæ bona nobis uidentur sequamur, fugiamus contraria: efficitur, ut ad id adipiscendum, quod bonum uideatur, sponte nostra ducamur: atq; id adepti, in eo conquiescamus, & adeptos esse nos gaudeamus. Id autem fit interioris in nobis facultatis munere, quum æstimatiua nostra potentia ubi obiecta boni species est, ad illam toto impetu fertur. Itaq; cùm ita mouemur ut in bono esse aliquo nobis uideamur, dupliciter id contingit: placidè inquam atq; constanter commoto animo, uel inaniter & effusè. Si placidè ac moderatè, id est, cum ratione animus præsens concipiat bonum, affectio ea gaudium dicitur: quum autem effusè & impetu quodam, tum illa lætitia gestiens, uel nimia dici potest. Ad eam igitur animi partem risus referri commodè potest, quæ tota in affectibus posita, bonum à malo discernere potest: illudq; prosequi, hoc uitare. Insitum enim nobis à natura est, ut quæ bona sunt amplectamur, noxia repellamus. Quamobrem cùm boni speciem concepimus, mox animi iudicio in id ferimur,

*4. & 9. de Repu.*

*Gaudiũ quid.*

*Lætitia gestiens.*

rimur,& adepti ualde lætamur: ad quam sanè lætitiam, risus, ceu internæ animi affectionis certissima nota, & ueluti index consequitur. Hinc naturæ prouidentia admiranda spectari ab emunctæ naris homine potest, quæ certos quosdam nobis indidit in corpore motus, qui quid intrò in animo geramus uel concepti gaudij, uel mœroris, ipsi abundè explicent. Horum unus uel præcipuus risus est, qui conceptam animo ob præsentis cuiuspiam boni opinionem, lætitiam oris ac laterum motu ac diductione quadam exprimit. Præcedunt autem necessariò risum (quod secundo loco dicturos nos proposuimus) tum boni alicuius consequutio, tum interna animi lætitia, eius boni adeptionẽ cõsequens: quæ & ipsa demũ ceu sui indicem ac nũtium, animi imperio risum parit. Itaq; sese inuicẽ motus ij consequũtur, ut primùm quidẽ naturæ ductu ad boni cuiuspiã adeptionem moueamur, adepti gaudeamus, gaudentes autem & lætitia perfusi, in risum erumpamus. Duci autem nos ad bonũ Aristotelis sentẽtia constat, qui omnia bonũ appetere primo Ethicorũ indubia fide astruxit. Lætari autem ex boni indeptione eò accidit, quòd gaudium seu lætitia (ut rectè Auicenna tradidit) est appræhensio propriæ cuiusq; perfectionis ab aliqua uirtute appræhensiua. Vnde fit, ut in sensuum functionibus si rectè obeantur, plurimùm lætemur, ut cùm gustu dulcia & iucunda percipimus: auditu, quum temperatos sonos atq; uoces: olfactu, quum odorata: uisu quum medios colores intuemur: quòd ab ijs moderatè occurrentibus perfici nos sentiamus. Est enim facultatis cuiusq; in nobis perfectio, functionis integritas, ut in appetitrice facultate declaratum mox à nobis est. Idemq; in irascibili euenit. Victoriæ enim adeptio, eius potentiæ perfectio ac finis est: ac proinde parta de hostibus uictoria ualde lætamur. In superiore quoq; animi parte, qua ratiocinamur & intelligimus, haud dissimile accidit: cùm enim acri animi intentione ueritatem in abditissimis rebus inquirimus, eamq; tandem consequimur, mirificam ea res nobis lætitiam parit: quòd, ut idem Auicenna ait, unicuiq; in nobis facultati sua sit perfectio, quæ illi sit congenita, ac naturalis: & à qua (si modò eam adepti sumus) lætamur: ut malè sentire hac in re Nicolaus Florentinus, uir alioqui in re medica (ut sua ferebant tempora) summus, mihi uideatur: qui gaudium non consequi meditationem, seu ut ipse loquitur, actum purè speculatiuum impudenter ac temerè dixerit: cùm si rem recta reputemus uia, nullibi uberius gaudium proueniat, quàm ubi meditatione, & mentis in abditissimis quibusq; rebus agitatione, ueritatem sumus adepti. Vnde enim uoluptas maior, quàm ex ueritatis cognitione, per quam & scientes & prudentes euadimus? Falsum & illud quoq;, quod ab eodem autore affertur, in actu purè speculatiuo, (ut eius ipsius uerba referam) qui est de rebus non habentibus bonum, neq; causam finalem, delectationem non inesse. Nam intentio illa animi ad ueritatem indagandam (qui actus purè speculatiuus à barbaris, & ipsomet Nicolao dicitur) finem certè habet atq; scopum, eumq; optimum: nempe ueritatem in rebus, hoc est, cuiusq; rei in sua ipsius essentia notionem. Hæc est enim ueritas in rebus, sua cuiq; essentia atq; natura. Itaq; functio illa, res ut sunt

*Lib. de uiribus cordis capit. 4.*

*Vbi suprà.*

*Sermone 1. tract. 2. cap. 36.*

*Veritas in rebus quid.*

contemplandi, & bonum habet, & finalem etiam causam: nempe rerum
ut sunt cognitionem, ipsamq; adeò ueritatem. Adde, quòd nullus inue-
niri actus potest, functio nulla, siue illa ad superiorem animi partem, siue
ad inferiorem pertineat, cuius non sit unus aliquis finis in quem functio
dirigatur. Finis enim est, cuius gratia reliqua fiunt, ut rectè à Platone &
*3 Metaphor. cap. 2. & 2. de Physic. au ditu. cap. 3.* Aristotele traditum est. Habet igitur intenta illa animi ad ueritatem in-
dagãdam speculatio, bonum ipsum pro scopo ac fine: ueritatem inquam
ipsam rerum, quas meditando contemplamur, contrà quàm senserit Flo-
rentinus. Sed eo in suo errore relicto, ad institutum redeamus: si modò id
prius ad nostrorum robur dictorum, ex Aristotelis primo Rhetorico-
rum cap. XXX. sententia adiecerimus, Mentis agitationẽ qua quippiam
discimus, iucũditatem uoluptatemq; adferre. Addiscere quoque (inquit)
& admirari iucundum est ex parte magna. Quid uerò discere sit, paulò
*Discere quid.* pòst explicans, subdit: Discere uerò est, naturæ perfectionem & nume-
ros assequi, & propterea idem autor inchoata absoluere iucundissimum
esse, eodem ipso loco censet: propterea quòd res quæ perfecta non est,
*Sapiẽtia quid* quasi opus eius efficitur qui manum extremam imponit. Sapientem item
haberi, iucundissimum statuit, quòd sit uidelicet sapientia, multarum re-
rum & admirabiliũ scientia, per quam cæteris præstantiores melioresq;
habemur. Vnde constat in sapientia, doctrina, & uaria rerum cognitio-
*Cicer. 1. offic.* ne summam subesse uoluptatem: quæ, ut Plato & Cicero tradunt, mira-
*30. Problematum secti. problem. 6.* biles sui in nobis excitet amores. Nec huic meæ assertioni ea Aristotelis
sententia pugnat, qua in problematis astruere uidetur, speculantes nos
non gaudere. Nam etsi uerum est, Rerum earum, quæ natura lege incom-
mutabili tales esse uoluit, ut aliter se habere nequeant, conditionem eam
esse, ut suapte natura nos non oblectent: eæ tamen res, suæ tantummodo
rationis contemplatu nos alliciunt & oblectant, ut cum triangulum duo-
bus rectis pares angulos inter nos habere speculamur, nihil sanè in eo de-
lectamur, ut bellè eodem loco Aristoteles: quòd scilicet siue duos, siue
plures æquales habeat angulos, ipsa quidem res delectationem ex se nul-
lam affert: uerùm eius rei contemplatio, delectationem parit, quòd cer-
titudo demonstrati thematis, ueritatisq; inuentio nobis sit maximè iucun-
da. Et propterea eo in problemate, rectè Aristoteles adiecisse uidetur, nisi
fortè in speculatione ipsa delectandum sit: quasi uelit, ea quæ suapte na-
tura aliter se habere non queunt, qua talia quidem sunt, nos non oblecta-
re: sed quatenus eorum naturam speculantes ueritatem rimamur: quod
quidem ipsum longè expresius Plato in Protagora explicasse uidetur.
Gaudio (inquit) afficitur ille, qui discendo & contemplando ipsa intelli-
gentia delectatur. Quamobrẽ magis in eo nos oblectari contingit, quod
à consilio nostro & opera, quàm quod mentis agitatione conficitur. Ac
proinde, si ingens aliquid nostro consilio aut opera effectum sit, ea ex re
magis lætamur, quàm si omnes Geometricorum thematum demonstra-
tiones, omnes naturæ motus fuerimus alta mentis indagine contemplati.
Vicisse itaque Olympicis ludis, aut apud Salamina nauali pugna hostes
superasse, (quod Aristoteles citato loco tradit) delectationem secum ma-
ximam

ximam afferant: quòd in actione posita, & consilio nostro, prudentiaq;, & militaris artis peritia effecta, autores suos multa laude & gratia (qua omnes trahimur & impellimur) cumulent. Rerum enim gestarum & speculationis, per quàm sanè diuersa ratio est. Indeq; efficitur, ut quæ ab rebus gestis profecta sunt, lætabilia in parte, (si feliciter ea ceciderint) in parte tristia, si incommodè eueniant. Omnia autē lætitiæ tristitiæ'ue ratione aut uitamus, aut persequimur. Atq; ex ijs patere abundè arbitror, quatenus in speculatione, quatenus item in actionibus, quæ delectu à nobis fiunt, delectatio contingat: item & qui animi motus risum præcedere, quasi causa effectum debeant.

Superest ad risus explicandam naturam, ut quo in genere entis reponi debeat explicemus: quum entium quædā sint, quorum ratio tota in fieri, (ut medici loquuntur) posita sit: quædam quæ uerè subsistant, & de permanentium genere censeri debeant. Illa philosophi succedentia uocant, qualia sunt uox, sonus, actio, motus: quorum scilicet nullam est dare manentem & stabilem partem: sed tantisper esse dicuntur, dum fiunt. Hæc cōstantia & permanentia, ut quæ firmam habeant stabilitatem atq; constantiam: ut affectus omnes, qui cessante eorum unde nati sunt causa, ipsi per se subsistere queunt. Itaq; risus, quum motus quidam sit, ut paulò pòst à nobis monstrabitur: consequens est, ut de genere pathematum & succedentium, non autem permanentium esse dicatur. Quicquid enim in actione & motu positum est, idipsum permanens esse nullo pacto potest: quum tantum tunc sit, cùm in motu subsistit. His autem prælibatis, consequens quidem est, ut risus naturā definitione comprehensam paulò plenius explicemus. Risus itaq; naturam inter Pœnos medicos celebris semper habitus Isaac Israëlita definitione explicare primùm omnium aggressus est. Nam ex Græcis, nemo quisquam, ut qui de tota hac tractatione uix sint leui opera locuti. Is itaq; Risum ad hunc definiuit modum, ut sit tremor quidem & sonus musculorum thoracis ex sanguinis feruentis in eas partes sublatione, naturæ agitatione ab animi motu concitatæ, cùm id quod lætitiam affert in animum inciderit. Hæc sanè perplexa risus à Pœno autore descriptio, quæ germanam eius affectionis naturam explicare haudquaquam uidetur. Nam neq; propriè tremor est, nec musculorum thoracis sonus. Tremorem autem non esse, illud indicat, quòd tremor inuoluntarius quidam motarum partium sursum & deorsum motus sit: ex impotentia regentis nostrum corpus facultatis, hoc est motricis, quæ præ imbecillitate membrum regere nequit. ut bellè libro de tremore Galenus, sicubi enim naturæ robur cesserit, quæ corpora egent eleuatione, deorsum grauitate propria feruntur, & ibidem desident, non secus ac in resolutionibus, ubi potestatem omnem uis penitus amiserit, si quid supersit, quod corporis motionem rursus tentet, uerùm ex infirmitate id non possit, sed portiunculam (quod est maius dimittendo) tollat: imperfectam motionem & mancam relinquens, membra deorsum ferri iterum permittit, quo sæpius affecto, & sursum uersus delationem quæ fit deorsum insequente, huicq; quæ sursum uersus fiat iterum adiuncta,

*Lib. de Elementis.*

*Risus definitio ab Isaac tradita.*

*Ex Galeno lib. de tremore hæc.*


part

partibus locum continuè mutantibus, motus duplex fiet, & compositus, *Tremor quid* quæ affectio tremor nuncupatur, motu deorsum grauitate facto, & uiribus sursum uersus itidem mouentibus. Hæc docta de tremoris natura & generatione Galeni assertio. Ex qua abundè constat, motum eum, qui risus in nobis dicitur, tremorem non esse: tum quòd hic inuoluntarius quidam fit motus, & is quidem præter naturam, ut citato loco Galenus: risus uoluntate factus, & secundum naturam. Tum quòd in risu thoracis partes non sicut in tremore attolli uidentur, non enim grauitate deorsum feruntur & sursum à facultate eriguntur, sed potius ab spiritu uehementius concitato, & in eas partes impetu quodam sublato. Vnde moueri thoracis partes citatiore motu contingit. Qui uerò in risu percipitur sonus, non ad thoracis musculos, sed ad Laryngis potius & uocalium partium actionem referri debet. Nam thoracis musculi non uocis aut sonorum editioni à natura, sed aut brachiorum motui, aut respirationi dicati sunt: ut plenius à Galeno tum XIII. & XVI. de Vsu partium, tum libro de Causis respirationis V. & VIII. de *Gal.lib. de uoce.* Anatom. administrat. habetur. Cùm enim exsufflatio uocis sit materia, hanc autem spiritus confertim sursum actus suggerat: thoracis & intercostales musculi materiam tantum præbent, uocem autem & sonum non faciunt: sed uocales tantum partes quum refractus in illis aër atque diuerberatus sonorus efficitur: quum sit sonus, uel Aristotelis testimonio, *2. de Anima.* qualitas auditione percepta, ex aëris collisione scissione'ue inter bina corpora proueniens. Ineptam igitur esse risus ab Isaac traditam definitionem, ex ijs patere abundè arbitror. Nec mihi aptior uidetur quæ ab Hie*Hieronymus Fracastorius* ronymo Fracastorio, uiro alioqui doctissimo, lib. de Sympathia & dyspathia rerũ tradita est, Is enim eius libri cap. XX. (quod de admiratione, ecstasi, & risu inscribitur) risum compositum esse motum affirmat ex admiratione atque lætitia. Eius autoris hæc sunt uerba: Risus (inquit) est compositus ex admiratione & lætitia motus. Propter quod & quædam contranitentia in risu est, admiratio enim suspensionem quandam in anima facit, lætitia uerò expãsionem. Qua è re fit, ut quum producitur risus, non sine molestia fiat. In qua quidem serie ipsa, risus descriptio examinanda prius, & sub censuram reuocanda est. Falsum enim id esse uidetur, ex admiratione constare risum. Ob ea enim, quæ admirationem in nobis faciunt, nunquam ridere: sed ob ea tantum, quæ lætitiam & gaudium pa*Admiratio quorum sit.* riunt, solemus. Omnis enim admiratio animi suspensionem ob rei nouitatem & ignorationem facit: quum sit admiratio earum tantum rerum, quæ à nobis ignorantur & nouitate sua nobis incognita suspensum, & ad illud ipsum intentum, quod sese prodit, animum tenent. Quod quam diu fit, tantùm abest ut in risum concitemur, ut planè tum extra nos esse nobis uideamur, quoad res ipsa notior nobis facta desinat animi suspensionem illam facere. Magnarum enim rerum & nobis non perspectarum est admiratio; Risus uerò ludicrarum, ridicularum, leuium, & sensibus expositarum. Quis enim rideat ubi serenitate summa magnos decidere imbres, aut æstate media ingentia oriri frigora uiderit? Quis non hæc potius

tius admiretur, & tam inopinati euentus alta mentis indagine causam inquirat? Tum enim profectò ridere tantùm solemus, quum quæ occurrunt nobis, ea & boni speciem præ se ferũt, & læta ea ratione sunt. Quamobrem quæ huius generis habentur, primùm quidem gaudium in nobis efficiunt: ac subinde affectus gaudio animus in risum prorumpit. Nullatenus igitur admiratio in risum cadit, quod risus (ut paulò antea diximus) & perspectæ rei probeq; cognitæ atq; lætabilis: admiratio ignoratæ, atq; ideo minus lætæ. Quamdiu enim quippiam admiramur, tandiu mœrore quodam ob ignorationem rei & nouitatem, suspensoq; animi motu afficimur: qui tum planè desinit, quum sese nobis ignorata, quam admirabamur res sese ipsa insinuarit; atq; tum probè cognita lętitiã etiam gignere potest. Ineptum itaq; uidetur, risum ex admiratione atq; lætitia compositum esse motum dicere. Quæ enim (quæso) admiratio cadit, cùm scitos & paruulos nostros liberos complectentes, ob ipsorum gesticulationes, ob inarticulatum, sed lepidum sermonẽ, ob uarios insultandi modos, ob ridicula & puerilia facta in risum effundimur? aut cùm ij ipsi pueri matribus à nutricibus in complexum dantur? uel cùm à cunis sublati magno risu & gaudio, uel à parentibus, uel à nutricibus excipiuntur? Nulla hic certè admiratio, risus autem & plausus multus inest. Cùm quis rursus ridiculam rem aliquam perspectam etiam atq; cognitam, magno uerborum lenocinio, summaq; gratia recensens risum mouet, quæ tum ibi admiratio? nulla profectò, quòd uidelicet enarrata ea res probè nobis nota sit, ideoq; suspensos nos minimè tenet, quod in admiratione necessarium esse, uerè idem Fracastorius existimauit. At risus tamen inde effusus exoritur, ut eum etiam præ impetu citati & commoti spiritus, uolentes, comprimere nequeamus. Non est igitur cur rectè in risum admirationem cadere statuamus: nam etsi ea interdum in risum incurrit, non ipsa tamen risum ullo pacto aut gignit, aut constituit: quum admiratio (ut antea dictum) incognitarum rerum & abstrusarum, & granditate sua suspensionem animi efficientium sit: risus autem perspectarum rerum, leuium, & concinnitate quadam sua atque lepore nos ualde mouentium: unde risus iucundo quodam & grato naturæ motu in nobis excitatur. Nos itaque omnem risus naturam paulò plenius complectentes, ita definiemus, ut sit

*Risus quid.*

Risus concitatior quidam animi ex re iucunda motus, ad conceptum intro gaudium explicandum, quo thoracis & oris musculi impetu quodam mouentur. Quin & ad hunc quoq; modum definiri per quàm commodè potest, ut sit risus partium oris & faciei diductio, ex effuso spiritu, thoracis membra sono quodam & impetu agitante. Descriptiones eæ ambæ, risus naturam omnem comprehendere rectè uidentur. Ad risum enim efficiendum, necessarium quidem imprimis est, commoueri animum: ut quod intrò conceptum in animo lætitiæ est, id foras se prodat: ac proinde efficitur, ut etiam si coram ludicra, leuia, & ridicula, quæq; risum mouere solent obijciantur: nisi ad ea impetu quodam moueatur & excitetur animus, non erumpat risus. Quæ causa est ut in mœrore atq; luctu constituti, etiam si magna risus materia subsit, ridere tamen nequeant: quòd animus



animus mœrore affectus, ad hæc ipsa nō moueatur. Cùm item magnum aliquid animo tractamus, uel grauissimis distinemur curis, ridere tum minimè soleamus, etiam si præsens risus occasio subsit, quòd impetu animus (nempe aliò distractus) non moueatur. Iure itaque optimo dixisse sum uisus, risum esse concitatiorem quendam animi motum, ut sine quo nullatenus excitari risus queat. Hic porrò motus animi eò tum excitatur, ut quantum lætitiæ concepimus, eo ipso motu explicari facilè possit. Læti enim animi motus ille ueluti index ac certissimus testis est: ab eo autem motu thoracis & oris musculi agitantur, quòd effusus à corde spiritus, in has partes affatim deducatur, easq; distendens, motum eum efficiat, qui risus appellatur. Hisce enim definitionibus, motus generis locum obtinet, reliqua uerò, differentiæ propriæ sunt, quibus ab omni alio secludi risus uidetur: causæq; à quibus nasci risus solet explicantur ferè omnes. Efficiens enim est, ipse animi motus: finis, gaudij, seu lætitiæ explicatio: forma, ipsa partium oris ac faciei deductio: instrumentaria, ipsa spiritus effusio: materialis, iucunda oblata res, quæ risui materiam præbet.

*Risus species* Risum autem non uniusmodi esse omnem, rerum scientissimi tradunt. Est enim quidem à natura profectus, quem naturalem uocant: alter præter naturam factus. Priorem illum in bene habito corpore, nullaq; morbosa affectione occupato fieri, naturæ solius ductu uolunt: qualem antea definiuimus: qui quidem perpetuò lætabile ipsum pro materia habet, accedente animi motu ad lætitiam eam explicandam, agitatis ad eum motum spiritu & natiuo cordis calore. Vnde thoracis musculos moueri, orisq; diductionem fieri quandam necesse est. Alter uerò is est, qui neque eas quas modò commemorauimus habet causas, neq; naturæ ductu fit, sed à morbifica quapiam causa excitatur. Sunt enim ex ijs quædam quæ admirabili quadam ui, potestateq; nobis occulta risum ciendi facultatem (etiam si maximè præter naturam sint) habeant: qualis est qui sæpe per desipientiam excitatur risus, de quo illud dictum ab Hippocrate est, Desipientiæ quæ cum risu fiunt securiores: qui item percusso septo transuerso, aut præcordijs non rarò erumpit, huius quoq; generis (uel Aristotelis testimonio) esse censetur: Ictu (inquit) traiecta præcordia in prælijs, risum attulisse proditum est: scilicet calore quem moueat uulnus. Ex croci etiam immodico copiosoq; potu, risum effundi lethalem monumentis proditum est. Quinetiam per quosdam conuulsionis modos, oris diductionem quandam fieri risui persimilem, nemo est qui nesciat. Qui itaq; ab huiusmodi causis excitantur risus, neque ad naturæ rationem referri, neq; satis eorum reddi certa ratio potest. Quod & Moses Israëlita, Galeni autoritate firmauit. Non solùm risus, qui ludicrarum rerum obiectu excitatur, causam reddi non posse: sed nec cuiuscunq; alterius, præcipuè uerò eius, qui ex titillatu alarum & plantarum pedis exoritur. quod quidem idem autor à Galeno scriptum fuisse libro de Motibus ineuitabilibus testatur: & si nihil quicquā eo de opere profiteri possumus. ut quod nobis, uti cætera multa magna studiosorum iactura perierit. Verum autem id esse Galeni dictum, ea ratione probat, quòd risus proprium hominis

*6. Aphor. 53.*

*3. de part. animalium ca. 10.*

*7. Sectione suorum Aphoris. aphor. penul. & ulti.*

minis eſſe dicatur, ſpeciem'qꝫ perpetuò ſequi: quæ uerò cuiuſpiam rei formam ſpeciem'qꝫ ſequuntur, ea ipſa à tota fieri ſubſtantia, cæcaqꝫ poteſtate quadam dicuntur, quam Neoterici Proprietatem occultam uocant: ac proinde congruentem & explicatam in huiuſmodi rebus cauſam non aſſignari, nec perquirendam eſſe (præſertim in riſu) idem teſtatur. Quam rem ex noſtris Cicero libro de Oratore I I. confirmaſſe plena fide uidetur: De riſu (inquit) quinqꝫ ſunt quæ quærantur: Vnum, quid ſit: alterum, unde ſit: tertium, ſit'ne oratoris uelle riſum mouere: quartum, quatenus: quintum quæ ſint genera ridiculi. Atqꝫ illud primum, quid ſit ipſe riſus, quo pacto concitetur, ubi ſit, quomodo exiſtat, atque ita repentè erumpat, ut eum cupientes tenere nequeamus: & quomodo ſimul latera, os, uenas, uultum, oculos occupet, uiderit Democritus: neque enim ad hunc ſermonem hoc pertinet: & ſi pertineret, neſcire me tamen id non puderet, quod ne ipſi quidem illi ſcirent, qui pollicerentur. Hactenus Cicero. Vnde conſtat difficillimam eſſe (quod à principio præfatus ſum) rei huius tractationem. Verùm ne ob hoc quidem ab inueſtigatione deſpondendus animus, qui ueritatis lumine illuſtratus, in reconditiſsima naturæ adyta celer & expeditus peruolare conſueuit.

Ad inſtitutum itaqꝫ redeuntes, riſus differẽtias percurramus, quarum iam præcipuas diximus. Eſt item riſus quiſpiam, non uerus ille quidem, ſed fictus, amarulẽtus, ſubdolus, ac ſimulatus: ut cùm quis alteri inſidians ridet, quem riſum ueteres Sardonium dixere: qui ob id Sardonius dictus eſt, quòd in Sardorum inſula, herba ſit cui Sardoë cognomen, apiaſtro ſimilis: quæ guſtata ora hominum ita contrahere atqꝫ diducere ſoleat, ut ueluti ridentes emoriantur. Quod & Solinus, & Lycophronis interpres, & Plinius, atqꝫ ex noſtris Dioſcorides ſenſiſſe uidentur. Herbam porrò hanc eam eſſe credendum eſt, quam Latini Ranunculum, Græci βατράχιον appellant. Simulatus autem hic riſus interdum ab animi prauo affectu & mente mala, interdum à corporis uitiata conſtitutione prouenit. Prioris generis meminit Homerus Odyſſeæ V. Cteſippum unum è procis Penelopes, Vlyſſem in ædibus ſuis habitu, ſpecieqꝫ mendici ſedentem, arrepto è ſportula bouis pede petiſſet: atqꝫ ille capite modicum deflexo ictum declinaſſet, Sardonicè riſiſſe dicitur,

*Sardonius riſus. Sardoê herba. Soli. cap.10. ſui operis. Plin.20.Natur.hiſt.ca.11. Dioſco.lib.2. capit.167. ex Ruellio.*

Μείδησε δὲ (inquit) θυμῷ σαρδώνιον μάλα τοῖον.

Quo loco Euſtathius interpres admonet, eum ridere riſum Sardonium, qui diductis modo labris rideat, cæterum intus aut ira, aut moleſtia diſcruciatus. Huius item & Iliados η. idem autor meminit, dum Aiaci ſingulare certamen ineunti, hunc tribuit. Quin & Heſiodus eo libro, qui ἔργα καὶ ἡμέραι inſcribitur, Iouem Prometheo iratum ob ignem furto ſublatum conſimilem riſiſſe riſum affirmat.

A uitiata corporis conſtitutione fictus item quiſpiam naſcitur riſus, hoc eſt, oris habitus quidam ac forma ridenti ſimilis, ut in multis conuulſionum generibus eſt uidere, in quibus contractis oris muſculis, fit quædam ridenti ſimilis ſpecies: qualis item contingit ijs, qui crocum hauſerunt, uel ſecundum præcordia confoſsi in riſum lethalem erumpunt. Non

enim uerus, ac naturæ ductu excitatus huiuſmodi riſus eſt: ſed adumbrata quædam illius ſpecies ac imitatio.

De eo uerò qui ex alarum titillatu prouenit, longè diuerſa ratio eſt: hunc enim Ariſtoteles naturæ impulſu factum ac uerum riſum eſſe, non ſimulatum affirmat: dum III. de Partibus animalium de ſepto transuerſo eiuſq; officio ſermonem inſtituens, ab huius partis calefactione prouenire ait, ut qui titillentur rideant. Partem hanc calefactam (inquit) celeriter ſenſum aperire indicat uel id quod titillatu euenit: rident enim celeriter qui titillantur: quia motus celeriter ad eum locum perueniat: qui quanquam leuiter calefaciat, tamen aperit, & mentem mouet præter uoluntatem. Cauſæ autem (ſubdit) cur homo animalium unus titilletur, & cutis tenuitas eſt, & quòd ſolus omnium animalium rideat. Eſt enim titillatio, riſus per eiuſmodi motum partis quæ alam complet. Hactenus Ariſtoteles. Quamobrem mirari ſubit, Nicolum Florentinum, atq; Hieronymum Fracaſtorium, uiros conſummatæ doctrinæ, ab Ariſtotelis hac in parte ſententia auerſos deflexiſſe: atq; riſum hunc qui titillatu partium proficiſcitur, ſpeciem tantum quandam, & ſimilitudinem, non etiam ueram riſus naturam eſſe ſortitum, contrà quàm Ariſtoteles exiſtimarit. Nam quum in riſu qui titillatu prouenit, & concitetur animus ex re iucunda percepta, nempe blanda earum partium attrectatione: & thoracis muſculi concalefacti moueantur, impetu quodam qui ſonum efficiat, & multus eo ex motu effundatur ſpiritus, qui ſurſum latus oris & faciei diductionem faciat: Sit autem hæc uera riſus natura, definitione à nobis tradita comprehenſa, non uideo cur non maximè illi germana riſus natura congruat.

*Cap.10.* — *Titillatio quid.* — *Sermone 1. cap.36.* — *Lib. de Sympathia et dyſpathia rerũ, cap.20.*

Diximus quæ riſus eſſentia ſit. Nunc quomodo concitetur, unde tam repente emanet, atq; ita ſæpe erumpat, ut in illum effuſi eum comprimere nequeamus, (quod ſecundo loco dicturos nos propoſuimus) eſt cumulatiore indagine inquirendum, atq; etiam explicandum. Riſum in primis ex opinione commodæ cuiuſpiam rei ac lætitiam inferentis naſci, non dubium eſt: ubi enim quippiam boni ſpeciem, ſeu delectabilis, ſeu honeſti, ſeu etiam fructuoſi & utilis habens, ſeſe promit, mox ex ipſa rei natura mentem afficit, eo quidem affectu quem Græci ἀγλαΐαν, interdum etiam εὐθυμίαν καὶ εὐφροσύνην, Latini lætitiam uocant. Cùm enim ita mouemur, ut in bono ſimus aliquo: ſi placidè id atq; ſedatè fiat, Gaudium ea affectio dicitur: ſi uerò confertim & effusè, Lætitia: quæ & ipſa nihil planè aliud eſt, quàm effuſio quædã animi, atq; elatio ex boni cuiuſpiam conſecutione enata: quo ſanè affectu, quum occupatur animus, ita principem noſtri partem cor in participatum trahit, atque adeò exagitat, ut magna inde in ſpiritu illo curuli & ſanguine qui intra cor eſt mutatio fiat. Effertur enim mox, & moræ impatiens, tenuitate ſua ſeſe promit, & in ſublime attollitur, idq; affatim. ad eum uerò ſanguinis & ſpiritus citatiore motum, muſculorum thoracis ſuccuſſio quaſi quædam conſequitur, ac oris diductio, accedente uocalium partium ſono quodam, qui tum ſanè efficitur, quum ſpiritus citato motu in eas partes raptus atque inibi refractus ſiſtitur:

*Gaudiũ quid.* — *Lætitia.*

tur:

tur: atque earum partium adminiculo diuerberatur. illisio enim efflati spiritus in Laryngem & cæteras uocales partes, uocis materia est, ut millies in mille locis Galenus.

*Lib. de uoce. & 7. de usu parti.*

Atque ad hunc modum concitatur risus, animi scilicet imperio, & corporis obsequio. Gaudio enim affectus animus, cordis uires exuscitat: eæq; animi affectui obsequentes, eo quo prædiximus modo risum mouent, intrò cõceptæ lætitiæ testem ac indicem. Vnde fit, ut risus non unius tantùm facultatis, sed plurium functio esse uideatur. Qua enim thoracis musculi ea in actione ualde mouentur, ad facultatem animalem, hoc est, uoluntariæ motricem, referri tum ea actio debet: qua uerò motus is consequutionem rei lætabilis sequitur, (tum enim in risum tantum erumpimus, cùm lætabile aliquid nos esse adeptos credimus) ad principem facultatem, nempe imaginatricem pertinere dicitur. Quinetiam & facultati uitali acceptum referri debet, quòd natiui caloris atq; uitalis spiritus in risu magna fiat concursio atq; effusio. Quamobrem meritò risum non à sola sensuum externorum uoluptate, sed magis à principis facultatis in nobis iudicio excitari credendum est. Iudicium enim de percepto bono aliquo præcedere omnino musculorum motum oportet: ad facultatis nempe principis imperium, partes has moueri contingit, quòd ad risum utrunq; horum concurrere sit necesse: uoluntatis inquam imperium, & partium pectoris motum. Cur uerò tam repente emanet, in promptu causa est, quòd citato celeriq; motu erumpat spiritus, sitq; actio ea ferè tota spiritalis, atque ob id conferta & uehemens ac impetu facta. Cùm enim curulis ille in nobis spiritus, & suæ substantiæ elaborata tenuitate, & sui caloris immensitate, momentò cuncta nostri corporis peruadat, in eaq; rapiatur: quid mirum si ita confertim erumpat, ut etiam uolentes eum sistere nequeamus? Quæ causa itidem fuerit, cur in risum effusi, eum comprimere minimè ualeamus.

*Cur in risum effusi eũ cõtinere nequeamus.*

Non enim in nostra manu est, elatum foras spiritum ac suo impetu actum cohercere, uel hoc uno amplissimo testimonio, quòd dum effusè ridemus, totiq; in cachinnos soluimur, nec spiritum ducere, ut uolumus, nec ora comprimere pro nostro arbitrio ualeamus: ut sæpe etiam præcluso spiritu in risus nimietate præfocari uideamur: quod in plerisq; euenire quotidie cernimus. Immutantur autem per risum non solùm quæ ad faciem attinent partes, sed & quæ ad reliquum omne corpus, calore atq; spiritu effusis ac impetu actis, unde & rubor & calor in facie, & lacrymæ etiam ab oculis exprimantur, caloris ui hæc agente. Quin & latera, & dorsum, & thoracis musculi sæpe ingenti dolore torquentur, quòd partes eæ spiritu turgentes distendantur, atq; uim passæ extra earum naturam deduci, repentina scilicet & immodica mutatione uideantur. Vnde constat ad quam præcipuè partem risus referri debeat, quod ultimo loco explicandum nobis fuit: est enim propriè thoracis partium motus, ex effuso à corde spiritu.

*Ad quã partem risus referri debeat.*

Quamobrem qui latiore sunt pectore, & calore multo abundant, in risum proniores euadunt: in illumq; erumpentes in cachinnos soluuntur. quòd ea conformatione multus sursum ferri spiritus possit. Acproinde qui proba temperie feliciq; natura constant, facilè ridere solent: in ijs enim sanguis pro-

uenit benignus, copiosus, lucidus, clarus ac tenuis, quem esse risus instrumentariam causam in confesso est. Ex sanguine quippe ita affecto, spirituum multitudo & claritas animam exhilarãtium consurgit: sicuti è contrario, ubi sanguis uel uitiosus, uel exiguus, uel tenebrosus, aut etiam crassus constiterit, contraria fieri necessarium quidem est. Quæ causa est, cur & malè habiti, & ægri, & conualescentes, & melancholici, uel nunquam uel ægrè rideant: quòd male habiti uitiosum: ægri, & qui ab ægritudine reficiuntur, exiguum: melancholici, tum crassum, tum tenebricosum sanguinem habeant. Ac proinde etiam qui se philosophiæ totos dediderunt (quòd uitale robur exhaustum, sanguinem uerò tum exiguum, tum crassum ac atrabilarium plurimum in se contineant) ἀγελάστους ferè semper, hoc est sine risu, mœstos, seueros, & rugata fronte uideas. Contrà uerò pueros, & qui florenti ætate sunt, bene habito corpore, & curis uacuos, in risum pronos, hilari uultu atque plausibili conspicias: sicuti etiam qui uino meraciore utuntur: meracius enim uinum moderatè haustum frontem exporrigere, ac lætos reddere solet. quia inde sanguinis profluit bonitas, qui sanè humor uel omnium tum medicorum tum philosophorum testimonio, naturæ si quis alius est in primis accomodatus. Sed illud mirabile uideri sanè debet, cur à uino alij in risum, in lacrymas alij effundantur: quum contrarias effectiones una eademque res efficere nunquam posit. Id autem non tam uini naturæ, quàm hominum tribui iure debet. Qui enim se uino ingurgitant, si & sanguinis elaborati copia, & temperamenti bonitate præditi sint, in risum solui solent, & uarias corporis gesticulationes, quæ aspicientibus risum moueant: idque magis, si & quod hauserunt uinum, generosum sit, & eo affatim se impleuerint. Ex eo enim affatim sumpto caloris augetur copia, agitatur conditus in uasis sanguis: qui cùm & benignus sit, & probè à natura elaboratus, quid mirum si in risum hominem sic affectum promoueat? Contrà uerò qui uel nigrum, fœculentum, & turbidum ingesserunt: uel à natiua constitutione humorum & sanguinis uitio tentantur, amarulentumque sanguinem & atri succi plurimum in se continentem habent: ij sanè non in risum, sed rixam atque furorem, sæpe etiam in fletum & lacrymas soluantur: quòd humoris acrimonia isthæc efficere suaptè natura soleat: uti benignitas lætitiam, mansuetudinem atque exporrectam frontem.

Sed cur ad ridicula, ut mimorum gesticulationes, scitos puerorum actus, & huiusmodi innumera impensè rideamus, non sic reddi facilè ratio potest: reconditissima enim causa huiusmodi est. Verùm in id commodè referri posse censendum est, quòd scita illa & ad numeros facta gesticulatio, uel concinna & apta in scena actio (ut de Roscio proditum legimus) ita concinnitate sua & aptitudine, naturæ ualde amica, nos afficiat, ut congruere eos motus actioni ipsi atque personæ arbitremur: unde lætabilis rei cõfestim insurgit in nobis opinio, à qua gaudium, & tandem risus percepti gaudij testis erumpit. Atque hæc de risu hactenus nobis prodita sint, quæ nos quanto nitore atque elegantia (de hoc enim laborandum mihi non duco) tradiderimus, non ualde laboro: magna autem fide &

dilig

diligentia ea collegisse me, & in manus hominum dedisse testari ipse possum.

*Conciliatio locorum ex Galeno pugnantium de testium principatu: cùm* VI. *de Usu partium, inter uiles, & ignobiles partes reponat: libro uerò primo de Semine hos ipsos corde etiam præstantiores esse contendat: & in arte medicinali inter principes partes statuat.*

ENARRATIO X.

De PARTIVM principatu differens ex professo Galenus quatuor in nobis principes statuit partes, inter quas testes, tanquam generationi dicatas, magnicp ad humani generis propagationem momenti iure reposuisse est uisus.

ἀρχαὶ μὲν οὖν εἰσὶν ἐγκέφαλος, καρδία, ἧπαρ, καὶ ὄρχεις.

Hæc in arte medicinali. Libro uerò de semine primo, testes non solùm principatu dignatur, sed etiam corde ipso præstantiores facit. Eorum enim in corpore potestatem, quamcp habeant uim, longa narratione ostendens, non solùm gignendi seminis facultatem habere eos, sed etiam natiui caloris seruandi, ac roboris firmandi atcp augendi, firma demonstrationis ui contendit: quòd illis exectis frigidius imbecilliuscp euadat animans, roburcp totius corporis exoluatur: ut quibus excisis omnem masculi habitum uirescp interire sit necesse: ut quantum quidem ad usum quem corpori præstant attinet, prope ad cor ipsum (ut conceptis uerbis testatur eo loci Galenus) accedere uideantur: ut quos alterum insiti caloris fontem esse uelit: Frigescunt enim (inquit) qui eos amiserint, altera insiti caloris origine priuati, omnecp his corporis robur collabitur perinde ac si senes fuerint: necp latæ uenæ, necp sanguis floridus est: arteriæ etiam parum & imbecilliter sicut senibus pulsant: unde patet, testes animalibus & roboris originem esse: & caliditate multa totum corpus perfundere. Esse autem testes uel corde ipso præstantiores ijs uerbis indicat Galenus: Cap. 12. libri primi de Semine.

Ὥστε ταύτῃ γε καὶ τῆς καρδίας αὐτῆς πλέον ἔχουσιν οἱ ὄρχεις, ὡς πρὸς τὴν θερμότητά τε καὶ ῥώμην τοῖς ζώοις παρέχειν, ἔτι καὶ τῆς τοῦ γένους διαμονῆς ἐξηγοῦνται. ταῦτ' οὖν καὶ τηλικαῦτα παριδόντες οἱ πρὸ ἐμοῦ φιλόσοφοί τε καὶ ἰατροὶ περὶ μικρῶν καὶ φαύλων ἐρίζουσι, ζητοῦντες εἰ συντελοῦσί τι πρὸς τὴν τοῦ σπέρματος γένεσιν οἱ ὄρχεις. ἡμεῖς οὖν αὖθις ὑπὲρ αὐτῶν ἀναλαβόντες εἴπωμεν, ὡς πρὸς τοῖς εἰρημένοις ἔτι κἀκεῖνα τῶν ὄρχεων οὐκ ἔστιν οὐ σμικρὰ τεκμήρια, τῆς ὅλου τοῦ σώματος ὑπ' αὐτοῖς ἀλλοιώσεως. οὐ μόνον γὰρ ἥδιον ἐστὶ τὸ κρέας τῶν ἐκτομιασθέντων ὀρείων, ἀηδέστερον δὲ τὸ τῶν ἀτμήτων, ἀλλὰ καὶ ἡ ποιότης αὐτὴ τῶν σαρκῶν ὅμοιόν τι τῇ τῶν ὄρχεων ἔχει ποιότητι, βαρὺ καὶ βρομῶδες, ὡς ἂν οὕτω τις εἴπῃ, μέχρι καὶ τῆς κατὰ τὴν ὀσμὴν ὁμοιότητος. ἄλλους μὲν οὖν τινὰς ἀγνοῆσαι τὰ τοιαῦτα θαυμαστὸν οὐδέν. Ἀριστοτέλην δ' οὐκ ἐχρῆν, ἡμῶν αὐτὸν εἰρηκότα πολλάκις, ὡς μικρὰ μόρια μεγίστων ἀλλοιώσεων αἴτια τῷ παντὶ γίνεται σώματι. τοῦτο γὰρ ἐκεῖνον ἐχρῆν προσθεῖναι μόνον, ὥσπερ ἐξαιρεθέντος τινὸς μορίου, τὸ ζῷον ἀλλοιοῦται, σύμπασαν αἰτίαν τῆς ἀλλοιώσεως οὐκ ἔστι τὸ μόριον. οὐ γὰρ δὴ τῆς αὐτῆς γε καὶ ἀφαιρούμενον τοῦ ζῴου καὶ παρόν. ἀλλ' εἰ μὲν αἰρόμενον καταψύχει, παρὸν ἐθέρμαινεν. εἰ δ' ἀσθενὲς ἐργάζεται, ῥώ-

μαις τὴν ἀρχήν. ἔτι δὲ τὸν αὐτὸν τρόπον εἰ τὰς πρὸς τὴν συνουσίαν ὁρμὰς ἀφαιρεῖται τμηθέν, ἐξ ἐκείνου τοῖς ζώοις ἡ τοῦ γένους ἦν διαδοχή. τοῦτο μέν γε τὸ τρίτον, οὐδ' ἡ καρδία δύναται παρασχεῖν, ὡς ἐκείνη μὲν ἂν εἴη τοῦ ζῆν μόνου, οἱ δ' ὄρχεις τοῦ καλῶς ζῆν ἀρχή. ὅσον δὲ ἐστὶ κρεῖττον τὸ εὖ ζῆν, ψιλοῦ καὶ μόνου τοῦ ζῆν, τοσοῦτον ἐστὶ τοῖς ζώοις οἱ ὄρχεις αἱρετώτεροι τῆς καρδίας.

Quod est: Testes in hoc quidem amplius corde ipso habent, quòd præterquàm quòd caliditatem roburque animalibus præstant, perpetuitatis etiam generis in causa sunt. Hæc igitur tot ac tanta negligentes, qui ante me fuerunt Philosophi & medici, de paruis ac leuibus digladiantur, inquiruntque, an ad seminis generationem quicquam testes operentur. Nos uerò, rursus repetita oratione pro ipsis dicamus, præter hæc omnia etiam illa non parua esse argumenta, quòd totum corpus à testibus alteretur. Castratarum enim uictimarũ caro non solùm & suauior est, integrarum autem insuauior: sed etiam qualitas ipsa carnium simile quid testium qualitati præ se fert: graue, & ut ita dicam uirosum, ad odorem usque similitudine porrecta. Quæ quidem ignorasse alios quosdam mirandum non est. Aristotelem certè latere hæc non debebant, ut qui nobis sæpenumero dixerit, paruas particulas maximarum alterationum toti corpori in causa esse. etsi illud addere ipsum oportebat, si exempta aliqua particula, totum animal alteratur, eam alterationis eiusmodi esse causam: non tamen eiusdem etsi auferatur, etsi adsit, sed si ablata refrigerat, præsens calefaciebat: si ablata infirmũ reddit, roboris ipsa erat origo. Eodẽ modo si abscissa, incitationem ad coitum aufert, ex ea animalibus generis successio erat. Atque hoc profectò tertium cor præstare minimè potest: est enim id uiuendi tantùm, testes uerò bene uiuendi principium. Quantò autem melius est bene uiuere, quàm solùm absolutè uiuere: tanto in animalibus testes corde præstantiores sunt. Hactenus Galenus: qui hoc quidem loco, testibus ipsis plus quàm cordi in generis propagatione tribuit: ut prærogatiua quadam singulari, præstare testes cordi, ea quidem functione qua seminis generationi & generis perpetuitati consulitur, plena fide astruat. At idem V I. de Partium usu, contrarium omnino sensisse uidetur: qui testes ipsos inter uiles abiectasque partes reponens, longissimè à nobilium partium dignatione abiecisse, nedum corde præstantiores fecisse, uel conceptis uerbis est uisus. Eius eo loco hæc sunt uerba:

ὅπως δέ μοι τῷ λόγῳ μὴ μόνον νῦν, ἀλλὰ καὶ ἐνταῦθις ἕποιο παρακούων μηδὲν, ἐθέλω σοι διελθεῖν, ἐξ ὧν χρὴ διαγινώσκειν ἐν ζώου σώματι μόριον, ἄκυρόν τε καὶ κύριον. ἐκ μὲν δὴ τῆς χρείας ἄμφω κρίνειν. ἐπεὶ δ' ἐστὶν αὐτὴ τριττὴ κατὰ γένος, ἢ γὰρ εἰς αὐτὸ τὸ ζῆν, ἢ εἰς τὸ καλῶς ζῆν, ἢ εἰς τὴν τοῦ γένους φυλακὴν διαφέρει. τὰ μὲν εἰς τὸ ζῆν αὐτὸ χρήσιμα μόρια κύρια πάντως ἡγεῖσθαι, τῶν λοιπῶν δ' ἑκατέρων γενῶν ἀκύρων ὑπαρχόντων.

Quod est: Vt autem non solùm præsentem sermonem, sed etiam consequentem assequaris, nihil obaudiens, uolo recensere tibi, quibus dignoscenda in corpore animalis est particula non principalis, & principalis. Ab utilitate itaque ambo iudicãda sunt. Quoniam uerò ipsa partium utilitas est genere triplex (aut enim ad ipsam uitam, aut ad bene uiuendum, aut ad generis conseruationem pars pertinet) eas quidem quæ ad ipsam uitam sunt utiles, particulas esse principales, omnino æstimandum est.

Reliq

Reliqua uerò duo genera, non principalia sunt & ignobilia.

Ex hoc Galeni loco colligere promptum est, quænam partium principes, quæ ignobiles & abiectæ habendæ sint. Vult autem conceptis uerbis, eas quidem quæ ad uitam necessariæ sunt (ut sine quibus consistere uita nequeat) in præcipuis habendas: eas uerò quæ uel ad uitam bene degendam, uel ad generis propagationẽ attinent, ignobiles & abiectas. Quamobrem quum & testes una earum partium sint, quæ maximè ad totius generis conseruationem faciant: & benè uiuendi principium sint, (uti præcitato Galeni loco de Semine attulimus) consequens quidem est eas minimè inter nobiles & præcipuas esse adnumerandas, contrà quàm tum libro de Semine primo, tum in arte medicinali statuerit idemmet autor. At uerò si quis rem totam accuratiore indagine lustret, & Galeni sensa intenta mente contempletur, modum inuenire poterit quo conciliari pugnantes ij loci commodè queant. Statuendum enim est, testes ea in re, in qua maximè præstant, inter principes habendas: nec solùm in principum partium ordinem cogendas, (uti in arte medicinali fecit non minus doctè quàm uerè Galenus) sed & eo in munere, quo ad generis conseruationem ualent, corde etiam præstantiores esse. Quæ docta Galeni libro de Semine primo, sententia fuit. Nam etsi cor princeps in nobis uiscus, testibus materiam suggerat unde illi muneri suo obeundo satis esse possint (sumministrat enim tum uitalem spiritum, qui uirtute sua atque potentia fœcundum semen faciat: tum uerò natiui caloris plurimum) seminis tamen gignendi potestatem non habet, non enim cor, sed testes genitale semen propria sua facultate operantur. Itaque eo in munere, meritò principatus testibus tribuẽdus est, quòd uidelicet nullus alterius ope indigeant, sed propria sua facultate id præstent, unde generis humani conseruatio ac propagatio fiat. Genitale enim semen testes ipsi propria uirtute, non cordis, non cerebri, aut alterius cuiusquam membri perficiunt. etsi hæc ipsa non minimum cooperentur: effectrix tamen seminis pars testes reuera sunt. Quæ docta Galeni libro de Semine primo, sententia fuit. Cur igitur si tantum ualere dicuntur: tamque egregiam operam naturæ in uniuersum nauare, ut animantium omnium sementem ad generis tutelam, & parent ipsi, & ultrò suggerant, genitale semen gignendo, cur inquam inter uiles ignobilesque partes, omnes quæ ad generationem attinent VI. de Vsu partium reponuntur? Neque huius rei alia assignari (meo quidem iudicio) causa potest, quàm quòd partes eæ ad uitam degendam, ipsiusque animalis tutelam atque conseruationem minimè necessariæ sint: ut sine quibus & uita seruari, & subsistere animans possit. Testimonio sunt eunuchi, qui exectis testibus incolumes alioqui uiuunt: etsi, quod ad generationis uim, & corporis robur attinet, plurimum inde detrimenti sentiant. Quæ sanè præcipua est principum partium ratio, ut sine his consistere nequicquam uita possit. Quis enim exempto corde, cerebro, iocinore, uel momento persistere queat? quum nec noxas effatu dignas, citra uitæ discrimen, & animantis interitum ferre ullo pacto queant. Quod apertissimè in his uulneribus experimur, quæ ad has par-

*Cōciliatio pugnantiū Galeni locorū.*

*6. Aphor. 18.*

tes pertingunt; lethalia enim necessario esse solent, uel Hippocratis & Galeni testimonio. Vnde merito principes partes à Galeno dictæ sunt, non solùm eæ, quas modò recensui, sed & quæ his adminiculantur & seruiunt. Quamobrem & pulmones qui cordi aërem sumministrant, & arteriæ: nerui item, qui cerebro seruiunt, & uentriculus ac uenæ, quæ iocinori, ad has proximè accedunt. Vnde merito eas quidem, quæ ad ipsam uitam sunt utiles, particulas principes esse Galenus VI. de Partium usu dixit. Quæ uerò uel ad uitam bene degendam, uel generationem idoneæ, non perinde, quòd uidelicet sine ijs subsistere animans citra uitæ iacturam possit. Testatur Paulus, in muliere quadam id accidisse, ut toto utero putrefacto, & etiam amputato, superstes tamen mulier fuerit. Quod confirmare item Auicenna uidetur Fen XXI. tertij tractatus quarti cap. V. cùm ob ligamentorum uteri putrefactionem, uterum totum egredi posse affirmat. Atque hæc in præsens de horum locorum pugnantia atq; conciliatione tantisper dicta sint.

*Lib. 3. ca. 72. de procidentia uteri.*

*

*Tertij libri Enarrationum medicinalium finis.*

# FRANCISCI VALLERIOLAE MEDICI ENARRATIONVM MEDICINALIVM LIBER QVARTVS.

*An salubrius sit ad tuendam cuiusque ualetudinem ductu impulsuq; propriæ naturæ, (ut primo de Sanitate tuenda uoluit Galenus) quàm saluberrimis medicorum consilijs præscriptisq; uti. Et ad quid ars medica utilis. Quam utique disceptationem Hieronymus Lopius insignis medicus Francisco Valleriolæ diluendam proposuit.*

## ENARRATIO PRIMA.

### HIERONYMVS LOPIVS FRANCISCO VALLERIOLAE SVO S.

LVDERE tecum hac nocte, mi Francisce, constitui: haud herclè omnino perperam, multáq; tum tẽporis tum rei iactura, quod nunc pleriq; facere solent. Quin honestiore profectò, ac ni fallor etiam utiliori ludi genere: literaria inquam disceptatiuncula, in qua & magna iucunditate ac fructu animus exerceatur, nec suus corpori desit fructus. Constitui enim ut fallẽdi otij gratia, ueritatisq; inquirendæ magna animi intentione problema id examinemus, de quo nonnunquam inuicem sumus non contemnenda disputatione sentẽtijs aduersarij facti: in id etiam quæstionem hanc proponere tibi uisum est, quòd cum patre meo, emunctissimæ naris summiq; iudicij homine, atq; nonnullis alijs præclaris uiris frequens mihi sit ea de re concertatio: qui ioco uel seriò sæpenumero nostra, hoc est medicorum consilia atq; præscripta ridentes, contendunt satius ad tuendam ualetudinem esse, ductu impulsúq; naturæ suæ unumquenq;, quàm medicorum consilijs præceptisq; gubernari. Proinde cuiq; cibos illos esse sumendos, in quos propria cuiusq; appetentia fertur: ut, exempli causa, horarios fructus, si quis eos appetit: tametsi maximè à medicis damnentur. Cùm itaque quæstio hæc crebrò passimq; inter magni nominis uiros incidat: & quædam non contemnendæ rationes pro illa opinione fulcienda à sciolis quibusdam adduci soleant: non abs re fore putaui si illorum rationes tenui filo descriptas ad te acrimonia ingenij tui facilè diluendas mittam. Quò & nos nostræ artis non pœniteat: & simul ad respondendum aduersarijs, si quando usu uenerit, simus instructiores promptioresq;. Nec me pudet in falsis deducendis rationibus

temp

temporis iacturam facere: cùm & quosdam non mediocris eruditionis uiros in leuioribus sese exercuisse monumentis proditum sit. Ex tali enim falsorum dogmatum disquisitione ueritas magis elucescit. Ad rem igitur ueniamus, ne exordium maius sit quàm ipsum totum.

*3. de Vsu partium.*

Natura (inquiunt) quæ corpus gubernat, se ipsa solertissima ac sufficiens est ad inducendum impellendum'ue hominem eo modo, quo cætera animantia, ad ea quæ sibi conducunt absq; errore. Docta etenim est animalium natura, atq; operatur ueluti mentem habens, dirigiturq; ab intelligentia non errante, & sagacitatis eius non est finis, ut ipsimet physici ac medici concedunt. Huius ergo unius ductu cætera animãtia sana degunt: quin & hominum plurimi medicis omnino carentes, imo cupiditate potius quàm intellectu, uel ratione uitam agentes. Sed & hoc ipsum prudentissimus ille Cato apud Tullium censere uisus est cùm diceret, Naturam optimum ducem tanquam Deum sequimur, eiq; paremus. Ergo siue illa suadet frigidam potare, siue poma esse, aliud'ue cibi genus ex his, quos medici ualde uituperant, naturæ obsequendum est. Quandoquidem illi repugnare (ait etiam Cicero) nihil aliud est, quàm gigantum more pugnare cum dijs. Hæc est eorum ratio uel potissima, quam etiam ualidiorem reddere sic quispiam posset, qui non sit omnino expers physicæ uel medicinæ, Galenus ipse tantum medicæ suæ arti tribuens, fateri cogitur primo de Tuenda sanitate libro, suam cuiq; animanti naturam satis esse ad proprias conuenientesq; excitandas appetitiones, quibus sanitatem salutemq; tueatur. Eius eo loco hæc sunt uerba:

*lib. de Senec.*

*Secũda ratio.*

ἱκανὴ γὰρ, ἡ φύσις ἐν ἅπασι τοῖς ζώοις, ὁρμὰς οἰκείας ἐνθεῖναι, πρὸς ὑγίειάν τε καὶ σωτηρίαν.

Sua (inquit) cuique animanti natura satis est ad proprias conuenientesq; excitandas appetitiones, quibus sanitatem salutemq; tueatur.

Si ergo tam potens, tamq; se ipsa sufficiens natura in nobis est: quid, quæso, medicorum consilijs opus? cur etiam appetitionibus à natura excitatis non semper neq; in totum obtemperare conuenĩet ei, qui uni sanitati studet? sed iuxta medicorum præscripta, his uel illis abstinendum cibis, & à mensa nondum sedata appetitione surgendum, sicq; de similibus eorundẽ præceptis, quibus cauent, ne appetitioni obsequamur. Quin & hac altera ratione huius factionis homines sua confirmare contendunt.

*Tertia ratio.*

Natura (inquiunt) nihil frustra facit, nec necessariorum quicquam omittit in perfectis animantibus, ab Aristotele III. de Anima proditũ. Cùm igitur natura homini indiderit tales aut tales appetitiones quorundam ciborum, uel aliarum rerum, non frustra nec in eius perniciem id effecerit, sed potius in tutelam & salutem: quare potius illi parendũ erit, quàm Galeno, uel Auicennæ, quorum forsitan natura tales, & si optimos, cibos abhorrebat; coëgitq; ceu malos damnare. Fieri quoque potuit, ut in eorum regionibus tales cibi mali prouenirent, contrà in nostra excellentes ac saluberrimi. Constat nanque arborem quæ in uno solo maleficos fructus profert, transplantatã bonos edere: ut de persica proditum est, quam alij perseam uocant: referunt enim lethalem in Perside hanc arborem esse, translatam deinde in Aegyptum mutata natura salubrem & edendo factam

*6. de Sympt. cau. & 2. de aliment. fac. capite 35. & Dioscor. lib. 1. cap. 198.*

ctam fuisse. Galenus, teste Auerroi, abominabatur carnes arietum, easq; libro de attenuante uictus ratione minus probat: quas tamen cæteri medici secundo loco, post hœdinas inquam, inter quadrupedum carnes maximè laudant: & nos hic eos saluberrimos atq; sapidissimos experimur, præsertim castratorum annuorum: quas forte si gustasset Galenus, non ita postponeret: sed ex his quos in sua uiderat regione, in qua ut audio pessimi sunt iudicium fecerat: nimirum haud omnifariam uerum. Pari modo si idem aut Auicenna erga mala quantumcunq; præstantia, taliter fuisset affectus perinde atq; Ioannes de Parnay chirurgus noster, qui eorum odorem, imo nec aspectum quidem ferre potest: facilè in suis commentarijs ea damnasset, & ex usu hominum explodere fuisset conatus. At non ob id illa fuerant fugienda, eis præcipuè quibus gratissimus est eorum cibus, quales multi sunt & fuerunt: è quorum numero Franciscus Petrarcha singularis uir prudentiæ & eruditionis, unus fuit, qui talem pro se tuendo aduersus medicum interdicentem sibi eorum esum format rationem. Quomodo (inquit) natura sic humanum genus illuderet, ut ubi plurimum oblectationis & gratiæ ponebat, ibi plurimum discriminis abderet? Non est piæ matris, sed nouercæ impiæ & immanis, melle uirus abscondere, nihil ferè aspectu gratius quibusdam pomis, nihil odore suauius, nihil deniq; gustui gratius. Dotes istæ siue à Deo, siue à natura, cuipiam rei inditæ, faciunt eam amari, & auidius appeti: præsertim quòd ita esui apta ueniunt, ut neq; arte impendijs'ue coquorum (Hieronymi uerbis utor) indigeant. Hinc tantus agricolarum labor, & industria, (subdit Petrarcha) hinc tot de hac re clarissimorum uirorum tractatus, Græcorum ac Latinorum, Hesiodi, Vergilij, Catonis, Varronis, Palladij, multorumq; aliorum, insitiones & consitiones arborum diligentissimè docentium atq; commendantium. Quorum sententiam simul & naturæ instinctum sequuti plerique ex præstantiorum ordine, maximam adhibent diligentiam conserendis arboribus & malorum omnibus generibus undequaque conquirendis: quibus uescuntur multò quasi libentius, quàm quouis alio cibi genere. Credendum'ne igitur hosce omnes insanire, qui tanto studio nocia prosequantur, quanto uix proficua debuissent? Nec ualet (inquit) dicere, non omnem, sed immodicum duntaxat usum damnari: si quidem & perdicum, & phasianorum, quorum apud uos laudatissimæ carnes sunt, esus etiam nimius nocet: non magis igitur blasphemanda poma quàm perdices, si sola culpetur incontinentia, non res ipsa. Ecce maximum Petrarchæ argumentum, cui etiam suppetias ferre mihi libet, quo tu funditus omnia, quibus se fulcire possent, unico diluas contextu. Argumentari sic possent, Sensus gustus (ut libris de anima, & de Sensu, ait Aristoteles) ob id animali datus est, quod uoluptate afficitur aut dolore, ut in alimento ea sentiat & cupiat, ac moueatur, nec aliunde potest animal discernere alimentum, conueniens ab inconuenienti. Quod igitur unumquenq; gustu maximè uoluptate afficit, id sibi alimentum cōuenientius est & suadente natura id maximè prosequendum est. Quare non solum (quod Hippocrates ait) parum dete-

*5. Collectio. cap. 32.* — *Quarta ratio.* — *Quinta ratio* — *2. Aphor.*

rior

rior cibus & potus, delectabilior uerò melioribus indelectabilibus erit præferendus. imo quantumcunque deterior, modò suauior sit, anteponendus erit quocunque meliore. Alioquin cur equis palea potius conuenit quàm caro? aut auibus illis cicuta & ueratrum? Non'ne nos ipsi medici fatemur, naturarum proprietates in cibandis ægris esse considerandas: esseque aliquos, qui carnem bubulam facilè concoquant, iam unum ex publicè iactatis est VII. Therap. nec modò naturarum proprietates attendimus, uerùm etiam ipsi consuetudini, quatenus altera quædam natura est, usque adeo obsequendum esse fatemur, ut malum cibum consuetum potius exhibendum putemus, quàm subito uel ad meliorem transire, II. de Ratione uictus acutorum proditum, & III. primi, ac pluries alibi.

*6. de Tuend. ualetud.* Igitur non solis temperatis naturis (quod ait Galenus) quinimo reliquis omnibus, quantò iucundius est quod comedunt, tantò utique fiet magis nutriens, magisque idoneum: præsertim uerò si ex talium usu diutino nullam percipiant læsionem: non enim aliter cibi cuique conuenientes discerni ualebunt. Cùm itaque haud rari sint qui pessimorum ciborum esu maximè delectentur, longoque tempore ipsis utentes nullam percipiant offensam, tales nimirum cibos illos pro sibi idoneis deligere debebunt: nec Constantini, aliorumque medicorum uerbis auscultare, dicentium non gaudendum illis qui malis utuntur alimentis, tametsi in præsenti ea probè concoquant, nec doleant: quoniam futuram perniciem non euadent. Quomodo nanque pernicies alicui uentura timebitur ex cibis illis qui naturæ suæ conuenientissimi uidebantur? plus quàm coturnici superueniat ex esu hellebori, aut illi aui alteri ex cicuta qua uescitur: nam hac etiã perhibent auem quandam nutriri. Galenus I. de Simplicibus cap. II. nouæ uersionis: & rursus lib. III. de Simplicibus cap. V. nouæ uersionis sturnum nominat. Huic opinioni condescendebat & Scipio medicus Romæ nuper famosissimus, qui uti à fide dignis accepi, suis ægris nullũ fermè cibum negabat quẽ uehementer appeterent: modò parũ inde sumerẽt, ferebaturque plurimos eorũ liberari morbis, qui se illi curandos permittebant.

*Sexta ratio.* Instant præterea sic nonnulli: Sanctius ac religiosius est uesci holeribus, fructibus, ac leguminibus, item aquam potare, quàm perdicibus, phasianis, cæterisque medicorum alimentis euchymis, ueluti hostem nutrire domesticum, carnem scilicet spiritui refragantem: ac præterea uini potum libidinum flammas augere, sanctorum uirorum uitæ, quæ nobis ad imitationem propositæ sunt, id edocent. Diuus Hieronymus, aliique plurimi, non minore doctrina quàm sanctitate uiri, eruditissimis uoluminibus talem suadent uictus rationem: testantes, non solùm ad animi (quæ hominis potissima pars est) uigorem conducere: uerumetiam ad ipsius corporis salubrem longamque uitam. Hisce ergo testibus plus credendum quàm Græculis aut Arabibus medicis his rationibus magna ex parte aduersantibus. Cui quoque sententiæ illud adstipulatur, ò felix nimium prior ætas contenta fidelibus aruis. Plurimaque alia adferri possent testimonia: quæ cùm tibi notissima sint, historiarum peritissimo, satius fuerit prætermittere. Quemadmodum & aliud argumentum eorum qui diuer

diuersum ab his uitæ genus secuti, cupiditatibus uidelicet suis pecorum more obsequentes, sua quoq; proferunt exempla, quibus sese tueantur, multos recensentes qui uoluptuoso uitæ genere potiti, nihilominus incolumiter diuq; uixerunt: idq; haud rarò plusculum quàm qui se medicinæ legibus astrinxerunt: quos sæpenumero uidere est imbecilles, parum uegetos, facilè leuibusq; de causis morbis obnoxios, ac uitæ breuioris. Galeno autem oppositum asserenti atq; de arte sua multa gloriosè iactanti minimè credendum arbitrantur. Hanc inquam rationem, ceu parum ualidam, non prosequi satius est: nec iam alias, quæ plures possent adduci, ne in re inani prolixior sim. Quin & has non scripsisse forsitan præstabat: nisi quòd ad te, id est, alterum me, dicuntur, & ioci cuiusdam gratia: quibus, si uacat, sigillatim suas subscribas solutiones uelim. Vale, & agnosce me etiam cùm tuo careo conspectu tecum colloqui, & meliore mei parte, animo uidelicet, tecum esse. Ex bibliotheca nostra.

*Francisci Valleriolæ ad propositam quæstionem responsio, ad Hieronymum Lopium medicum præstantissimum.*

## ENARRATIO II.

INCREDIBILEM mihi, Hieronyme, uoluptatem literæ tuæ, omnibus perfectæ orationis luminibus ac ornamentis refertæ, miraq; arte constructæ, attulerunt. Non solùm, quòd à te doctissimo, & omnium bonarum artium atque disciplinarum excellenti scientia perornato, meiq; amantissimo homine essent conscriptæ: sed quòd narrationem eæ quæstionis ut difficillimæ, sic sanè ad cognoscendum utilissimæ continerent. Quid enim aut explicatu difficilius, aut scitu dignius, quàm naturæ in regendis animantibus ductum, morem, rationemq; omnem cognoscere? & artis ad hominis tutelam uitæq; ac ualetudinis seruandæ modum inuentam (ea ars medica est) dignitatem, præstantiam, usum scire? & quo pacto naturæ ars inseruiat, quos fructus ferat, quid possit, inuestigare? Quæ cùm perpetua ac continenti oratione, magnaq; cum dignitate à te mihi literis tuis ad explicandum proposita sint: facere non possum, quin tenuitatis meæ conscius causæ diffidam. Eius enim rei explicatio (quod à me petis) accurataq; tractatio, uirum mihi eum exposcere sanè uidetur, qui & magna eruditione, & acri ingenio, & excellenti quadam in abditissimis disciplinarum omnium atq; artium recessibus scientia perpulchrè ornatus, tantæ rei sufficere possit. Quamobrem non est quod à me tibi hac in re posse fieri satis speres. Nec hanc ipsam respondendi tibi prouinciam unquam subiissem: ni me tui, hoc est, excellentis hominis mouisset autoritas atque amor. Vt enim propositam quæstionem dissoluere auderem, cùm ingenium tuum ac uirtus, excellensq; scientia artium optimarum, tum suauissimi mores tui, dulcisq; illa coniunctio & studiorum & animorum quæ summa inter nos beneuolentia nos astrictos reddit, suasit mihi uehementer, atque hortata est. Obseruo enim ego te (uti scis) tan- Hieronymi Lopij laus.

quam parentem, tuoq́ in nomine libentiſsimè acquieſco: teq́ in primis habere ſoleo meorum ſtudiorum & cognitorem & ſeuerum iudicem. Virtutis itaque tuæ, ſummæq́ noſtræ coniunctionis fiducia fretus, rem ipſam aggrediar. Non tam herclè perueniendi quò me uocas ſpe, quàm recuſandi pudore. Qua in re ſi non ſatis pro rei ipſius magnitudine doctis auribus tuis ſatisfeciſſe uidebor: queſo ne id magis imbecillitati meæ, quàm magnitudini rei tribuendum ducas: ac mea hæc, qualiacunq́ tandem ea fuerint, limatulo tuo ingenio atque iudicio perpolias ac meliora reddas. Sed iam ad rem.

Eſt igitur propoſita quæſtio, An ad tuendam cuiuſq́ ualetudinem præſtantius ſit ductu impulſuq́ propriæ naturę, quàm ſalubribus medicorum conſilijs uti: ut quod uidelicet natura ſumendum fugiendumúe ſuadeat, poſthabitis ualetudinariæ artis præceptis, ea ſequi oporteat. His ueſcendum, quæ cuiuſq́ natura auidius appetat, & in quæ promptius feratur. Hic eſt propoſitæ diſputationis præcipuus ſcopus, qui à nobis pro ingenij noſtri captu eſt, ut tibi ſatisfaciam, paulò plenius explicãdus. Hinc primùm ſumpto dicendi initio: Cuiuſque animãtis naturam (quod

2.physi.cap.1

Ariſtoteles ait) principium quoddam eſſe & præcipuam cauſam eorum quæ in ipſo fiunt motuum, ſiue naturales hi quos uocant, ſiue animales fuerint, hoc nempe omniũ, uel Galeno teſte, opifex natura ipſa eſt: quanquam non unicè natura Ariſtoteli dicitur. Nos tamen hoc loco de Galeni ſententia naturam non aliud eſſe cenſemus, quàm omnem qua regitur animal facultatem, ſiue illa à uoluntatis noſtræ imperio pendeat, ſiue ſecus: huius nempe facultatis legibus omne animans gubernatur.

In arte medicinali. 5. Metapho. cap.4. 5. de Sympt. cau. ad principium.

Hæc autem pro uaria corporum, quibus præficitur, cõſtitutione atque præſtantia, uarios appetitionum nanciſcitur gradus, quos nimirum uaria quoq́ functionum perfectio ſequitur: ut cuius præſtantior natura ſit, id & operum perfectione, & appetitionum pro naturæ ſuæ modo præſtantia non laceſsitum, aut alioqui deprauatum reliqua ſe inferiora ſuperet: quod præter Ariſtotelem ipſum ſenſiſſe Galenus primo de Temperamentis eſt uiſus.

Galenus 1. de Temperam.

Ab hac itaq́, quam diximus, natura, hoc eſt, cuiuſq́ animantis rectrice facultate, appetitus omnes prodeunt, qui eum inter ſe perfectionis locum obtinent, quem facultates illæ quarum ſunt: aliæ enim brutorum, aliæ hominum appetitiones & cupiditates ſunt. Hinc fit ut animanti ratione prædito (is homo eſt) perfectiſsimi atq́ optimi inſint affectus, appetitiones item atq́ cupiditates ſimiles: nimirum quòd naturæ præſtantia cæteris cunctis animantibus antecellat. Itaq́ fieri nequit, ut quod ab homine animantium perfectiſsimo expetitur, qua mente ac ratione præditus eſt, ſi modò illa regatur, non diuinum, non rationis plenum, non deniq́ ſuæ naturæ conueniens congruumq́ & ſit & habeatur. Hinc ſumma illa diſcendi cupiditas, hinc ſcĩedi inexplebilis ardor uehemensq́ deſiderium: ſiquidem (ut Ariſtoteles ait) omnes homines natura ſcire deſiderant.

1.Meth.cap.1

Hinc diuina illa mentis humanæ claritas, ſublimisq́ receſſus, quo abditiſsima quæq́ intelligit, apprehendit, agnoſcit: hinc tenax memoriæ uis: quę cuncta pro naturæ cui ſeruiunt dignitate atq́ præſtantia,

ſumm

summum itidem bonitatis locum sibi uendicant. Constat itaque hominem, qua homo est, ea tantum appetere, quæ & optima sunt, & naturæ optimè constitutæ conuenientissima. Vnde Aristoteles, artem omnem atque doctrinam, actionem omnem, omne studium & institutum, (quæ quidem ab homine omnia proficiscuntur) & bonum quoddam appetere, & ad illud ceu ad finem referri, iure optimo affirmauit. Sed & uniuersi quidem homines (ut idem alio loco ait) id semper cupiunt quod bonum est. Hominis autem bonum Platone teste atque Dionysio, est secundum rationem uiuere. Quin & Galenus eo quem memorauimus loco, nempe primo de Temperamentis Aristoteli suppetias ferre uidetur, inquiens: homini conuenire ut sit sapientissimus. Quod si talis Aristoteli & Galeno natura sua homo habetur, quid ni optima quæque ac maximè salutaria appetet? in illa uel toto (quod aiunt) pectore feretur? impetu nimirum suæ naturæ ductus. Hunc igitur naturæ nostræ impulsum atque impetum, sanè optimum, si modò homines sumus, sequi debemus, huic parere, huic nos ultrò committere: ut quò magis nos tanto duci regendos permiserimus, eò intelligamus & naturæ quoque præstantia cæteris anteponi: de qua rectissimè illud à Cicerone sub persona Catonis dictum est, Naturam optimum ducem sequimur; cuique reluctari, est gigantum more cum dijs pugnare. Hanc Hippocrates, hanc Galenus sapientissimam, iustissimam, ac prouidentissimam clamant: hanc unam ad salubres cuique excitandas appetitiones satis esse, quibus uitam ualetudinemque tueamur Galenus affirmat. cui uni si nos regendos ducendosque permitteremus, nostræ conseruandæ uitæ ac ualetudini ipsa satis esset. Verùm enimuero cùm concupiscitiua facultate, quam cum brutis communem habemus, præditi simus, eaque ut plurimum in ciborum delectu utamur: eaque etiam in nobis plerunque imperiũ agat: efficitur, ut naturæ nostræ sanè optimæ ductum non sequamur: sed ab illa plurimum auersi, nulla ratione ac temerè cupiditatibus inuoluamur: indeque plurimum aberremus, ac pro salutaribus noxia deligamus. Quod sentiens diuinus Plato, naturã nostram in Phædro currus cuiusdam instar ad equos iuncti, & aurigæ optimi moderatione recti, esse uoluit. Aurigam autem in nobis mentem benè constitutam facit: equos duos, refractarium alterum, alterum sequacem. Refractarium equum, sensuum appetitum quo præcipites ferimur, & malum nobis accersimus, esse uult: uti sequacem equum, rationem dicto audientem, & salutaria recto iudicio inquirentem: esseque perpetuam subinde pugnam, qua modò ratio, modò sensuum cupiditas uictrix euadat: ac proinde duram & difficilem esse uecturam nostram, hoc est uitæ institutionem atque gubernationem, idem eodem loco pulcherrimè affirmauit. Ab hac itaque inferiore potentia naturam nostram labefactari atque deprauari certissimum est: perinde atque si purissimam aquam (quod secundo de Crisibus scripsit Galenus) in uas luto plenum infundas: quæ tametsi tersissima nitidissimaque ipsa sit, ob uasis tamen cui immittitur impuritatem ac sordem, labem nimirum & ipsa contrahit. Sic inquam & nostra, hoc est hominum natura, quanquam omnium præstantissima, sensuum ta-

*1.Ethi.cap.1.*

*3.Ethi.cap.5.*

*Plato in Philebo & Phædro.*

*Dionysius libro de diuinis nominib.*

*1.de Sani.tuē.*

*Cap. 2.*

men illecebris delibuta, ac uinculis adligata à se ipsa degenerans inferiori sæpenumero parere cogitur. Hinc pugna illa rationis & sensuum, hinc uoluptatum feruor, hinc malorum omnis generis fons atque origo, hinc demum multa infœlicitatis humanæ colluuies, morbi, dolor, lacrymæ, fames. Quæ tametsi omnia primorum parentum culpa diuiniq́ue mandati contemptu (ut Theologi censent) nobis obuenerint, nihilo secius tamen corpusculi huius nostri ac sensuum culpa, dum illis nos ultrò permittimus, dum corpus hoc crassum & ex oppositis coagmentatū proterimus ac eneruamus sensuum illecebris deliniti, prouenire tradunt naturæ rerum scientissimi. Nihil itaque mirū, si cohercendis affectibus hisce, in quos sponte, ac ducente genio, hoc est concupiscibili facultate impellimur, adinuenta sit ars, quę cuique pro cupiditatum suarum modo prospiciat. Quæ si animi mores componat, Moralis philosophia dicitur: sin corpori consulat, Tuendæ ualetudinis nomen meretur. Harum altera efficit, ne spontaneis cupiditatibus, in quas brutorum more deprauati ferimur, nosmet subijciamus: ne'ue quid secus quàm ratio postulat committamus. Altera præstat, ut incolumes quoad eius fieri maximè potest uiuamus: noxia uitare, salubria deligere doceamur. Priore illa instructus Scipio ille magnus Carthaginensium uictor continentiæ exemplum ac insigne uirtutis suæ domitæque libidinis testimonium posteris dedit: dum uicta Carthagine speciosæ formæ captiuam uirginem intactam parentibus sponsoque reddidit. Nec dissimili arte diuitiarum opumq́ue cumulandarum ardori uirili animo restiterunt Caius Fabricius Publicola, Quintus Aemilius, Marcus Scaurus, cæteriq́ue haud obscuri nominis uiri. Quæ sanè cuncta eò Hieronyme spectant, ut intelligamus arte prouisum esse, ne nos ultrò sensuum cupidinibus dedamus. Nec reliqua, quæ in hanc partem plurima adduci possent, aggredi constitui: ne & in longum abeat oratio, & Philosophi aut Oratoris potius quàm medici partes sumpsisse tibi uideri possim. Quæ autem attulimus eò necessaria uisa sunt, quo tum autorum testimonijs, tum principum uirorum præclaris exemplis ostenderem, nec passim, nec semper sensuum affectibus atque cupiditatibus obsequendum; ob idque inuentam disciplinam qua his obsistere, hosque impetus optimè constitutæ naturæ contrarios uincere ualeamus: quod proposita disceptatio exposcere uidebatur. Hactenus tecum ut Philosophus magis, quàm ut medicus egi, quòd iuuet sæpe in aliena castra, non tanquam transfuga, sed tanquam explorator migrare. Porrò tuendæ ualetudinis ars quid corpori humano conferat, quos afferat fructus, quid iubeat medicus medica ratione ostendam: id ut indicem, quod ab Hippocrate dictum est, medica arte nullam præstantiorem, nullam fructuosiorem, nullam utilem aut necessariam magis esse. Hæc itaque salubrium scientia, quam ualetudinis artem uocamus, homini id pręstat, ut sanus degat, quæ conueniunt præscribit, salubria à noxijs, utilia ab inutilibus discernere docet: ac proinde aëris, ciborum potuumq́ue, somni item ac uigiliarum, motionis ac quietis, inanitionis ac plenitudinis rerumq́ue reliquarum omnium, quæ ad hominis uitam uel ualetudinem seruandam aut labefa-

*Ex Valerio Max.*

*Libro de lege.*

ctand

ctandam plurimum possunt, rationem omnem, ordinē, modum, usumq́ congruum præscribit: quo quis etiam parum firma ualetudine uel ab ortu ipso reliquum uitæ transigere incolumiter posit. Cùm ne bubone quidem laboraturos eos affirmat Galenus, qui sanitatis tuendæ præceptis paruerint, atque adeo se artis huius legibus adstrinxerint. *5. de Sanit. tuen.* Hæc una omni ætati, sexui, omni temperamento ex æquo seruit. Infanti adhuc in aluo posito, necdū in lucem emisso, ne temporius excidat prospicit. Hæc matri uterum gerenti ut feliciter gestet consulit. Hæc rursus in lucem editum infantem, & adhuc à matre rubentem in tutelam fidemq́ suam recipit, quomodo alendus sit, fricandus, lauandus, detergendus, ut in cunis reponendus, quibus fascijs alligandus, ut illi conciliandus somnus, ut leuandus dolor, ut lactandus docet. Adultiorem iam factum, noua arte, nouis consilijs regit: alia ciborum, alia motionum & exercitationum genera præscribit: & qua ætate in disciplinam tradendus sit docet. Hæc uiris ac senibus, alteris ne citò senescant, alteris ut fœlicem senectam in quàm longissimum tempus extendant ac proferant, ex æquo prospicit. Quæ cuncta disertissimè Galenus sex illis uerè aureis libris, qui de Tuenda sanitate inscribuntur, tradidit. Huic uni rursus congrua omnis uictus ratio pro temporum, ætatum, ac constitutionis anni modo accepta referri debet. Quo cibo potuq́ æstate atq; hyeme, uere & autumno utendum sit: qua mensura, quo ordine, quid prius, quid posterius ingerendum, quid à cibo, quid ante cibum agendum: ut cubandum, ut ueneri indulgendum docet. Nec unum tantum hominem tam elaborata methodo incolumem seruare studet: sed dum naturæ suæ infœlicitate, miseraq́ conditione in morbum inciderit, eum operosa ac planè diuina manu curare studet, unde meritò quæ præstare medicamenta id possunt, χεῖρες θεῶν, hoc est deorum manus dicta sunt. Quum itaq; talia ac tanta, tamq́ admiranda in hominis salutem præstare ars medica posit: quid ni hanc in consilium ad hominis uitam ualetudinemq́ seruandam adhibebimus? Mihi itaq;, ut tandem ad propositæ quæstionis explicationem (quod te ualde cupere animaduerto) accedam, salubrius longè, atq; etiamnum seruandæ ualetudini congruentius uisum est, medicæ artis, quæ tutandæ sanitati dicata est, præcepta sequi: quàm lasciuientis naturæ, sensuum illecebris mancipatæ, ac concupiscitiuæ facultatis appetitus inordinatosq́ motus, nec semper ceu utiliora aut meliora ea sumenda, in quæ impetu nostro atq; impulsu ducimur. Quæ ut maiorem cuncta fidem recipiant (ne in eorum albo adscribi posimus, qui nuda (ut inquit Galenus) adferentes uerba plus sibi credi postulant, quàm qui demonstrationum fide loquūtur) *2. Meth.* una opera & aduersariorum rationes abs te adductas, quibus nostra, hoc est medicorum præscripta atq; consilia conuellere tentant, diluam: & assertionem hanc meam uarijs nostrorum testimonijs ac rationibus ceu firmissimis præsidijs roborabo.

Natura (inquis) corporis gubernatrix se ipsa solertissima ac sufficiens est, ut hominem flectat impellatq; ad ea absq; errore deligenda, quæ sibi conueniunt. Docta nempe est (quod rectè subdis) animantium natura, *Primæ rationis dilutio.*

hanc igitur sequi oportet: ut quæ si aut fructibus uescēdum, aut alio quouis deteriori ciborum genere suadeat, illi protinus sit parendum. Fateor, Hieronyme, animantum naturam, hominis præsertim, sapientissimam ac solertissimam esse, ut quæ nimirum sapientiam illam summam Dei optimi maximi, unde manauit, nobis effingat. Creauit nanque præpotenti sua uirtute non animantium solùm, sed & stirpium, ceterarumque rerū naturam omnem Deus: corpus tamen cui regendo natura præficitur, non omnifariam ipsa sapientissimè aut etiam commodissimè regit, quòd sæpe inferiori potentiæ subdita, nempe concupiscibili, sensuumque illecebris irretita, interdum noxia pro salutaribus, pro utilibus inutilia suadeat. Quæ sanè conditioni suæ derelicta, neque sensuum lenociniis in diuersum acta, nihil homini tribueret quod non salubre, non demū utile, & esset & haberetur: quamque si qualem à Deo optimo maximo accepimus seruaremus, tum eam ipsam tanquam ducem optimum, ut ait Cicero, sequeremur, neque tum arte ductum ipsius moderante ualde esset opus: cùm ipsa cuique sola medici, & optimi quidem, instar esset. Qui fit igitur, ut naturæ appetitionibus non cōsentiamus? Quia uidelicet ipsa in nobis imperium non agit, sed concupiscitiuæ, moderandi corporis atque regendi largitur habenas. Quòd enim uno aut altero ciborūgenere plus capiamur, eosque sæpenumero appetamus qui noxij futuri sunt, huic uni facultati, & sensitiuo appetitui, quem cum brutis communem habemus, non naturæ nostræ optimè constitutæ acceptum referri debet: ut quòd uel amplius sapor oblectet, aut odor placeat, aut gratus color arrideat, ex hisce externis accidentibus, non ex rei substantia cibi bonitatem dimetientes: ut exempli causa, quispiam temperamento frigidus, pituitosus, & si uelis ætate etiam senex, uentriculoque imbecillo, pomorum grato sapore illectus, his pro uoto cupiditatisque suæ impetu uescetur: quæ tamen in eo, siue ætatem spectes, seu natiuum temperamentum, facilè morbum creabunt. Nimirum quòd soleant intemperatæ naturæ similibus suo temperamento lædi, iuuari uero contrariorum moderato usu: quæ docta Galeni sententia est. *In Arte medicinali.* Multoque maiorem noxam, qui tali temperamento est, ab eo ciborum genere est percepturus, si & immodicè & crebrius tali ciborum genere utatur. Ac proinde iure optimo monuisse Constantinus (inter Pœnos medicos non incelebris habitus) *Lib. de Stomacho ca. 13.* uisus est, oportere eos qui uentriculi ualetudinem ac subinde totius corporis seruare student, id in sumendis cibis potionibusque spectare, quod in sumendo pharmaco: in quo non ipsius aut quantitas, aut iucundus sapor in totum spectatur: sed ut corpori affectuique, cuius gratia exhibetur, adiumentum præstet, restituendæque ualetudini proprium sit. Sic inquam (subdit) in ciborum delectu, ea obseruatio habenda, ut non qui aut sapore aut aspectu magis placeat, is protinus ceu melior deligatur: at qui plus stomacho proderit. Is inquam sumendus, ea uidelicet quantitate quæ probè à uentriculo confici possit. En mi Hieronyme quàm doctè nō possimus, hic autor suadeat corporis uoluptatibus (quod ad naturales ciborum potuumque appetitiones attinet) non usquequaque obsequendum, imo his quoad maximè fieri potest contra

contra nitendum: ea tantum spectantes, quæ pro temperamenti & facultatum nostrarum modo profutura speramus: uel medicorum consilijs persuasi, uel rationis simul & experientiæ usu edocti. Nam amborum ope alimentorum uires dignosci solent, uel omnium medicorum sententia. Habes igitur primæ tuæ rationis dilutionem.

*Isaac dietarũ uniuersalium cap.2.*

Ad alteram Galeni transeo, quæ paulò difficilior, multò autem priore illa efficacior uisa est. Sua (inquit Galenus) cuiq; natura satis est, ad proprias conuenientesq; excitandas appetitiones quibus ualetudinem tueatur. Infers igitur, Quid medicorum consilijs opus? quid non appetentijs à natura excitatis obtemperamus? cùm hæc iuxta Galeni sententiam congruas salubresq; homini excitet. Nemo est omnium eruditissime uir, qui Galeni sensa, ut pote uerissima, calumniari possit: quod & ipsum mox ab initio fassi sumus: habere scilicet quodq; animans naturam omnium appetituum motionumq; effectricem: quæ in hoc cuiq; data est, ut congrua ab incongruis discernere queat. Fit tamen sæpenumero ut inferioris potentiæ, quam concupiscitiuã appellamus, ductu, lenocinijs, inordinatisq; motibus tracta, inutilia pro utilibus, incommoda pro ualde commodis appetat: tumq; intemperantia potius quadam, & uoluptate, quàm propriæ naturæ impetu ducimur. Nam quòd propria in nobis natura pro Galeni sententia conuenientes appetitiones excitet, non omnino cuiuis censeo naturæ tribuendum: sed ei potissimùm, quæ omnium temperatissima & maximè inculpata sit: qua de agere eo loco uidetur Galenus. Nempe ea sola tantũ & tale appetit quantum quale'ue concoquere potest: nec præceptore eget quantitatem & modum assumendorum metiente. Quæ docta Galeni in arte medicinali sententia est. At cùm hæc ipsa temperata natura uel nunquã fuerit, uel momento certè constiterit, ut idem etiam ait Galenus, ac rursus temperatissimæ sit regioni peculiaris: fit ut plurimùm ab hac ipsa declinemus. Quæ enim optimè constitutæ naturæ sunt, aut fortassis nullæ inueniuntur, aut non diu perstant: quæ uerò huic proximæ sunt, quas salubres ut multum Galenus uocat, rarò: non enim in distemperatis regionibus: in temperatis autem, qualis Galeni fuit, uel adhuc temperatioribus, ut Hippocratis, & si multa reperiantur optimæ naturæ quàm simillima corpora, multò tamen plura ab ea semota ualdeq; intemperata inueniuntur. Ac proinde cùm bona hominum pars, ab huiusmodi exacta temperie optimaq; natura distet: & ad alterutrum latus calidi aut frigidi, humidi aut sicci inclinemus: fit ut plurimùm, ut nec tale nec tantũ appetamus quale & quantũ concoquere rectè ualemus. Frigidus natura uenter (ait Galenus) ad appetendum quidem plurimùm ualet, ad concoquendum minimè. contrà calidus uenter parum quidem appetit, felicius uerò ac multũ concoquit. Adde quòd nec tantùm naturales ij lapsus, quibus à iusto temperamẽti modo recedimus, faciunt ut incongrua & nobis insalubria appetamus, atq; hisce appetitibus obsequamur: (siquidem naturales intemperantiæ similia appetunt: quæ uerò præter naturam sunt, contraria, lædi autem similibus facilè intemperatas naturas, iuuari contrariorũ moderato usu pluries à Galeno-

*Auicenna 2. canone.c.4.2. & 3.* — *Secundæ rationis dilutio* — *In Arte medicinali Gale.* — *1.de Sani.tuē. 2.de Sanitate tuen.* — *In Arte medicinali.* — *2.de Sanitate tuen.* — *In Arte medicinali.* — *Lib.de Sani. tuē.& in Arte medicinali*

proditum est) sed etiam inexplebilis huius gulæ cupiditas, damnosaq; uoluptas, quam plus æquo nimiam ex uario ciborum apparatu percipimus, ad id non inuitos, sed uolentes ultrò deducit. Quapropter nulla nostri habita ratione, eximiè uentrem distendimus, & nouis obsonijs, tragematis, bellarijs, cõdimentis, emortuam famem edendiq; desiderium suscitamus, nosmet nostro gladio iugulantes. Natura quippe ipsa homini semper conuenientes excitat appetitiones: at eas nos ipsi deprauato iudicio peruertimus, & in totum mutamus. Suadet natura & consulunt medici, haud prius edendum, quàm probè concocto hesterno aut priore cibo. At nos id minimè spectantes, qua datur hora cibum sumimus, ac uiscera saginamus, atq; eo magis si gulæ irritamẽto aliquo ex ijs quæ cupediarij arte sua (pestilenti sanè) hominibus parare solent, fuerit cõditus. Vnde crudũ crudo adijciẽtes non leuem excrementorũ copiam coaceruamus, quæ nobis podagras, destillationes, lichenas, phlegmonas, erysipelata, gangrenas, & id genus pestes, uicta tandem natura, pariat. Iubet rursus eadem ipsa, ita ueneri indulgendum, ut neque ex concubitu dissolutionem sentiat corpus, & fiat se ipso (ut ait Galenus) tum melius dormiens, tum ad motus obeundos agilius. Et id quidem neq; omnino uacuo, (ut Celsus tradit) nec denuò distento uentre. At huius ætatis homines, nullum non tempus huic rei uel aptissimum putantes, uideas citra temporis, ætatis, uiriumq; delectum ueneri operam dare. Quod nobis præ cæteris (ut serijs iocos admisceam) familiaris ille noster ueneris mysterijs initiatus, testatissimum fecit: dum & probè pastus potusq; ac fortassè etiam temulẽtus, ueneri malè olentia thura litaret. Sed hæc ioco. Illud seriò habere quodq; animans optimum ducem naturam, unde sibi congruentia deligere possit. Quid igitur (infers) medicorum consilijs, quid arte medica opus? Ad hoc sanè, ut hominum peccãdi licentia, quam in his quæ ad seruandam ualetudinem pertinent latissimam sibi uendicarunt, coherceatur, utq; legibus medicorum astricti homines tandem sapere discant: noscantq; quid noxium, quid salubre, quid quaq; hora, ætate, tempore, modo, mensura, ordine sumendum, quid respuendum: utq; congrua uictus ratio cuiq; pro temperamenti, ætatis, temporis, regionis, ac naturæ suæ modo præscribi possit. Nam non una eademq; uictus ratio (quod V. de Sanitate tuenda rectissimè Galenus prodidit) ex æquo omnibus usui esse potest. In id utiq; inuenta quæ de salubribus tractat medicinæ pars, ut quoad eius fieri maximè potest incolumis recteq; ualens homo uiuat, ne concupiscentiæ suæ derelictus à recta uiuendi regula desciscat, sicq; in morbos incidat. Hinc tandem quod ad hominis salutem pertinent tam exquisita medicæ artis ac medicorum consilia, præcepta, leges: quæ id certè præstant, id efficiunt, ne imbecilla hominis natura, & mille morborum generibus obnoxia, facilè labefactetur: quinimo artis præscriptis uegetior reddita, & procul morbum repellere, & si in eum fortè inciderit, depellere tutò possit, in quem sanè usum arte egemus hominis imbecillitatem iuuante. Si enim immutabile & impatibile esset humanum corpus, quod rectissimè ait Galenus, nullam profectò desideraret

*Hippo. lib. de prisca medicina.*
*Gale. 8. Method. & 6. de Sanit. tuen.*
*Auicẽna Fen 3. primi. doc. 2. cap. 7.*
*In Arte medicinali.*
*Lib. 1. cap. 1.*
*In Arte medicinali.*

ret artem quæ ipsius tutelæ præesset. Nunc uerò cùm numerosissimis sit affectionibus expositum, certam sibi deposcit artem, quæ omnia eius incommoda perspicere, & ipsum ab ijs tueri queat. Prodest itaq; ars medica tam temperatis, quàm intemperatis hominum naturis. Temperatis *In Arte medicinali.* quidem, non ut natiuus eorum appetitus, qui sanè optimus est, tantum quidem appetens, quantum conficere ualet, moderetur: non enim is arte moderante eget, neq; assumendorum modum metiente, (ut rectè Galenus *In Arte medicinali.* ait) sed ut qui à concupiscitiua nascitur potentia, qua præceps in tam uaria & diuersa fertur, etiam non natura desiderata, coherceatur: ut noscat quid utile & conueniens, quid inutile. Intemperatis autem naturis eo maximè prodest, ut qui in his ab intemperata natura nascitur appetitus, commodè regatur. Appetunt enim eæ similia, à quorum usu facilè lædi, iuuari autem contrariorum moderato usu rectissimè dixit Galenus. *Vbi suprà.* Ne itaq; à similium usu in morbos eiusmodi corpora incidant, quæ salubria ut nunc iure uocantur, arte egent eorum ualetudinẽ procurante. Si nempe temperamento calidus, calidis item cibis ac potibus, uniuersaq; uictus ratione ad calidum inclinante, in quam suapte natura fertur, usus fuerit, in morbum profectò labetur, simili nimirum ad simile addito. quod ne contingeret contrarijs omnino regenda talia corpora prudentissimè suasit Galenus, *Aphor.2.cōment.34.* ut arte imminens in morbum lapsus prohibeatur: & ut etiam concupiscentiæ in eis uis arte medica reprimatur. Athletarum naturas *In Arte medicinali.* quæ ad ultimum bonitatis peruenerint, fallaces esse ob id meritò Hippocrates *1.Aphor.3.* censuit, quòd similes manere non possint: neq; quiescere, utpote nimia humorum copia infarcto corpore, ob id plenitatem hanc confestim soluere iubet, uasorum inanitione, ut contrarijs ea corpora, quæ similibus seruari non poterant, commodè seruentur. Medendi itaq; ars hac ratione tum temperatis, tum intemperatis naturis prospicit. Illis quidem, non ut superior, & à natura proficiscens, sed ut qui sensitiuus est appetitus regatur: in his uerò, hoc est intemperatis, ut natiuus eorum appetitus arte dirigatur in id quod salubre est, fugiat quod noxium est. Neq; uerò ita moderandos arte hosce appetitus credendum est, ut nihil illis con donandum censeamus, in totum'ue contemnamus. Quædam enim artis legibus commendata, admodum auersatur natura, eaq; ceu lethalia uenena refugit: hic uinum, ille uitulinas, alius hœdinas natura abominatur: hisce incommodis natura consulit, atq; obsequitur, tanquam indulgentissima mater. Nonnulla item arte improbata, natura interdum desiderat: hæc non denegat cupienti ars: si quidem parum deteriorem cibum ac potum, suauiorem tamen & delectabiliorem, meliori at minus suaui præfert. Eadem ipsa consuetudini, ætati, tempori (quod ait Hippocrates) *2. Aphor.38. 1.Aphor.17.* nonnihil concedit: tantum admonet periculi, assumendorum usum mensuramq; præscribens. Non sanis solùm, sed & ægris, & ab ægritudine resurgentibus, nociua cibaria petentibus, & ualdè cupientibus, non denegat. Hæc summa artis in omnibus temperamentis prouidentia atq; clementia. *Damascenus Aphoris.35.* Nec obstat quod ais, plurimos medicorum præceptis carentes, & consilio destitutos, sanos per omne æuum degisse. Id ipsum sanè unà cum

*Lib. 29. Nat. histo. cap. 1.*

cùm Plinio confiteor. Romanam enim gentem annos ultra sexcentos sine medicis incolumiter uitam duxisse, libro Naturalis historiæ XXIX. cap. I. testatur: attamen non sine medicina ut idem inquit. Quippè quisque sibi pro iusto temperamenti modo, ætatis, sexus, cœli constitutionis, regionis, atq; naturæ congruam præscribebat uictus rationem, qua illæsi permanebant, nec morbis magnopere obnoxij: his quisq; sibi medici uice erat. Qui si quando uel humorum culpa, uel naturæ uitio aliquo in morbum incidissent: hunc protinus inedia, balneo, frictione, unctione, quiete, uel congruo motu, adhæc paratis in id simplicissimis quibusq; antidotis, quæ facilè ad manum essent, nec ingentem pharmacopolarum operam desiderarent, sibi facilè medebantur.

*Vide Catonē lib. de re rust. cap. 157. & Plin. libr. 20. cap. 9.*

Cato ille Romanorum omnium grauissimus semper habitus, se suamq; familiam omnem, solo brassicæ usu ab omni penè morborum colluuie immunem annos plurimos seruauit. Fatetur & Hippocrates libro de Arte, plurimos sine medicorum opera, ingentibus ac perniciosissimis malis seruatos: at eos ipsos tamen qui medicis non uterentur, medicæ artis beneficio fuisse seruatos: nimirum tempestiuo & accommodo aliquo auxilio, utpotè, uel uomitu, uel alui deiectione, uel inedia multa, uel somno, uel quiete, uel uigilijs: quorum quodq; ut in tempore adhibitum est, ita summo languentibus præsidio esse solet. Itaq; & qui artem damnant, tum maximè illius beneficia sentiunt, cùm maximè non utuntur: fateri enim coguntur uno aliquo ex ijs quæ diximus opportunè dato, se liberatos. Atqui hoc ars non est?

*Vbi suprà.*

Est sanè, si Hippocrati creditur. Adde rarissimum nunc esse, ut sunt hominum deprauatæ naturæ, ac corruptissimi mores, ut quis medico non utens incolumis degat: nam si unum aut alterum proferas, inuenias ex aduerso innumeros qui neglectæ artis pœnas atrociter luant. Socratem ferunt optima quadam natura; aut quod magis credam, animi temperantia præditum, salubrem citra medicorum opem duxisse uitam.

*7. Naturalis hist. cap. 50.*

Xenophilum musicum recenset Plinius annum quintum supra centesimum suæ ætatis, exquisita quadam uictus ratione sine ullo corporis incommodo expleuisse. Misertus itaq; humano generi Deus, hanc artem omnium saluberrimam, ac beneficentissimam de amplitudinis suæ solio, ad uitæ nostræ tutelam produxit: quò illi, ceu matri pientissimæ inhærentes, ac illius præceptis dicto audientes, imbecillam ac fragilem conditionem nostram tueri possimus.

*Gale. 5. de Sanit. tuen.*

Nam qui quæso non magna illa admirandaq; artis opera sunt, si cui iam ab ipso ortu imbecillum corpus fuerit, hunc & ad plurimam perduxisse senectutem, & sensibus illæsis ab omni prorsus morbo doloreq; alienum atque integrum perpetuò seruasse?

*Vbi suprà.*

Quamobrem omnes hortatur Galenus, omnes candidè monet, ne ueluti uulgus pecorum more incauta uictus ratione utantur: quin potius usu explorent, quinam ipsis cibus potus'ue noxius sit, aut salutaris. Quæ præterea quantaq; dimotio. horum (subdit) qui non rudes sunt, sed ratione probè exercitata, ijs suadeo obseruent, ex quibus lædi se iuuari'ue sentiant: ita enim fiet, ut in paucissimis medicorum opera egeant, quoad in sanitate fuerint.

*Vbi suprà.*

Equidem (quod Galenus ait) quomodo turpe non sit, ob neglectam artem,

tem, qui optima alioqui natura sit præditus, hunc ob podagram ab alijs gestari? aut calculo uexatum, & colo, & ulcere in uesica ex cibis mali succi contracto, doloribus contabescere? Quomodo rursus non turpe sit, propter articularem morbum, suis ipsius manibus uti non ualentem, alienis egere, quibus ori cibos admoueat? satius enim sit, si cui ullum omnino est pectus, sexcenties mori quàm talem uiuere uitam. Prosunt igitur imperitis medicorum consilia atq; præcepta, ut per ea salutis suæ reddantur periti: in'q; seruanda ualetudine fiant prudentiores simul & cautiores. Peritioribus uerò, ut scientes intelligentes'q;, ea & ipsi sequantur, & alijs impertiant. Vt autem temperatis naturis intemperatis'q; ars medica prosit, abundè à nobis paulò antea dictum. Atque hæc pro Galeni sententia explicanda, pro'q; secundæ tuæ rationis dilutione sufficere posse puto.

*Tertiæ rationis dilutio.*

Tertiam rationem tuam, Aristotelis sententiæ innixam, sic diluam. Fateor unà tecum, naturam frustra nihil operari: nam id ipsum Aristoteles Galenus'q; testantur. Omnia nempe uel ad hominis commodum & usum, uel deniq; ad ornatum facta sunt: neq; irritò (quod ais) appetitiones, aut ad perniciem nobis natura ipsa indidit, sed ad bonum potius. Verùm quòd hisce abutimur, nec nobis ipsis ullum in his modum statuimus, ob id non omnifariam sequendæ. Omnifariam rectè dixi, quòd nonnihil ijs condonandum esse, cum Hippocrate censeam: ut qui non minimum ætati, tempori, consuetudini'q; semper tribuat. Equidem tametsi alicuius natura pessimo aliquo cibi genere delectetur, id'q; auidissimè appetat, non tam ob insignem sui malitiam, quàm sumentis intemperãtiam nociturum puto. Quinimo uel Hippocratis sententia, parum deterior cibus & potus, delectabilior uerò, melioribus indelectabilibus est præferendus. In illius tamen mali cibi sumptione statuendus modus: ut qui si qualitate noxius sit, ne quantitate noxam augeat satagendum. Hoc pulchrè Damascenus seruabat, dum noxia interdum conualescentibus permittebat: putans fore, ut quem cibum natura multum appeteret, hunc probè & ipsa cõficeret, atq; ob id in suos ipsius usus haud difficulter uerti: eo'q; magis, si id adijciatur, quod illius noxam quam erat inferre paratus, corrigere possit: si item & exiguum cibi illius, neq; crebrò exhibeatur: eo'q; præparationis modo, qui malam in eo uincentem qualitatem aut superet, aut certè tollat. Nos uerò nedum paulò deterioribus, sed & multò pessimis ad uoluptatem & intemperantiam uescimur: utentes scilicet quibus non oportet, aut plus quàm deceat: aut non in tempore, neq; ut conuenit: cùm interea temperans, (ut inquit Aristoteles) & qui suæ saluti prospicit, aliter sese habeat: his utens, quæ recta illi præscribit ratio, quæ'q; postulat ualetudinis suæ modus. Vt in exemplo, si quis parum prospera ualetudine, crudorum fructuum, aut holerum esu capiatur, & si ea talibus noxia sunt, si tamen neq; crebrò, neq; immodicè sumantur: & ijs temperata, quæ morbificam eorum qualitatem uel tollant, uel certe minuant, nihil obfutura crediderim. Horum itaque causa necessaria ars quæ hisce cupiditatum motibus prospiciat, iustum'q; præfiniat modum.

*Arist. 1. cœli, cap. 4.*
*Gale. 1. de usu part. cap. 23. ad finem.*
*1. Aphor. 17.*
*2. Aphor. 38.*
*Aphoris. 35.*
*3. Ethi. ca. 11.*

Nec

Nec est quod nobis helluones obijciant, pessima quæq; probè à se confici, nihil inde noxæ sentiri, non se lædi uentriculo, nihil tali uictus ratione à munijs ad uitam necessarijs impediri. Nam postea tanto maiorem sentient læsionem quantò deterius fuerit quod ingesserint. Vnde Galenus omnibus, inquit, praui succi edulijs, quantuuis probè à nonnullis conficiantur, abstinere in totum consuluerim: clam enim, sensimq; longa dierum serie prauus in uenis succus ex ipsis suggeritur, atq; accumulatur: qui uel leuicula putredinis arrepta occasione febres sæuissimas, & mirè contumaces excitabit. Ei uerò quod subdis, medicinæ autores ciborum naturas pro suo quemq; arbitratu statuisse, ut quem maximè diligerent hunc probarent: quem contrà, ceu noxium damnarent: id mihi aliter (quod bona uenia dictum uelim) sese habere uidetur. Nam & multo rationis examine, & longa obseruatione atq; experientia alimentorum uires compertæ sunt: ex substantia nimirum, odore, saporeq; potissimùm: deniq; ex effectis, & eorum uiribus suam cuiq; naturam constituentes: ut hunc boni succi, mali succi alterum: hunc concoqui facilem, illum difficilem: alium putredini obnoxium, alium putredini resistẽtem: uti apud Galenum, Isaac, & Auicennam est uidere. Quanquam fateor, alios alijs regionibus suauiores nasci, magisq; ex usu esse: rursus alios alijs corporibus conuenire, magis minus'ue, prout cuiusq; natiua temperies, educationis ac consuetudinis fert ratio. Nec absolutè de cuiusuis cibi bonitate aut malitia proferendus sermo, sed prius hominum naturæ proprietatesq; penitius spectandæ: nam quod uni est amicum, alteri est inimicum: uti post Galenum, Isaac rectissimè dixit. Item quod in regione una saluberrimum est, in altera lethiferum ac pestilens: ut de perseæ fructu monumentis proditum: in Perside enim natiuo solo lethalis, in Aegyptum uerò translata arbore, fructus edendo fuit. Non igitur pro autorum arbitrio ac uoluntate, sed pro rei natura ac uiribus ciborum naturæ tales uel tales constituuntur. Sed hæc de tertio plus satis.

*2. de Alimẽt. cap. 6.*
*Auicẽ. Fen 3. primi doc. 2. cap. 7.*
*Diætarum uniuersalium cap. 2.*

Petrarchæ uerò ratio, ceu Rhetorum lenocinijs, quàm demonstrationis potius legibus innixa, refelli facilè per simile potest. Si enim quodcunq; oblectat (ut ille uult) idẽ & prodest: quid quæso formosæ mulieris aspectu iucundius? congressu quid delectabilius? at quẽ non terreat malorum quæ inde sequuntur colluuies? quem non pœniteat admissi complexus, quo sibi uirium deiectionem, neruorum incontinentiam, humorum omnium corruptelam, totius deniq; corporis tabem, immo potius mortem conciliauit? Sic inquam, si quempiam oblectet mali alicuius cibi fallax qualitas, sapor, color, aliud'ue simile, sentiet paulò pòst latentis mali noxam. Nam id sæpenumero usu uenit, ut quod prouerbio dicitur, lateat sub melle uenenum.

*Quartæ rationis solutio.*

Sensus gustus (obijcis insuper) animali datus est, ut in alimento, quod uoluptate afficit, ab eo quod contristat discriminet: ac eo sensu discernat quid sequendum, quid fugiendum. Id quidem uerissimum. Cùm infers, Igitur quæ uoluptate afficiunt omnia, ea protinus & conueniẽtia erunt. Id non prorsus admittendum. Nam etsi saporis gratia, indeq; percepta uolup

uoluptas, ad congruam cibi concoctionem plurimum momenti habet, uel Galeni testimonio inquientis, omnibus suauioribus esculentis id propriũ esse solere, ut & uentriculo utiliora sint, perinde atq; insuauia ipsum euertunt, supinumq; reddunt. Fit tamen, ut non inde omnifariam cibi sit bonitas malignitasue spectanda: cùm non rarò contingat (quod uenustissimus autor Dioscorides testatur) ut ueneficum cibum prorsusq; exitialem, iucũdus & maximè gratus sapor suauiorem gustui reddat. Quod hi maximè norunt, qui condimẽtariam obsonatricemq; exercentes, summis etiam uiris hoc pernitioso artificio imponunt: nulloq; labore iugulant. Non igitur quod suauius, id omni ex parte & melius: sed quod melius nutrit, quod facilè concoquitur, quod demum cum alito corpore conuenit, & uoluptate afficit, id certè optimum: quod contrà pessimum. Et hæc rationi tuæ satisfaciant.

*2. de Alimẽt. cap. 20.*

*Lib. 6. cap. 1.*

Hieronymi sanctissimi uiri ratio, (quæ tuarum postrema est) id tantùm contendit, ut quod ad religionem uitæq; sanctimoniam attinet, salubrius sit his uesci quæ carnis flammas libidinumq; impetus arceant, & carni aduersus spiritum calcaria adimant. Verùm stat, ut qui carnem habet iam spiritui subditam, & præclaris laboribus probè exercitã, is possit quibuslibet uti, quæ & ad usum, & ad seruandam ualetudinem faciant: à quibus profectò nihilo se magis aduersus spiritum eriget, quàm si tenuissimo uictu uteretur: nimirum cùm naturam habeat probis institutis ac moribus sanctè educatam, mentemq; recti atq; honesti lege formatam: in quorum albo es tu unus Hieronyme, uel præcipuè summoq; tuo merito numerandus, qui nulla quantũuis splendida mẽsa, non Siculis delitijs, aut geniali uictu, posses ab seuera illa tua uiuendi regula, cibiq; parcitate dimoueri. Non ab illa tua morum constantia, uitæ integritate, religionisq; cultu. At de his præstat silere: ne in os, quod aiunt, assentari uidear. Hæc sunt disceptationis à te mihi propositæ præcipua capita: quibus pro ingenij mei modo & orationis tenuitate satisfacere uolui, magis ut tibi, quem unicè obseruo & colo parerẽ: quàm ut rei dignitati satisfacere me posse sperarem. Id mecum reputans, nihil esse tam humile, tam ieiunum, quod non tu facilè eruditione tua atq; iudicio perpolitum, augustissimum, amplissimumq; reddere possis: illudq; memineris, in magnis & uoluisse satis. Vale.

*Hieronymi Lopij moderatio.*

*Febrim ex bili tum prasina, tum æruginosa fieri posse experimento probatum, & earundem febrium curatio.*

## ENARRATIO III.

MEDICORVM plerisque nec infimæ notæ uiris, uisum est, eius generis bilim, quæ prasina, seu porracea, à prasij uel porri colore nuncupata est, aut eam etiam quæ æruginosa ab æruginis colore nominatur, febrem accendere non posse, ob insignem eorum humorum prauitatem, insitamq; uenenositatem quandam, qua ita humano corpori aduersantur, ut citius

aut acrimonia uenenositateq́ue sua enecent: aut si uirtus paulò ualidior sit, quàm ut ab ijs superetur, uomitu reijciantur potius, quàm febrem accendant. quòd sensisse in primis uisus est Isaac Israëlita inquiens, Prasina bilis fieri nequit ut in hepate generetur, nec transit ab stomacho, nec generat febrem, quòd tanto tempore in corpore non maneat ut putrefiat, & accendat febrem. Natura quippe suis semper uiribus utens, eam ob sui malignitatem expellit: quod si non faciat, accenditur ab ea corpus, & moritur homo. Ac mox de æruginosa loquens subdit, Igitur (ait) si talia de prasina accidunt, tanto maiora ac certiora de æruginosa euenient. Hæc ille. Liceat enim mihi nunc barbarorum uerba referenti, barbaris item uocabulis uti, ac ijs, quibus in suis ipsi uoluminibus utuntur: ne si aliter quàm ipsi fuero locutus, uidear ipsos non in re illa, de qua loquuntur, intellexisse, aut eorum sensa nouis uerbis immutauisse. Ex huius autem autoris assertione uidere est, quàm non dissimulanter ab æruginosa uel prasina bili, febrem accendi non posse affirmet. Cui sententiæ in parte subscribere uisus est Auerrous, dum ab his humoribus factas ægritudines incurabiles, ac penè lethales esse, tertij Collectionum suarum capite tertio scriptum reliquit. Ego autem non id modo asserere possum, ab huius generis succis febres oriri: sed & salubres interdum esse, experimento à me comprobatum olim fuisse. Vtrunq́ue enim in duabus mulieribus Valentiæ Allobrogum, dum illic medicinam facerem, usu uenisse testari integra fide possum. Erat autem harum altera ætate florens, biliosiq́ue temperamenti, & uiro nupta: altera uidua & ætate grandior, utraq́ue uerò ardentissima febri uerendisq́ue symptomatis corripiebatur, nec sine maximo discrimine curantisq́ue medici summo labore restitutæ sunt. Febrim autem, ab huiusmodi pernitiosis succis fieri posse ut doceam, aliorum in primis hac de re sensa adferam: idq́ue non raro usu uenisse plena fide monstrabo. Galeni porrò testimonium abundè nobis magnam ad id probandum fidem effecerit. Is enim Aphorismorum quinto, febrem & conuulsionem ab æruginosa bili in iuuene quodam enatam fuisse ijs uerbis testatur.

3. Febrium. cap. 7.

3. Collectionum ca. itē 3.

Comment. 1.

Ἐφ' ᾧ καὶ ἄλλως ἑωράκαμεν, ὅταν ἰσχυρῶς δηχθῇ, γεγενημένους σπασμούς, ὥσπερ καὶ τῷ νεανίσκῳ τῷ ἰὸν ἐμέσαντι. βέλτιον γὰρ ἰὸν οὐκ ἰώδη τὸν ἔμετον ὀνομάζειν ἐκεῖνον, ἐπειδήπερ ἦν οἷος ἀκριβὴς ἰὸς ὀνομαζόμενος εὐανθέστατος. ἀλλὰ κατά γε τὸν ἔμετον ἐσπάσθη πᾶν τὸ σῶμα, καὶ ὅτι πυρετὸς αὐτοῦ, καὶ ὁ σπασμὸς ἐπαύσατο παραχρῆμα κενωθέντος τοῦ ἰοῦ. τοιοῦτον δ' ἦν τὸ ἐμεθὲν, οἷον εἴ τις ὕδατι δεύσειεν ἰὸν τὸν ἄριστον, ὡς γενέσθαι σύστασιν ἐξ ἀμφοῖν σιραίῳ πάχει προσεοικυῖαν.

Quod est: In quo & alias uidimus, ubi fortius mordetur uentriculi os, fieri conuulsiones, sicut adolescenti qui æruginem euomuerat. Præstat enim æruginem, non æruginosum uomitum illum nominare. Erat enim talis, qualis: quæ uera ærugo nominatur florentissimus. Verùm inter uomendum totum corpus conuulsum est, & ærugine euacuata febris statim & conuulsio cessauit. Tale autem erat quod euomuerat, sicuti si quis optimam æruginem aqua perfunderet, adeò ut ex eorū unione talis substantia exultaret, quæ defruti crassitudinem repræsentaret.

Ex hac autem Galeni serie apertè monstratur, conuulsionem & febrem

brem ab æruginoso humore in hoc iuuene obortam esse, accenso nimirum acri calidissimoq́ue humore. quod illa maximè Galeni uerba indicant [Aerugine euacuata febris statim & conuulsio cessauit]. Quo enim tangente afficimur, & separato cessat affectus, causam esse omnibus in confesso est, uel Galeni primo de Locis affectis sententia. Itaq; cùm æruginosa bili præsente & febris & conuulsio præfatum iuuenem ualdè exagitarent: ad illius autem eductionem, & febris & conuulsio confestim ablata sint, inferendum omnino æruginem huiusmodi, & febris & conuulsionis primam continentemq́ue causam fuisse. quod ei causæ continentis ratio maximè conueniat. Cùm enim ad bilis in hoc iuuene consistentiam, confestim & febris & conuulsio apparuerint, ea uacuata protinus cessauerint, censendum necessariò, continentis causæ rationem in hoc affectu præfatam bilim habuisse. Quod eò de industria in hunc locum conferre uolui, ut ex hoc Galeni loco uel euidentissimè ostenderem, causam continentem in morbis à Galeno constitui. Sed quando ea de re uberiore tractatione mihi animus est Galeni mentem explicare, & meam hac de re assertionem tum uarijs Galeni, Aristotelis, & medicorum fermè omnium locis, tum firmissimis rationibus aduersus Leonardum Fuchsium, uirum nunquam satis laudatum, egregiumq́ue medicinæ instauratorem, non ullo quidem pertinaci contradicendi, aut calumniandi studio, sed unius tantum ueritatis inquirendæ amore demonstrare, in eum locum tractationem hanc totam reijciemus. Vnde uerò digressi sumus redeuntes, febrim interdum ab exitiali hoc humore nasci, ex Galeni mente affirmamus: cui sententiæ Auenzoar percelebris medicus subscribere uidetur: inquiens, fieri posse ut febris à cholera oriatur, quæ in ultimo caliditatis & siccitatis sit cõstituta, ut à cholera uitellina, prasina, & æruginosa. Quin & Auerrous pessimam ardentium febrium eam esse testatur, quæ à zinaria (ut illius uerbis utar) hoc est æruginosa, aut prasina oritur: ut quæ nimirum tum longas accessiones, tum pernitiosa symptomata habeat: ob idq́ue febres huiusmodi curatu esse summè difficiles. Nec desunt ex recentioribus qui experimento se id comprobasse affirment: quippe Petrus Apponensis, Conciliator dictus, ab prasina bili obortam esse febrem in iuuene quodam siccissimæ calidissimæq́ue naturæ: cui (ut idem ait) uehemens æstus, sitis, extremorum quoq; frigiditas, animi defectio, & cætera quæ pernitiosas & lethales consequi febres solent, aderant. Abundè igitur mihi horum testimonio autorum probare uisus sum, tum ab æruginosa, tum ab porracea bili oriri posse febrim. Nunc uerò ostendendum nobis est in prænarratis mulieribus obortas febres, ab his humoribus ceu effectricibus causis originẽ duxisse. Sed quò idipsum plenius doceam, in primis prædictarũ mulierum & temperies, & uictus omnis ratio, & consuetudo, adhæc aëris tum nos ambientis, ac cœli cõstitutio enarranda erunt: sic enim palã fiet quàm facilè fuerit in hoc morbi genus eas incidisse. Erat itaq; utraq; calido admodũ temperamento, siccoq́ue: sed ita, ut in altera caliditas siccitatẽ, in altera siccitas caliditatem uinceret: utriusq; uerò omnis uitę ratio uigilijs, laboribus, curis, ac mira semper rei familiaris augendæ

3. *Theysir. trac.1. cap.6.*

4. *Collectionum cap.28. et rursus lib. 7. cap.11.*

*Diff.91.*

sollicitudine constabat. Victus uerò, acutis ferè semper, calidis, ac nidorosis, non raró siccis, crassis, glutinosis ac frigidis cibis constabat, Aëris uero tum nos ambientis, cœlique constitutio admodum calida, æstuosa siccaque erat, suaque intemperie acutos tum generans, tum exacuens humores: unde acuti ab his morbi plurimi sunt oborti. Siquidem ardentes febres, quas καύσους, ob uehementem ardorem Græci uocant: adhæc synochi ex sanguinis biliosi putredine, tertianæ exquisitæ, nec non cruentæ dysenteriæ populariter tum uagabantur, efferuescentibus exacutisque in corpore succis. Nec dubium, quin horum populariter uagantium morborum causa uel præcipua, in huiusmodi uehemẽtem aëris intemperiem esset reijcienda. Quippe quoties uarij sexus, ætatis, educationisque homines eodem morbi genere corripiuntur, idque eodem tempore, huius causam censendum est esse maximè communem: hoc est, aëris uitiosi perniciosam qualitatem, aut substantiam qua inspiratu hausta, lethalis perniciosusque in corpore concipitur spiritus, ut est Hippocratis uetustissimi sententia: *Lib. de hum. natura.* unde eo ipso per interna uasa disseminato, fit, ut qui intus latent succi simili afficiãtur qualitate, qualem obtinet conceptus intrò spiritus. Cumque ea tum temporis uehementer esset calida siccaque, ac perniciosæ qualitatis occultæ particeps, nimirum si plurimos eodem tempore contigerit simili affectu torqueri. Nam quomodo affectus mutatusque est aër, ita necesse est humana corpora affici: maioris tamen, minorisque habita ratione: quum nonnulli magis alijs & pati & reniti temporis cõstitutioni possint: pro cuiusque uario temperamento, ætate, educatione, constitutioneque corporis. Iuuenes quippe, temperati, bonæ educationis, ualentisque corporis, hoc est, densorum meatuum, plus aëris mutationibus resistunt: adeoque ab illis minus patiuntur quàm senes intemperati, incauti uictus, raræque texturæ homines, uti est Galeni sententia. *9. Metho. & in Arte medicinali.* Itaque tali existente æstatis illius anni cõstitutione (erat autem annus trigesimus primus supra sesquimillesimum à Christo nato) redundantibusque plurimis in corpore succis per intemperantiam genitis, uarij generis febres obortæ sunt: inter quas nonnullæ graues, perniciosæ, uerendorumque symptomatum apparuere: sed omnium generum febres uicerunt, quas in præfatis mulierculis consistere diximus: quod ut ostendam, talium morborum adnotatam per me naturam subscribere non pigebit, quò deinceps talibus præmonitus signis, possit doctissimus quisque harum febrium naturam latentemque earum perniciem nosse, methodoque medica curare. Igitur harum duarum mulierum altera, quæ & iunior, quum uehemẽtius se diutiusque motibus corporeis exercuisset, atque subinde incaluisset, concalefactis commotisque humoribus, se protinus frigidiusculo aëri (ceu concepti ignis remedium petitura) opposuit, frigidamque liberè hausit, comitante ad hæc plurimo quum horariorum fructuum, tum olerum frigidorum esu, quibus & tum usa est & semper antea utebatur: unde ab horum intempestiuo plurimoque usu, plurimis in corpore genitis succis, ijsque lentioribus, obstructio internorum uasorum secuta est: *11. Meth.* quum ab his obstrui soleant uel Galeni testimonio. Nempe stipari solent uasorum ora, quoties aut multi confestim

succi

succi occasione aliqua agitati eò irruunt: ut in his qui ualidis & assiduis se motibus exercent, uel à lentis crassisq; humoribus in ea loca transfusis, ad hanc uerò meatuum internorum stipationem protinus prohibita humorum libera transpiratio est: ad quam demum putredo febrisq; sequuta sunt. Cumq; sic malè affecta decumbere cœpisset meq; ad se accersiuisset: uocatus, nihil antiquius habui, quàm morbi speciem, naturam, recursum, affligendiq; morem methodo medica disquirere: (quum sit principium methodi medendi, morbi cognitio: ita prodente Galeno) percontatusq; *2. Meth.* de ratione uictus ab ea seruata, de corporis motibus, animi curis, cæterisq;, ex quibus morbi productrices causas intelligere me posse putabam. Respondit, & ualide se cùm animi, tum corporis motibus agitatam, & immodicis cacochymis edulijs usam: adhæc, incautam se, à laboribus calentem, frigido aëri exposuisse, frigidamq; liberius hausisse: tumq; per aliquot scilicet antea dies, quàm decumberet, grauiorem sibijpsi uisam: comitante inæquali quodam per uniuersum corpus affectu, acuto quidem illo: quem affectum ulcerosum sensum, iuxta Galeni sententiam, *4. de Sanitate tuen.* nuncupare possumus, ob humorum inquam acrimoniam. Vnde plurimis acutis succis in musculos carnis irrumpẽtibus, necesse est inæqualem quendam, hoc est & grauem, & acutũ percipi sensum. Grauẽ quidem, ob humorum copiam, quæ grauis sensus causa est, eiusdemmet Galeni testimonio: *Vbi suprà.* & acutum, ob eorundem humorum in mordendo ac uellicando acrimoniam. Ad hæc oris amaritudinem, sitim, inquietudinem, peruigiliũq; per multos ante dies, quàm morbo teneri se sentiret, pati se adseuerabat: indicia utiq; iam redundantis in corpore bilis, ex Auicennæ senten- *Fen 2. primi doc. 3. Summæ primæ. cap. 7.* tia. Post hæc humoris impetu uicta horruit ualde, ductis scilicet plurimis in musculos corporis acutis excrementis: quò enim talia acutiora copiosioraq; sunt, eo maiorem uehementioremq; pariunt rigorem, ita prodente Galeno. Nec obstat, quòd continens ad hunc horrorem secu- *5. de Sympt. cau. & 2. de diff. feb.* ta sit febris: cuius tametsi proprium sit horrorem non inferre, (ut II. de Febr. differ. uult Galenus) existente nimirum tota illius in uasis conclusa materia: (ut IX. Therap.) fieri tamen interdum potest, ut ob exuperantem acuti excrementi copiam, uirtus hoc se exonerari cupiens, uenas eo inaniat, inq; musculos carnis ualido cum impetu trudat, atq; sic horrorem pariat. Nec repugnat in continentibus febribus typum fieri, inquiente nimirum Auicēna, in initio continentis febris, quæ à pituita est (quam *Fen 1. quarti. tract. 2. cap. 50.* & laticam uocant) horrorem, rigorem, ac frigus fieri. Quem locum exponens Gentilis Auicennæ interpres, ait, idipsum ob summam uenarum plenitudinem (quæ tali succo onustæ calidum innatum quasi præfocant) prouenire: quòd si pituita id symptomatis in continente febre pariat, cur non & bilis? ut quæ nimirum æquè mobilitate & acrimonia sua natiuum calidum obtundere, quasiq; præfocare posit, atq; pituita mole frigiditateq; sua? Minimè itaq; mirum, præfatam febrim, tametsi cõtinens fuerit, horrore etiam ualido comitatam fuisse. Nec id pugnare mihi uidetur cum Galeni textu præcitato, qui tantum de eo rigore loquitur, qui ab succis foras ductis ibiq; putrentibus prouenit: cuiusmodi est in intermit-

tentibus fermè omnibus reperire: non sic in continuis, ut quarum materia intra uasa contineatur: ut abundè idem testatur Galenus. Cætera *9. Meth.* nunc eiusdem febris persequamur, quam utique in primis caloris uehemens acrimonia discernebat: erat quippe mordax, acutus ac feruens, ac quò magis diutiusque inhærebat tangentis manus, eò se molestiorem tactui offerebat: indicium scilicet uehementis in corpore flammæ ob accensam intus bilim: eratque id signum ab his quæ secundum rei substantiam insunt, cùm sit febris in genere caloris præter naturam. Pulsus uerò citatis- *1. de Feb. diff.* simi, inæquales, duri, ac parui erant: quorum uelocitas summam sequebatur spirituum humorumque accensionem, unde necessitate aucta, cùm facultas per pulsuum magnitudinem ob sui imbecillitatem satisfacere non posset, uelocitate occurrit. Hæc enim est celeris pulsus autoribus Galeno *Lib. 1. de Pulsuum cau.* & Auicenna præcipua causa, caloris abundantia, & facultas non omnino *Auic. Fen 2. primi. Summa de pul. capite 6.* deiecta: cùm enim imbecilla facta est, iam non celeres pulsus, sed crebros efficere solet. Quæ docta Galeni primo de Pulsuum causis sententia est. Cumque in præfata laborante facultas adhuc ualida satis pro morbi ratione constaret, summaque caloris abundantia, instrumentorumque duritie pulsus nimirum celeres ac duri apparebant. Inæqualitatis porrò causa erat, facultas magna noxij humoris copia degrauata, grauique onere pressa. Ea enim humorum moles facultatem aggrauans (siquid Galeno secundo de Pulsuum causis creditur) inæquales efficere pulsus solet. Nec minimum momenti ad huiusmodi excitandos pulsus in præfata laborante uentriculi perceptam à bilioso humore noxam habuisse existimo. Nam cùm ore uentriculi affecto grauia sæpenumerò sequi Symptomata soleant, fit non rarò ut pulsus inæquales ab tali pathemate oriantur: quæ docta Auicennæ sententia est. Quamobrem cùm & bilis porraceæ uentriculum acri- *Vbi suprà.* monia sua uellicantis copia subesset: & cor in consensum traheretur, uehementique tremore ob id afficeretur, consequens certè fuit, inæquales inordinatosque fieri pulsus. Duritiei uerò origo ex uenæ duritie & siccitate manabat. Parui tandem uirtute amplius deiecta facti sunt pulsus. Ab excrementis porrò sui quoque moris indicia sumebantur: erant enim alui excrementa calida admodum, acuta, mordicantia, colore uiridia, interdum lutea, ac croci tincturam referentia: & ut in summa dicam, sinceræ deiectiones erant, magnum planè (si Hippocrati creditur) in acutis febri- *Aphor. 7.* bus malum. Vomitus porracei, subobscuri ac crassi, succumque porri expressum referentes: quos ceu omnium pessimos meritò damnauit Hip- *2. Præsag. textu 30. & 40.* pocrates. Ad hæc sudores pessimi, huius succi copiam malignitatemque demonstrabant: nimirum fœtidi, coloreque suo uiridi stragula colorantes: copiosi quidem illi, sed multò cum labore, & crebro animi deliquio prodeuntes: tum ob humoris malitiam, tum ob uehementem meatuum internorum obstructionem, externorumque stipationem. Sudor enim non nisi relaxatis quæ occasione aliqua coierunt meatibus, manare potest: ita nono Methodi asserente Galeno. Itaque ob eas quas proximè retulimus causas, summo cum labore angustiaque ægrotantis sudor emittebatur, quem potissimùm in diebus decretorijs prodeuntem, frequens ani

mi

mi defectio ob spirituum in pugna resolutionem, & à materia ualidam oppressionem, neq; non delyrium, uigiliæ, corporis inanis iactatio præcedebant: quæ tum uehementem uirium agitationem, tum humorum uitium planè monstrabant. Lotia uerò tum colore, tum substantia, tum sedimento pro morbi ratione uaria, inconstantia, infidaq;, ut plurimum autem rubra, ac uehementer incensa, crassa, malè olentia, liuida, tenui interdum sedimine prædita, tandem uerò crasso & bono. Color uerò faciei & oculorum, ut uarius semper & inconstans, sic quoq; eximiam præ se ferens laborantis angustiam, grauemq; opprimentis humoris in uires impressionem: quippe ut plurimum toruus aspectu, rubensq; ob uehementem spirituum & sanguinis incensionem apparebat: non rarò subflauus, liuescens, cum intermisto uirore, uaporibus scilicet plurimis ab bili porracea sursum deductis: unde simili planè colore tingebatur cutis, quo & humor qui morbum creabat. Pallor item ac ueluti alter ex altero mutatus color, sæpe faciem occupabant: tum scilicet, cùm nimia principum partium ab uenenoso humore agitatu oppressioneq; uires conuellebantur. unde intrò reuocatis spiritibus ac sanguine, quo affectæ principes partes lædenti humori spirituum copia ualidius resisterent, pallorem liuoremque apparere necessarium fuit. Hæc utique erant in præfata laborante sæuissimi morbi indicia. Symptomata uerò quæ ad huius generis febrem sequebantur uaria erant. Quippe caput graui dolore cum pulsu punctioneq; tentabatur: ob uehementem ipsius incensionem uaporisq; plurimi ab imis partibus sursum lati tum copiam, tum acrimoniam, qui cerebri membranas ac uasa distendens: & acrimonia sua uellicans, cuius diximus generis pariebat dolores. Talis enim est doloris tum pulsatiui, tum punctorij causa, ex Galeni secundo de Locis affectis sententia. Defectio animi creberrima, conuulsiuiq; motus infestabant, ob uehemẽtem humoris acrimoniam ac uenenositatem, uiriumq; resolutionem: acris enim humor sæpenumero morsus, animi deliquia, conuulsiones inferre solet, ita duodecimo Methodi asserente Galeno. Sitis planè inextinguibilis atq; clamosa, tum ob caloris copiam (erat enim ardentissima febris) tum ob humoris natiui inopiam: exsiccabatur enim uniuersus corporis habitus ardenti igneoq; calore, quæ duæ (si quid Galeno creditur) sitis potissimæ esse causæ solent. Delyrium frequens, præsertim circa decretorios dies, in quibus ob uehemẽtem pugnam, humorumq; ac spirituum agitationem, plurimus sursum ferebatur halitus uenenosus atq; acutus, qui animali spiritui cõmixus principem animi partem pertentabat: ita ut læsa ratiocinandi facultate, aliena plurima laborans loqueretur. Hæc præcipua in præfata ægrotante, quæ morbum comitabantur, symptomata fuere. In altera uerò, quæ simili febre premebatur, sed ab æruginosa bili enata, sæuiora erant uniuersa quæ modo enarrauimus symptomata. Erant porrò in hac ipsa uomitus meræ æruginis tum colorem tum substantiam ac speciem referentes: unde ipse miratus tam insignem humoris uomitu expulsi uiriditatem, mox sumpta in manus ærugine aqua liquata, egesto per uomitum humori contuli: quo sensuum

1. de Simp. facul. cap. 30.

fide ipsius ad æruginem discrimen congruentiamq́ꝫ dignoscerem. Tanta uerò amborum erat in colore ac substãtia similitudo, ut discerni uix posset utrum eorum ærugo, aut eiectus uomitu humor esset, similemq́ꝫ planè in hac ipsa ægrotante cernere humorem licuit, qualem olim Galenus in iuuene illo uidit, qui & crebra syncopa & conuulsione præhẽsus paulò pòst æruginosum humorem imo æruginem meram reiecit. Proinde minimè mirum, si & animi defectionem & conuulsionem hoc humore correpti patiantur. Quippe is humor acutie uenenositateq́ꝫ sua ita uentriculi os afficit, ut & recurrentes nerui, qui in ipso consistunt, ab hoc humore tententur, noxamq́ꝫ refugientes, & ad suam se originem contrahentes conuulsionem accersunt. Est autem conuulsio inuoluntarius motus uoluntariaq́ꝫ obtinens loca, uel Galeni & Auicennæ testimonio. Hæc de signis de symptomatisq́ꝫ dixisse abundè sit: ad causas nunc properandum, quòd hæ cognitæ non minimum momenti ad curationem habeant, uel Galeni & Auicennæ sententia. De præincipiente autem causa abundè superius tractatum: cùm aëris ad calidum & siccum conuersionem insalubremq́ꝫ uictus rationem ijs constantem quæ caliditate sua ac lentore, tum humores accendere, tum obstructiones facere poterant, in causa esse diximus. Omitto curas, labores, solicitudines, cæteraq́ꝫ animi accidentia: quæ & ipsa inter præcedentes causas numerari solent: quòd de his etiam satis antea dictum sit. Ad corporeas uerò causas transeuntes, duas censeo uel præcipuas fuisse, iocinoris scilicet intemperiem immodicè calidam, adustiuam, adhæc humorum inde genitorum tum uehementem caliditatem, tum malignitatem, tum copiam. Quis enim nescit omnem uehementem principis alicuius partis intemperiem, ad creandum sibi consimilem morbum plurimum momenti habere? Itaq; minimè mirum, si ad hanc iocinoris uenarumq́ꝫ intemperaturam, praui generis succos generari cõtigerit; accedente præsertim non modica crudorum humorum in uentriculo collecta per cruditatem copia; quibus inuicem commixtis, accensis, & in putredinem uersis, mali moris ingentisq́ꝫ periculi febres produci necessarium certè fuit: uti Auerrous atq; Auenzoar pluribus locis sensere. Sed hoc loco non ineptè quis quærat, num porracea æruginosaq́ꝫ bilis in hepate ac illius uasis, num in uentriculo potius generentur: cùm dictum à nobis sit, ab iocinoris uenarumq́ꝫ intemperie calida, in præfatis mulieribus succos huiusmodi genitos esse: quod magna certè ratione dictum uidetur: quòd proprium iocinoris munus sit, autore Galeno, propria sua facultate humores sanguinemq́ꝫ gignere. Quod autem probè temperatum probos item humores gignere solet, id ipsum quoq; corrupta uitiataq; illius temperie uitiosos atq; corruptos parit humores: quæ docta Auerrois tertij Collectionum capite III. sententia est. Quamobrem meritò uidetur, & porraceæ & æruginosæ bilis generatio hepati tribuenda. Galenus tamen pluribus in locis, humores hos in uentriculo gigni, non in hepate affirmauit: nempe Præsagiorum secundo cõmento. XXXIX. ita ait, (Græca non apponam ne in immensum crescat oratio) At uerò gignitur in corpore quemadmodum crocea bilis per naturam

habent

*Vide historiã hanc 12. Method. & 5. Apho. cõm. 1.*

*Vide Galen. ubi suprà.*

*5. Apho. comment. 5. Fen 2. tertij cap. 5.*

*7. Meth. Fen 1. primi cap. 2.*

*3. Collec. cap. 3. & 4. colle. capit. 28. & 7 cap. 11.*

*3. Theysir. trac. 1. cap. 7.*

*4. de Vsu partiũ cap. 3. & cap. 12.*

habentibus: ita porracea altera præter naturam, constatq; ut hæc in uentriculo sæpenumero gignatur, propter quorundam cruditatem esculentorum: aut olerum, qualia beta, cepa, brassica sunt: atq; etiam interdum talibus nequaquam ingestis, ratione ægrotationis in uenis gignitur: ac decumbit aut in uentrem superiorem, aut in inferiorem, calorem in corpore indicans præter naturam, atq; excrementi proprietatem, talis temperamento, qualis prædictorum olerum succus est. Hæc Galenus: ex cuius utiq; uerbis dilucidè uidere est, eum uoluisse porraceos hosce succos, duplicem habere sui generationem: alteram qua ex similium ciborum esu gignuntur, ut porrorum, ceparum, & eius generis reliquorum: tumq; in uentriculo gigni tradit, ingestis scilicet ijs, quæ tales succos gignendi uim habent: ob similitudinem inquam substantiæ, coloris, ac caliditatis intensæ ad tales succos. Alteram cùm intemperatis ab immodico calore uenis, tale quid per calidam intemperiem in ipsis gignitur, quale prius per ciborum illorum ingestionem generabatur: tumq; non in uentriculo, sed in uenis ipsis talium excrementorum generatio fiet. quod apertè illa textus uerba indicant, Interdum talibus scilicet cibis nequaquam ingestis ratione ægrotationis in uenis gignitur, calorem in corpore indicans præter naturam. Itaque perpetuum semper non est, huius generis excrementa in uentriculo, neq; item in uenis gigni: cùm interdum in uentriculo, si tales præcesserint cibi: nonnunquam in uenis, si talibus non ingestis uehemens uasa illa occupet caliditas adustiua simulq; acuti ac crassi subsint humores. Quam rursus sententiam idem Galenus libro de Atra bile, atq; secundo de Temperamentis protulit: cui subscribunt ex Pœnis autoribus, Isaac quinto Febrium, & in diætis uniuersalibus. Auerrous tertio Collectionum suarum, & Auicenna Fen prima primi. Galenus autem porraceam æruginosamq; bilim, per uehementem uentriculi caliditatem gigni tradit. quod manifestè citato secundo de Temperamentis loco uoluisse est uisus, inquiens: Quibus in uentre biliosum excrementum gignitur, id porri uirorem præfert, quibus scilicet talibus cibus fuisse debet, non panis, suilla'ue caro, sed necessariò aliquid quod his calidius fuit, neq; id boni succi. Ac pauló pòst subdit: Quæ uerò bilis porrum refert, ijs solis gignitur in uentre, qui malè concoxerunt. Quæ sanè Galeni uerba, illud insinuare nobis uidentur, porraceam bilim in uentriculo à calidis & mali succi cibis, maleq; à uentriculo concoctis gigni: taliter enim affectum esse uentriculum oportet (uel Galeni septimo Methodi sententia) quales sunt in eo degentes succi. Quamobrem cùm ex cibis calidioribus, ijsq; prauè ab uentriculo confectis, calidi ac mali succi gignantur: necessum est hos in uentriculo consistentes, intemperiem sibi similem in uentriculo gignere. Hæc itaq; est de horum succorum generatione Galeni sententia, ut uelit succos huiusmodi sæpenumero in uentriculo gigni, propter quorundam cruditatem esculentorum, aut olerum, qualia beta, cepa, brassica: interdum uerò talibus cibis nequaquam ingestis, in uenis creari ratione ægrotationis in ipsis: (siquidem uenæ æstiuo tẽpore exiccatæ, ut ait Hippocrates, trahunt ad se acrem biliosumq; humorem) ac tum

*Cap.7.* *Lect.8.ad finem cap.3.* *Doc.4.cap.1.*

*4.de Rat.uic. acut. textu 1.*

tum decumbere, aut in uentrem superiorem, aut in inferiorem: uti secundo Præsagiorum commento XXXIX. affirmauit. *Contra Arabum placita.* Nec uerò mihi in præsens animus est, Arabum hac de re ineptias, controuersáq; sensa, errtáq; recensere: quòd uanum sit in his temporis iacturam facere: compendiò tamen illa attingam, ne incautus lector in hæc ceu in scopulos incidat. *5. Feb. cap. 7.* Isaac nedum porraceam bilim, sed & alias omnes quæ præter naturam sunt, in uentriculo gigni tradit: quod & à Galeni sensis, & à ueritate ipsa alienissimum est. nulla enim tum (si uera hæc essent) creari continens febris ex bili posset, cùm continentis febris materia, Galeno teste, intra *9. Meth.* *5. Colle. cap. 3* uenas consistat. Auerrous autem porraceum hunc succum, ex bili calidissima succo melãcholico admixta, & in uentriculo consistente, gigni tradit: quod quàm uerum sit, diligens lector consideret. *Fen 1. primi doc. 4. cap. 1.* Auicenna uerò porraceam bilim, ex bilis uitellinæ in uentriculo assatione fieri affirmat: ita ut cùm occasione aliqua ex hepate in uentrem uitellina fluat bilis, ibíq; extraneo calore fiat se ipsa calidior, tum porraceum illum succum actione adurentis caloris gigni: æruginosam uerò bilim ex hac ipsa porracea, cui tamen adustio maior accesserit, creari. Hæc Arabum de horum succorum generatione sententia.

Causis itaq; huius morbi enarratis, ad curationem tandem est properandum: si modò prius illud dixerimus, huius generis morbos (quod omnibus in confesso est) acutos, perniciosos, difficiles, atq; ut plurimum lethales esse, ut Auerrous atq; Auenzoar rectè senserunt: *5. Coll. cap. 3. & 7. cap. 11. 3. Theysir. trac. 1. cap. 7.* quod in præfatis ægrotantibus experiri mihi licuit: quæ multo cum labore, summóq; uitæ earum discrimine, pristinæ ualetudini restitutæ sunt. Nam & diu multúmq;, ac grauiter ægrotarunt, & pluries relapsæ sunt, malè utiq; decernẽte morbo. Quæ autem relinquuntur in morbis post decretorium (autore Hippocrate) *2. Aphor. 12.* recidiuam facere consueuerunt. Recidiua autem, ut Auicenna tradit, *Fen 1. quarti. cap. ulti.* deterior est radice sua. Proinde minimè mirum tam graui mulieres has esse actas periculo, utiq; crudo sæuóq; occupatas morbo.

*Curatio.* Curatio uerò, eadem ferè, quæ aliarum acutarum febrium: nisi quòd in hac frigidior atq; tenuior constitui uictus ratio debet, quòd morbus extremos confestim habeat labores. Itaq; cùm in hoc morbo uehemens sit circa præcordia flamma, aër in primis frigidus, aut natura aut arte parandus erit: quod decimo Methodi docet Galenus: indicans qua arte aërem frigidum efficere posśis: frigida nimirum suauiáq;, ac odorata cubiculo inspargendo, ueluti rosas, uitis pampinos, salicum ramos, & eius generis reliqua: quæ cubili instrata, perfrigerare aërem atq; odoratum reddere possunt: ueluti etiam acetum rosacea aqua exceptum, uel myrti folia sæpe odorata, quæ & ego fieri iussi: frigidáq; odorata naribus crebrò admoueri, ad cerebri temperandam flammam iubebam, ueluti nenupharis uiolarum, rosarum, myrtiq; aquam. Tenuem ab initio ad decretorĳ usq; tempus instituí uictum, quòd quibus iuxta est consistentia morbi atq; uigor, laborésq; summi fatigant, *1. Aphoris. 7. & 11.* ĳs pro Hippocratis sententia tenuis uictus est imperandus. Itaq; cùm & acutus esset morbus, & summi labores infestarent, & proximus esset morbi status, (siquidem altera in

septimo,

septimo, altera in decimoquarto decreuit, oborta in iuniore per uomitum, sudorem, & sanguinem è naribus manantem crisi: in seniore per uomitum, secessum, & sudorem bilioso excreto humore) tenuem tum uictum obseruari iussi, quoad se morbus remitteret: quo tempore paulò plenius cibaui uirtutis semper seruato tenore. Elegi autem ex alimentis quæcunque tenuem, concoctu facilem, atque refrigerantem præbere alimoniam possent: iniectis in leuibus iusculis, lactuca, portulaca, cucurbita, oxalide, & similibus. A uino in totum prohibui. Iuniori autem secta uena per initia sanguinem detraxi, quòd & florenti esset ætate, & ualētibus uiribus. Alteri uerò seniori cucurbitulas tantum cum sectione admoueri iussi, quòd uirtus infirmior esset, & ætas grandior, uasorum obstructiones congruis apozematis citra calefactionem detergentibus, & aperientibus, liberare sategi. Noxios humores modò lenibus medicamentis, modò clysterijs eduxi. Constabant autem medicamenta siliqua ægyptia quam cassiam fistularem uocant, radice barbara, ex sirupo rosaceo infusionis rosarum & decocto fructuum exceptis. Aestum uerò febrilemque calorem, tum largo frigidæ potu, præsentaneo, si Galeno creditur, acutarum febrium auxilio: tum epithematis ad cor heparque admotis, restinxi, nonnullisque antidotis refrigerandi ac membra roborandi uim habentibus ut nenufarino, uiolarū, atque cichorij florum cōdito, crurum etiam ac brachiorum lauacris. Porracei ac æruginosi humoris uenenosam qualitatem, proprio antidoto repressi: nempe crystallo purissimo, ex decocto portulacæ, oxalidis, & intybi, cum sirupo limonum aut acetositatis citri excepto: est enim crystallus alexipharmacum porraceæ atque æruginosæ bilis, tota sua substantia, atque etiam manifesta qualitate prauis his succis inimicum: quod & Petrus Apponensis in suo de uenenis libro, & iuniorum medicorum plerique testantur, & experientia docet. Hacque seruata methodo ambæ mulieres, Dei ope, magnaque adhibita cura leuatæ sunt: id ut intelligamus, quod à Celso dictum est, seruari interdum eos de quibus medicus desperarat: & item quod ab Hippocrate proditum est, multos ab ingentibus malis pernitiosisque morbis arte medica alleuari.

*9. Meth.*

*Lib. 2. cap. 5.*

*Lib. de Flatibus.*

*Intemperata corpora num similibus, num contrarijs seruanda. Et pugnantium ea de re Galeni locorum conciliatio.*

ENARRATIO IIII.



CVM in Galeni commentarijs, quos in Hippocratis Aphorismos edidit, diligēter uersarer, occurrit locus tum anceps ac dubius, tum intellectu explicatuque haud satis facilis. Est autem Aphorismus tertius, sectionis item tertiæ, cuius series est:

Τῶν νόσων ἄλλαι πρὸς τὰς ἄλλας εὖ καὶ κακῶς πεφύκασι, καὶ ἡλικίαι τινὲς πρὸς ὥρας καὶ χώρας, καὶ διαίτας.

Quod est: Morbi alij ad alia bene uel malè se habent: & quædam ætates ad tempora & loca & uictus genera.

Quem

Quem locum enarrans Galenus contrarijs uisus est intemperata corpora seruari debere astruxisse. Inquit enim ætates & naturas, frigidas quidem ad calida, calidas uerò ad frigida melius se habere, nedum ad loca & regiones, (quod totum ad aëris naturam pertinet) sed etiam ad uictus genera. Subdit enim: Eadem ratione & ad loca non morbi tantum, sed etiam ætates afficiuntur. Nam morbi calidi, in locis calidioribus magis generantur, & minus sunt periculosi: & magis sanæ sunt in frigidis regionibus ætates calidiores, & in alijs proportionaliter. Sic uerò & ad uictus genera, alij ad alia bene malè ue se habent morbi, & ætates. Nam calidiores ad frigidiores, frigidiores uerò ad calidiores: & sicciores quidem ad humidiores, humidiores uerò ad sicciores benè se habent. Et ut simpliciter dixerim, contrarij quidem ad contraria bene, similes autem ad similia malè, præterquàm si ætas temperata, & uictui, & regioni, & loco temperato comparetur: hoc enim solo modo similes à similibus bene afficientur. Quæ uerò plus à temperie recesserunt ætates, ijs secundum temperaturam, contraria loca & tempora & uictus genera conferunt magis. Eademque ferè commentario secundo eiusdem libri ad hunc modum habentur: Ad æstatem quidem (inquit) frigidæ & humidæ naturæ optimè afficiuntur, ad hyemem uerò calidæ & siccæ: sicuti & malè afficiuntur calidæ & siccæ ad æstatem, frigidæ & humidæ ad hyemem. Rursus uerò sexto de Sanitate tuenda in temperatis naturis contraria dare suadet: ne uidelicet à similibus in morbum incidant: sic enim inquit. In eo autem qui est in calido frigido ue ad intemperantiam lapsu, contraria dare semper expedit: cùm & efficacissimæ eiusmodi intemperies sint, & (ut ita dicam) magis quàm quæ ex siccitate & humiditate consistunt, potentes: Quippe cum facilè similibus nutrimentis in morbosam intemperantiam abeant.

Item primo eiusdem tractationis libro ad hunc modum loquitur: Intemperies (inquit) quæ intra sanitatis sunt terminos, corrigere oportebit: ita ut quæ iusto sicciores naturæ sunt, humidiores reddas: quæ humidiores sunt, sicciores: Pari modo, quæ frigidiores sunt, ut harum excessum castiges: quæ calidiores, earum superantiam ad moderatius reuoces. Sed hæc ex diametro pugnant his, quæ ab eodem Galeno tum in libro de Tuenda ualetudine, tum octauo Methodi, tum in Arte medicinali de hac ipsa re prodita sunt: utque dictorum fidem faciam, loca huc adferre non pigebit. Siquidem in Arte medicinali ubi intemperatæ naturæ causas salubres assignat, in hunc loquitur modum: Duplicem (inquit) habent tales naturæ salubrium causarum formam: alteram quæ ipsarum seruat temperaturam: alteram uerò eam, quæ ad optimam transferunt. Quæ itaque temperaturam conseruant, tantum à causis optimè temperatæ naturæ distabunt, quantum & totius corporis temperatura, ab illa euariabit. Calidiora siquidē corpora, calidioris uictus rationem exposcunt, frigidiora frigidioris. Quamobrem, si uerum est quæ à iusto temperamenti modo per calidum recedunt, calidiorem quoque uictus rationem postulare (ut hic uelle Galenus manifestissimè uisus est) falsum iam erit quod in Aphorismi commentario dicitur, eas scilicet naturas quæ à tem-

peram

peramento recesserunt, contrariis uictus rationibus melius habere: utpote calidas frigidis, frigidas calidis: & ita de reliquis secundum contrarietatẽ oppositionibus. Rursum libro de Salubribus primo, sic ait: Quæ secundum naturam se habent corpora, his suum statum seruari decet: seruatur autem similibus unumquodq;, alteratur contrariis. Quinto quoq; libro, id ipsum sub his uerbis: Malè affecto corpori contraria: benè autem se habenti similia adhibere oportet. Ac paulò pòst sub sexti initium quasi seipsum explicans, in hunc loquitur modum. Si seruare temperamentum studes, humidis naturis, humectante cibo, siccis sicco uteris: sin alterare placet, contrariis. Ex quo manifestè est uidere similibus regenda esse lapsa corpora, si modò in suo temperamento seruanda sint, cùm contrariis alterentur magis. Quare extemplò erratũ esse in præfatis commentariis censendum est: quòd nimirum contrariis melius se habere lapsa corpora, quàm similibus asseuerarit Galenus: aut omnino sui oblitus pugnantia dixit. Ad quod facit Hippocratis alter Aphorismus partis primæ, cuius initium, Victus humidus omnibus febricitantibus confert, maximè pueris, & aliis qui tali uictu uti consueuerunt. Nanq; ibi Hippocrates, pueris ob innatam eorum humiditatem uictum humidum præscribit, ueluti eorum temperamento similem, ac magis conformem. Quò fit, ut similibus magis quàm contrariis seruanda sint quæ à temperamento recedunt corpora: ut apertissimè idem etiam Galenus octauo Methodi probare uidetur, ubi duos illos ægrotantes contrario temperamento, eodem planè ac simili morbi genere teneri fingit, nempe calidiori, & ad bilis naturam propius accedenti, paulò calidiora: frigidiori frigidiora exhibenda statuit: seruandi scilicet natiui temperamenti gratia. Quippe (ut exemplo deducam) si seruandus est qui duobus tantum à temperamento gradibus ad calidum labitur, non'ne huic ea exhibenda erunt, quæ totidem gradibus in alimentorum genere ad calidum uersus distabunt? Equidem cùm inter alimentum & altum corpus, familiaritatem & cognationem quasi quandam esse oporteat, nedum substantiæ ipsius, sed & qualitatum quoq; (ut Galenus Alimentorum secundo, & de Tuenda ualetudine sexto, uoluisse uisus est) fit omnino, ut calidi corporis cognatum & familiare magis sit quod calidum est, quàm quod frigidum: ac proinde hoc illius seruabit quam ab initio suscepit temperiem. Igitur non uidetur stare posse, quod in Aphorismi commentario dicitur, Contrariis quàm similibus salubrius degere lapsa corpora. Verùm si quis Galeni sensa demonstrationis uiribus innixa penitius consideret, intemperata corpora non seruanda illa quidem similibus, sed magis contrariis corrigenda iudicabit: quòd talia, ut in morbum incidant, naturæ suæ pronitate apta sunt: atq; ut nunc salubria Galeno dicuntur, efficitur, ut ad moderationem reuocanda magis, quàm in sua ipsorum temperie seruanda sint. quæ docta Galeni primo de Sanitate tuenda sententia est. Quippe intemperies quæ intra sanitatis sunt terminos, corrigere oportebit, (hæc enim Galeni eo loco uerba sunt) ita ut quæ iusto sicciores naturæ sunt, humidiores reddas: quæ humidiores sunt, sicciores. Pari modo quæ frigidiores

*Apho. 16. primæ secti.*

*In Arte medicinali.*

gidiores ſunt, ut harum exceſſum caſtiges: quæ calidiores, earum ſuperantiam ad moderatius reuoces. Quippe (ut idem paulò pòſt ait) ſimilibus quemlibet exceſſum augeſcere, cōtrarijs remitti ac minui certum eſt. Veriſsimum igitur eſt, quod in præfati Aphoriſmi cōmentario dictum à Galeno eſt, Frigidas quidē naturas ad calida, calidas uerò ad frigida: ſiccas ad humida, humidas ad ſicca bene ſe habere: & ut in ſumma dicatur, contrarias quidē ad contraria benè, ſimiles autem ad ſimilia malè: quòd intemperatas has naturas, ad temperamentū reuocare, non in ſuo exceſſu ſeruare magis expediat. talia enim corpora cùm extremū latitudinis ſanitatis terminum obtineant, unde meritò ſalubria in præſenti, uel ut nunc à Galeno dicūtur: fit, ut in morbos ſuo tēperamento ſimiles labi facilia ſint: ut calida corpora in calidos morbos, frigida in frigidos facilè incurrunt. Quamobrem ſi ſimilibus ſeruanda eſſent, protinus à ſanitate in morbum deciderent: unde eſt illud Galeni, Et læduntur à ſimilibus ſuo temperamento facilè, iuuantur cōtrariorum moderato uſu. Sola itaq; temperata corpora, uel temperamento proxima, quæ ut multum ſalubria Galeno dicuntur, ſimilibus ſeruanda ſunt. Vnde illud rectiſsimè à Galeno dictum eſt, temperatas naturas temperatis cibis ac potionibus ſeruandas eſſe, calididiora calidioribus, frigidiora frigidioribus indigere. Quod cùm ſeruare proprium cuiuſq; temperamentum ſtudemus, ſimilibus tum rectè utendum: quòd à ſimilibus conſeruatio, à contrarijs alteratio fiat. Itaque ſi ſeruandum temperamentum ſit, ſimilibus tum rectè utaris: ubi uerò exceſſum quempiam emendare expedit, contrarijs utendum: ſiquidem (quod quinto de Tuenda ualetudine ait Galenus) omnem exceſſum contrario exceſſu corrigens, in ſanitate hominem cuſtodies: ſicuti ſi ſeruare temperamentum ſtudes, ut ſexto eiuſdem tractationis libro ſcribitur, humidis naturis humectantem cibum, ſiccis uerò eum qui ſiccet offeres. Verùm cùm lapſus hos emendare, magis quàm ſeruare expediat, contrarijs magis alterare, quàm ſimilibus ſeruare expedit. Atque per hæc omnem, quæ de lapſorum corporum conſeruatione, aut permutatione, inuenire eſt controuerſiam, tolli facilè poſſe euidentiſsimum arbitror: eademq; opera & pugnantes inuicem ſententias conciliare facillimum eſt. Nam cùm contraria ad contraria bene ſe habere Galenus dixit: id intellexiſſe eſt uiſus, ut exceſſum omnem contrario corrigamus. Cùm uerò ſimilibus ſeruanda alio loco dixit, de his tantum ſermonem eum protuliſſe eſt uiſus, quorum ſeruare temperamentum ex uſu eſt: quæ, ut antea diximus, uel temperata ipſa ſunt, uel temperamento proxima. Hæc enim tantum ſeruare ſtudemus, uti intemperata permutare.

*In Arte medicinali.*

*In Arte medicinali.*

*Vbi ſuprà.*

*Ad atræ bilis atq; pituitæ noxam uitandam, pro Petro Bacheto iurisperito, uiro in literis summo, amicoq; singulari.*

## ENARRATIO V.

PROVIDENTIS hominis maximeq; sui obseruantis esse Bachete uolunt, hostis non modò præsentis impetum, sed & aduentantis insidias arte atq; consilio frangere, aut summa potius adhibita cautione prorsus uitare. Quamobrem consultò fecisse nobis es uisus, qui (quum tibi ab atra bile pituitaq; sæuissimis studiosorum hominum, ac tui similium, hostibus ualde metueres) qua te illis uia opponere, quibus te præsidijs aduersus tantorum inimicorum tela munire posses, de me tui amantissimo petieris, atq; amanter efflagitaris. Qua sanè in re præstanda, etsi multos habiturus eras nobis & eruditione & ingenio præstantiores: tamen quando istic deesse medicos scribis, quibus æquè ac nobis fidere possis: partium esse nostrarum putaui, tibi in hoc satisfacere, cui in omnibus morem à nobis gestum oportuit. Quod si minus acutè aut doctè, quàm uel res ipsa meretur, uel amor summus erga te noster postulat, in proposito uersati erimus: quantum tamen & uires nostræ omnes, & officij atq; amicitiæ ratio postulabunt, tantum certè syncera uoluntate atq; animo præstabimus. Principiò, quoniam uictus ratio tantum momenti habere creditur, ut ea uel sola & secundam ualetudinem tueri, & aduersam propulsare possimus: ea tibi cautio summa adhibenda erit, ut ne quid in ea peccetur: ne error in ea eueniens morbo occasionem præstet. Quod si hac ritè seruata præcaueri à qua times noxa poterit, (uti certè poterit) magnum te fructum iam consequutum puta. Sin minus, tum ad medicamenta properandum: quæ tamen expetenda, uel Galeni sententia, nunquam esse duco, nisi summa urgeat necessitas, & morbus mitioribus non cedat. *3. Aphorism. comment. 16.*

Constat autem uictus ratio in earum rerum delectu, quæ congruè adhibita integram seruare ualetudinem: incongruè uerò, corrumpere ualent, morbumq; accersere. Sunt autem aër, cibus, potio, somnus, uigilia, inanitio, plenitas, motus, quies, animi perturbationes, quæ nos accidētia, uulgato medicorum nomine, Græci πάθη uocant.

Aëris igitur omnem intemperantiam uitare te oportere scito: sed eam præsertim, quæ aquilonari flatu rigida & sicca fuerit: nam hæc cerebro cōstitutio aduersissima esse uel Hippocratis testimonio solet. Pleniorem etiam cœli naturam, hoc est, caliginosum & nubibus obductum aëra, uitare necesse erit: quippe quòd ingenio plurimum obsit. Vnde rectissimè illud post Hippocratem dixisse Aristoteles est uisus, acutiora ingenia, & ad intelligendum aptiora eorum esse, qui terras incolant eas, in quibus aër sit purus ac tenuis, quàm illorum qui utātur crasso cœlo atq; cōcreto. Quamobrem quum in tuo hoc cœlo talis ut plurimum uigeat natura, cauenda ea tibi in primis erit: nec prius domo egrediūdum, præsertim hyeme, quàm sol formoso suo ore terrā calfecerit, pleneq; illustrarit. Quòd si serenus fuerit aër, nec uentis agitatus, & omni concretione

*5. Aphorism.*

*Ex Hipp. lib. de aëre, aquis & locis. Et Aristotele 11 Problem. & Cicer. lib. de Nat. deor. 2.*

uacuus, tunc eo, tibi, placida & aperta per uirentia loca inambulatione, utendum: ut libero coelo, & multo spiritu augeat attollatq; se animus.

Quod ad cibum pertinet, Sit tenuis, facilis, concoqui minimè contumax, boni succi, & qui atræ bili plurimum aduersetur: careat item crassitie, lentore, uiscíditate, omni deniq; mala qualitate, qua noxam corpori inferre potest: sit in eo modus, non satietas & impletio, sed famis sedatio, & collabentis naturæ nostræ, hoc ueluti iusto præsidio alleuatio. Nunquam itaq; ad satietatem, semper infra hanc edendum: mollia & iurulenta, durioribus semper præponantur: uarietas & splendidæ mensæ perpetuò uitandæ: nam non minus ingenio quàm corpori nocent. Quamobrem tu Platonicas semper cœnas, quàm uel Lucullianas, uel Aesopi patinas potius deligito. Socratico more fames tibi labore, hoc est congrua exercitatione, obsonanda erit. Quum ad cibum benè appetens accedis, sint in primis omnia munda, nitida, pellucida, tersa, quæ ad rem escariam pertinent: nam hæc & uoluptatem, & appetentiam excitant maiorem.

Sit itaq; panis recens è puro tritico molliter studioseq; coctus, priusq; optimè sale modico atq; fermento subactus: azymus, furfuraceus, & qui nimio igne crustam densam concepit, uitandi. Ex carnibus quadrupedum conferunt uitulina, hædi, ueruecis iunioris. Inter auitij generis primas tenere à nostris creduntur capi iuuenculi, altiles pullæ, & qui ex his nascuntur pulli, quarum sanè auium carnes si edantur, uel Auicennæ testimonio, cerebrum atq; ingenium iuuare dicuntur. Perdices item & columborum pulli: item præ cæteris turtures (quarum ea est insita à natura uis, ut ingenio conferant uel Auerrois sententia) mirè conueniunt. Et ex uolatilibus quæcunq;, ut in summa dicatur, in nemoribus & libero aëre uiuunt, uti sturni, phasiani, turdi, merulæ, & huius generis mille. Oua è gallinis, præcipuè recentia si sint, mollia, tenera, putamine dempto in aqua diffracta atq; elixa maximè probantur. Pisces ij inter cæteros utiliores, qui in libero mari, uel petrosis locis degentes squammis nitent, multoq; agitatu fragilem & teneram habent carnem: quales sunt buglossus, pagrus, asellus, mullus, & ex fluuialibus trotta, umbra, perca, atq; saxatiles uocati. Lacustres, pingues, cœnosi, grandi mole, cutacei, damnandi. Edi debent ex sale aceto modico in aqua elixis, adiectis menta, selino, passis uuis, & aromatum leni portione, uel in craticula assi. Caseus mollis, non nimium pinguis, ætate medius, à cibo interdum confert, sed modicè sumptus, & in raro usu. Verùm quæ ex sero lactis conficitur discocta uocata, quam uulgari nomine brossam dicimus, ex rosacea aqua & zaccaro boni esse alimenti traditur. Fructus sint, pruna optimè matura, præsertim quæ damascena uocantur, & quæ nos pertigonia appellamus: laurocerasa (sic enim acida illa nuncupari à doctis uideo) moscata pyra, uuæ probè maturę colore albę, cute tenues, sapore dulces, atq; item ficus maturæ, molles, fissa cute, pingui ad caput lacryma madentes, quas nos burgenses peculiari nomine nuncupamus: in quem ordinem & amygdalæ dulces uenire possunt, præsertim delibratæ, & rosacea atq; optimo zaccaro respersæ. Cæteri uitandi fructus, nisi tantum uoluptatis causa ex his

*2. Canone. cap.296.*

*5. Collectionum. cap.32.*

his tantillum deguſtare uelis: id enim non ſanis modò, ſed & ægris quoque, uel autore Galeno permittitur. Ex holeribus, in præcipuo ſint uſu borrago, quæ una ad arcendam atram bilim hilaritatemq́ gignendam (autoribus Dioſcoride, Galeno, & Paulo) mirè ualere creditur: præſertim in uinum immiſſa cum floribus ſuis: lactuca item in raro uſu, & æſtate tẽperandi æſtus cauſa aſſumi poterit, frequentius uerò cichorium, holera reliqua uitentur. Ex aromatibus conueniunt crocus & cinnamomum. Ex ferculis amylum, lac ex amygdalis, cremor ptiſſanæ, panis lotus ex iure capi uel pulli exceptus. Legumina uitanda omnia, præter ius cicerum rubeorum. Quæ farctorum & popinariorum arte parantur condimenta eſitia, paſtilia, tortæ, frictellæ, ceu peſtes quaſdam truculentiſsimas fugere oportet. Bellaria & tragemata ſint nuclei pinei, ex zaccaro conditi, coriandri ſemina, malorum cotoneorum caro condita, quæ uel autore Auenzoare lætitiam & ipſa facere ſolent. Vinum ſit tenue, album, uel ſubrubrum, nitidum, odorum, adſtrictionis aliquid habens, probè dilutum, ac modicè ſumptum: hoc enim nihil aliud quicquam ualentius ad ſpiritus fouendos, & ſanguinem optimum gignendum, membraq́ ac uires omnes atque animum roborandum haberi omnes uolunt.

*1. ad Glau. & Hipp. 2. aph. 38.*

*1. Theyſir. cap. 1.*

Vitanda quæ ſequuntur, ut potè atram bilim parientia: Vinum craſſum, potens, turbidum, aromatibus conditum: Leporina, bubula, & ſuilla caro præpinguis, præſertim ſale aſſeruata: Salſa omnia, & acuta, uti allia, porri, cepæ, bulbi, raphani, eruta, ſinapi, piper, zinziber, lentes, fabæ, caules, iuglandes, caſeus uetus, neruoſæ animalium partes atq́ eorundem interanea.

Hæc de cibis & potionibus tum uitandis, tum deligendis, in quibus paulò fuſior de induſtria eſſe uolui, quòd multa bonaq́ pars ualetudinis ſeruandæ in ijs poſita eſſe uideatur, & quòd etiam cibo quo utare intereſſe aliquid ad mentis aciem è doctis pleriq́ omnes exiſtiment.

Somnus ſit nocturnus, non protinus ſed duabus à cibo interiectis horis, quod ſpatium temporis ſuauibus confabulationibus, aut amœnioribus ſtudijs, tranſigere uniuerſum oportebit. Siquidem à cœna, ut rectè Celſus monet, neq́ legere, nec uoce contendere, aut lucubrationi ſe ſeriæ dare oportet: ſed poſt concoctionem id facere. Non autem amplius horis ſeptem, nec minus ſex ſomno tribuatur, reliquum temporis uigiletur. Sit autem lectus mollis, ritè compoſitus, mundus. Decubitus capite alto, ad puluinar inclinato, corpore in ſiniſtrum latus ab initio ſomni, poſtea in dextrum conuerſo: ſic enim concoctionem felicius procedere noſtri uolunt. Experrecto, membra leniter fricanda, pectendum eburneo pectine caput, extergendi è naribus muci, aures à ſordibus penicillo purgandæ, facies, oculi, dẽtes frigida per æſtatem, hyeme modico uino addito abluenda: id enim ſenſibus mirè prodeſſe aiunt.

*Lib. 1. cap. 2.*

*Vide Auic. Fen 13. tertij. trac. 3. cap. 5.*

Plenitas omnis, tam quæ ex cibis, quàm quæ ex humorum redundantia naſcitur, omnis uitetur: ſicuti & inedia, quæ non paulò plurimum ſtudio ſiccatis nocere conſueuit.

Quòd si adstrictior occasione aliqua fuerit aluus, mollibus cibis lenienda, nempe prunarum, aut uuarum passarum decocto: ex zaccaro, uel prunis ipsis elixis, & ab initio mensæ præassumptis, uel mercuriali in iusculis ebullita, aut brassicæ decocto: hæc enim soluere leniter uentrem solent. Clysteres autem ob id non præscribimus, quòd tibi esse ingratissimos sciamus.

Motus & exercitatio ante cibum citra lassitudinem & sudorem, locis herbescenti uiriditate placidis, aut secus decursus fluentium aquarum, sereno cœlo confert: acrior hyeme, & sub tecto: mitior æstate, & in aperto.

*Lib. 1.* Sunt & membris suæ quibusque priuatim exercitationes: nam ut Celsus inquit, oculos probè exercent minutarum literarum inspectio: pulmones ac stomachum, clara lectio, uocis modulatio, concio: quas sanè obire salutare prorsus ego existimo, præsertim uacuo uentre.

A cibo, quies tum animi, tum corporis imperanda: in primis uerò animi perturbationes omnes, ceu pestes truculentissimas uitare oportet: iram dico, metum, tristitiam, solicitudinem, intempestiua studia, meditationes longas atque intentas: sed omnium maximè uenerem, quæ capitalis & intestina studiosorum aduersaria esse solet. Sit tamen quandoque talis, ut nec dissolutionem sentiat ex ea corpus, & seipso lenius ac melius dormiens uideatur effectum: ad quem modum concubitum salubrem esse Galenus dixit. Hæc de uictus ratione. *In Arte medicinali.*

De medicamentis hæc pauca, nam in id tantum præscribenda censemus, ut quæ genita iam sunt excrementa commodè uacuari, ne noxam retenta inferre possint, & horum uacuatione in meliorem habitum duci membra queant: siquidem uel autore Galeno noxam ab humoribus sentire membra in quæ decumbunt solent. *7. Meth.* Itaque appetente uere ijs tibi utendum erit, ut dies aliquot sequente apozemate utare, cuius est uis atram bilim pituitamque attenuare, sanguinem ab excrementis puriorem reddere, infarctus uasorum reserare; atque hepati robur addere. post cuius usum infrascribendum pharmacum electo die bibendum erit: adhibito tamen ad id docti alicuius uiri, cui te rectè credere possis, consilio. Dein catapotijs assumendis consuescere, quæ sensim noxios humores pellant, optimum censemus. Adhæc ijs quæ principes partes alterando, & ab ijs malam intemperiem remouendo iuuant.

Apozematis porrò hæc erit descriptio: Accipe radicum fœniculi, petroselini, & oxylapathi omnium in aceto per diem maceratorum cuiusque unciam: fumariæ, summitatum lupi salictarij, quem lupulum nominant, buglossi, oxalidis, intybi utriusque, hyssopi cuiusque manipulũ: capillorum ueneris, cæteras, cuiusque manipuli dimidium: uuarum passarum exacinatarum, paria uiginti: quatuor seminum frigidorum maiorum mundatorum cuiusque drach. duas: anesi seminis drach. unam, polypodij quercini recentis unciam, glycyrrhizæ drach. sex, folliculorum sene orientalis, ab stipitibus ligneis purgatorum, sesquiunciam: fiat omnium decoctio in fontanæ aquæ libris duabus ad consumptionem tertiæ partis, & coletur: in colatura dissolue siruporum de buglossa, capillorum ueneris, &

acidi

acidi compositi, cuiusque uncias tres: fiat apozema ex arte cum puluere electuarij trium santalorum rhabarbaro duplicato, utatur sex diebus ieiuno uentre.

Finito apozemate sequens sumatur potio: quæ accipit, Catholici medicamenti unciam, rhabarbari electi & aqua intybi latioris & modico uini albi irrorati, & expressi, sesquidrach. agarici trochiscati & in melle rosaceo infusi, scrupulos quatuor: confectionis hamec. drach. tres ex decocto passularum, polypodij glycyrrhizæ & florum cõmunium potio paretur post usum apozematis sumenda. In crastinum medicamenti sumat conditi florum cichorij & rosarum cuiusque drachmas duas ex sacchararo exceptorum.

Ad alterationem membrorum fiat sequens confectio: Accipe conditi florum cichorij, borraginis, uiolarum & rosarum, cuiusque unciæ dimidium: radicum buglossi saccharo conditarum unciam: corticum citrij mali saccharo conditarum drach. sex, mirabolanorum emblicarum ex saccharo conditarum numero unum: pulueris diamargaritonis frigidi & lętificantis descriptione Rasij ad Almansorem, cuiusq; drachmæ dimidium, confectionis alchermes mesuei drach. unam, misce cum sirupo uel succo pomorum, fiat confectio cuius sit modus castaneæ quantitas alternis diebus quinq; ante cibum horis.

Pillulæ præstantissimæ ad atræ bilis & pituitæ uacuationem, uentriculum & cor roborantes: Accipe aloës electi drach. duas: corticum mirabolanorũ Indorum & chebulorum cum oleo amygdalarum dulcium confricatorum cuiusq; scrupu. duos, rha electissimi, agarici recenter trochiscati, cuiusq; drach. unam: pulueris sene præparatæ, thymi, epithymi cuiusq; scrupu. duos, masticḥes, anesi, interioris cinnamomi electi, cuiusq; scrupuli dimidium, ex succo buglossi fiat massa, ex qua fiant pillulæ sex pro drach. Autumno hæc ipsa uacuatio repetenda: æstate à pharmacis temperandum uentrem soluentibus.

Hæc habuimus Bachete suauissime, quæ in rem tuam profutura seruandæq; ualetudini aptiora putauimus: quæ si tibi fortasse homini acuto & summo, non ea lima atq; doctrina uidebuntur scripta, quam & eruditio summa tua, & ingenij atq; iudicij tui magnitudo postulant: id cogita, medicos non eloquentia & uerbis, sed re & sanis consilijs mederi solere. Quod nos sanè consilium tibi tantò maiore cum fide atque integritate damus, quantò ipsius structura ab eloquentia omni & nitore est aliena. Tu uerò tanquam ab amantissimo tui homine & beneuolentissimo profectum intellige, atq; ob id utile magis futurum: siquidem uel Celso autore utilior amicus medicus, quàm extraneus. Vale, & his nostris fidenter utere. Quæ enim præsidia amica manu præscribuntur, magnaq; fiducia assumuntur (uti te accepturum minimè dubito) fieri minimè potest, quin ualdè salutaria utiliaq; euadant. *Libro 1. in Procemio.*

*Cucurbitulas in lippitudine, etiam ante totius corporis uacuationem, in corpore rari habitus, & minimè plethorico, probè conuenire.*

## ENARRATIO VI.



CVM ægra quædam mulier, florenti quidem ætate, sed raro corporis habitu, & facilè solubili, laboribus penè confecta, nec uiribus admodum ualentibus, deniq; lactans & sanguinis missioni insueta: adhæc neq; succulenta, neq; humorum secundum uasa plenitate onusta, in lippitudinem incidisset, ad eamq; curandam medici duo conuenissent, & de congruis inter se admouendis remedijs decertarent: eorum alter cucurbitulis mittendum per initia sanguinem (cùm uenæ sectionem ægra ualde recusaret) non sine magna ratione censebat; alter uerò præsidium id per initia admouendum quidem esse maximè damnabat: suasq; uterq; dum rationes adferrent, & tanquam pro aris & focis pro sua quisque opinione tuenda ualdè contenderent, contentionis eius arbitrum me, atq; æquum iudicem ambo esse uoluerunt. Quam ego prouinciam quum diu ac multum detrectassem: eorum tamen uictus precibus, coactus sum delatum ad me munus suscipere: non ut censoris quidem, aut iudicis partes mihi assumerem, sed ut pro ueritate stans, quid tandem mihi de re proposita uideretur, liberè explicarem. Itaq; à morbi natura exorsus, quam uel eorum testimonio lippitudinem esse à sanguine in oculi adnatam membranam irruente natam asseuerabant, ita rem sum aggressus. Illud nostis, uiri optimi, ab eo affectu qui curandus proponitur medendi scopos esse sumendos: cùm omnis, quæ de medendo sumitur iudicatio, uel Galeni sententia à morbi natura proficiscatur. Itaque cùm morbus à uobis in præsens curandus, ex multa in tunicas oculi è cerebro colliquati humoris effluxione fiat, medendi scopus erit, fluentis humoris tum reuulsio, tum euacuatio ac deriuatio: hisce enim finibus tota fermè fluxionum omnium medendi clauditur methodus, si modo Galeno tum in secundo ad Glauconem cap. XIII. tum Therapeu. VII. atq; XIII. creditur. Ea igitur quæ morbi materiam aliò reuellere possunt, ea inquam ceu maximè salutaria deligenda, præsertim si reuellendo euacuent: id autem faciunt sanguinis missio, incisæ cucurbitulæ, & per pharmacum deiectio. Quippe uel eiusdem Galeni testimonio, in hunc eæ usum repertæ sunt, ut humorem ex imo ad se euocent. Quamobrem quum ex alto in sese humorem trahant, & affectum locum, qua premebatur, plenitudine exonerent: fit omnino, ut incunctanter ac sine mora ulla admouendæ sint. Quod ut planius demonstrem, ex eodem Galeno textum ad hanc rem adferam, si id modò primum mihi concesseritis, uehementer reuulsorium cucurbitulam esse instrumentum, quod & ipsum uel inuiti ex Galeno fateri cogemini: is enim libro de reuulsione & cucurbitulis, ostendens quonam morbi tempore adhibendæ sint, & quatenus reuellere queant, ad hunc modum differit.

2. Meth.

5. de Locis affec. cap. 4.

*Γενομένων δὲ ἔτι τῶν παθῶν, οὐκ αὐτοῖς τοῖς ἀρχομένοις κάμνειν μέλλουσιν, ἀλλὰ τοῖς συνε-*

χέσιν

λέσιν αὐτῶν ἐπιθετέον τὴν σικύαν ἀντισπάσεως ἕνεκεν.

Quod est: in his affectibus dum gignuntur, non quidem membris ipsis quæ cœperint laborare, sed eis quæ laborantibus coniuncta fuerint, reuulsionis gratia cucurbitulæ imponendæ sunt.

Egregia hac sententia Galenus cucurbitularum usum in his affectionibus, quæ à defluxione fiunt, non minus doctè quàm uerè monstrauit: ostendens, & quo tempore admouere in his affectibus eas, & quibus partibus affigere oporteat. Adhiberi autem eas, per morborum initia oportere, uerba illa indicant [In his affectionibus dum gignũtur, earum usum esse] Constat autem morbos, dum in generatione sunt, tum in initio esse. Cur autem per initia admouendas cucurbitulas dixerit, in promptu causa est, quòd cùm præcipuus in his morbis, qui à defluxione nascuntur, scopus sit, irruentem humorem repellere, atq; minuere. Cucurbitulæ autem (quod eodem loco ait Galenus) exhaurire materiam, dolores soluere, phlegmonem minuere, fluxiones, quæ profundas partes infestent, transferre possint, & sanguinis eruptiones prohibere: optimo quidem iure per initia admouendas affirmauit. Cur uerò non laborantibus membris, sed eis quæ laborantibus coniuncta fuerint, affigendas iusserit, in id fecisse est uisus, ne fluxionem augeret magis atq; irritaret. Siquidem uel Hippocratis sententia quàm longissimè à tentata fluxione parte reuellere semper humorem oportet, non ad ipsam attrahere. Per coniuncta autem laborantibus partibus loca affigere iubet, quòd siue reuellere, siue deriuare uelimus, semper id per communia loca autore Hippocrate facere expedit. Constat itaq; in fluxionum morbis dum gignuntur, hoc est in initio Galenum reuulsionis gratia cucurbitulis usum. At, rursus idem Galenus septimo Methodi, quo loco de fluxionum morbis, qui uentriculum infestant, ex professo tractat, reuulsione potissimùm mederi studet. Quin & alibi, Fluentium, inquit, humorum medela, retractio est: fluxorum, & eorum qui membrum obsederunt, deriuatio. Methodi autem XIII. de cucurbitulæ uiribus loquens, planius ad hunc modum: Cucurbitula, ait, nobile planè auxilium est, inuenta tum ut foras euocentur quæ sunt in alto, tum ut eximantur & eruantur quæ iam in scirrum abeunt. Et paulò pòst (ueluti illius in oculorum fluxione) utilitatem ostensurus, cucurbitula, inquit, in occipite defixa efficax est remedium ad oculorum fluxiones. Ex his Galeni locis hanc uelim ratiocinationem colligatis, quæ demonstrationis uice esse possit. Lippitudo morbus, ad præsens curandus, affectus est ex fluxionis humorum ad oculos copia cõstans, uel omnium autorum sententia: at morbos huiuscemodi reuulsio curat, uti paulò antea ex Galeno probatum: huic igitur reuulsio maximè debetur. Atqui cucurbitula ex maximè reuellentibus unum est, uel Hippocratis & Galeni testimonio. Igitur cucurbitula non inutiliter in eius generis affectibus, etiam inter initia, admouenda. Sed hanc uos, opinor, non per initia, & pleno adhuc corpore, sed purgato prius & inanito deiectorio aliquo pharmaco admouendam contendetis, ex illo fortasse Galeni loco, libro de Sanguinis missione, Cucurbitulæ sunt utiles euacuatis, plethoricis non

2. Artis curatiuæ ad Glauconem.

5. Aphoris.

non sunt admouendæ. Rursum ex libro de Reuulsione, quo loco cucurbitulas Galenus purgatis corporibus utiles, repletis inutiles affirmat: ex alio item XIII. Methodi, dum inquit, Cucurbita in occipite defixa, efficax est remedium ad oculorum fluxiones: uacuari tamen prius totum corpus expedit. Nam si refertum sanguine corpus sit, in quacunque parte capitis cucurbitam defixeris, totum ipsum implebis. Ex his uerò Galeni locis contendetis fortasse, nec omnino perperam, totius uacuationem cucurbitularum admotionem antecedere debere. Verùm ne id quidem facit, quo minus congruè admoueri in proposito uobis morbo, etiam ante totius corporis uacuationem cucurbitulæ possint: corpore præsertim nec plethorico, nec sanguinis missioni assueto, & rari habitus, & à sanguinis missione plurimùm abhorrenti. Nempe cùm Galenus libro de sanguinis missione, & de reuulsione, plethoricis noxias esse protulit: hoc quidem uerissimum est, in quibus secundum totum habitum corporis plenitudo subest, uel quæ ad uires, uel quæ ad uasa dicitur: non sic autem, in quibus secundum patiens tantum membrum (ut oculos aut cerebrum) plethorica dispositio subest. Nam si reliquum totum corpus plethora uacet, secundum cerebrum autem aut oculos plenum sit, (uti in hoc ipso curando corpore, tum uestro testimonio, tum reuera, contingebat) quid quæso prohibet uacuis membris (ut pote scapulis ac natibus) cucurbitulas admoueri? Nam quod Galenus ex illis metuit incommodum, haud quaquam eueniet: nimirum ex se iam sponteque inanitis secundum naturam uasis. Adde quòd in illis locis de earum cucurbitularum usu Galenus loquutus est, quæ affecto potius loco euocandi foras humoris gratia admouentur, quàm de his, quæ in opposita loca retrahendi ac reuellendi causa admoueri solent: quod uel ex illa uerborum serie constare potest, qua inquit [cucurbitulam cuicunque parti capitis affixam locum implere] nam tum de ea cucurbitula sermonem protulisse uidetur, quæ capiti affecto euacuandi causà, non reuellendi admota sit: cui sanè muneri nihil fateor plenitudine nocetius esse. At cùm has admoueri alter uestrum iussit, eas quidem neque plethorico corpori, neque capiti ipsi admoueri, sed tenui & minimè pleno, & oppositis locis censuit. Quamobrem non est quod hisce Galeni quibusdam telis socij sententiam euertere coneris: quin illis fulcitam potius ac munitam magis existimare debes. Ad quod certè maximè facit, quòd reuulsio his tantum ex plenitudine morbis debetur, qui in fluxione adhuc sunt: (uti apertissimè secundo ad Glauconem Galenus uoluit) in fluxione autem morbi ipsi non nisi in principio consistere possunt, cùm in reliquis morbi temporibus, fluxa iam non amplius fluens sit materia. Igitur si qua reuulsio debetur, ea morbi principio, non etiamdum statui declinationi ue debetur: cùm in his deriuatio ad uicina, uel ex ipsamet parte uacuatio, magis quàm reuulsio conferat. Ex his fit, ut in principio potius cucurbitula, ceu reuulsorium quiddam, quàm in alijs temporibus congruentior sit. Et hæc prima ad id probandum non inefficax ratio. Adde quòd Hippocrates, tantus alioqui autor, in pleuritide tentandi gratia, loco etiam affecto fomenta in principio, & summa etiam

*Locorũ Galeni explicatio.*

*2. de Rat. uic. acut. textu 1.*

plenitud

plenitudine admoueri iubet. Quòd si is locum affectum materia nimia turgentem, fomentis calorificis probandæ plenitudinis causa aggrauare, & intendere magis non ueretur: quid timendum sit medico reuulsionis gratia, non super affecta loca, sed omnino opposita cucurbitulas admouenti? Facit præterea, quòd sanguinis missio in hoc morbi genere omniũ saluberrima ab omnibus plerisque doctis putatur. Quòd si hæc ob unam aliquam causam, ætatem scilicet, uel ægri naturam, aut temporis conditionem fieri nequeat, non'ne id tum fieri conueniet, quod illi uiribus potentiaq; par existit? Atqui cucurbitulæ uicariæ sunt missionis sanguinis: (ut cum Auicenna loquar) igitur ubi sanguinis missio expleri nequit, admotis cucurbitulis est (quoad eius fieri potest) illius uirtus, & in expellendo morbo efficacia exprimenda. Quamobrem cùm in hac laborante, quæ per uenas fit uacuatio ex usu non esset, (nempe quòd raro habitu, & facilè solubili, quòd timida, quòd insueta, quòd uiribus exhausta, quòd laboribus confecta, quòd denique lactans) necessarium omnino est, eam quæ per cucurbitulas fit uacuationem utilem esse: cùm per eam probè fluens humor uacuetur, & uires ab ea minimè dissoluantur: hoc nempe cucurbitulis commodum Auicenna Celsusq; tribuunt. Quin dum ophthalmiæ curationem ex professo tractat Auicenna (ea enarrans auxilia quæ morbi principio debentur) inter cætera ultimi (ut ipse uocat) iuuamenti uentosas constituit, si ceruicis initio admoueantur. Quem locum exponens Nicolus Florentinus, inter recentiores ac nostræ ætatis medicos uel in præcipuis habendus, astruit cucurbitulas, etiam ante omnem euacuationem in hoc morbi genere non minimum utiles esse. Qua autem tu ratione eo loci positas insalubres esse prædices, planè non uideo. Accedit quòd cùm medici præcipuum munus sit, tutò ac celeriter curare, (uel Galeni & Celsi testimonio) præsertim ubi uehemens urget dolor, qualis in oculorum phlegmone, aut affectus membrum aliquod obsederit princeps: ea maxime moliri debet medicus, ex quibus speret ægrum à dolore morboq; celerius uindicari, non potest autem uel efficacius, uel etiamnum maturius iuuari æger, quàm si tota uel maior fluxionis pars ab dolente parte quàm ocyssimè aliò reuellatur: igitur illi etiam per initia reuulsorio auxilio utendum: aut morborum insignis merebitur procrastinator, non uerè etiam curator dici. Alia possem addere multa, sed hæc ad uos, ut in calamum uenerunt uestro iudicio perpolienda sufficere uisa sunt. quæ uos ambos à contentionis dispendio leuare: alterum autem uestrum ab imperitiæ & incogitati consilij culpa asserere, ac uindicare possint.

*Fen 4. primi. cap. 21.*

*Auic. ubi suprà. Cels. lib. 2. cap. 10. Fen 3. tertij. tract. 1. cap. 9. Sermone 3. cap. 9.*

*Gal. 12. meth. Celsus lib. 3. cap. 4.*

*

De pop

*De populari & epidemico morbo grassante, febre tertiana ab aëris & aquarum noxia qualitate oborta, cum hepatis imbecillitate & obstructione, ad quam dysenteria hepatica sequebatur.*

ENARRATIO VII.



VM nihil in medicina graue, difficile, & arduum: tum uerò illud in primis in ea admirabile haberi debet, quòd nedum per eam priuatorum & patentium morborum, quos σποράδας Græci uocant, hoc est dispersos, sed & abditissimorum quoque & populariter grassantium, in quibus diuini quippiam subest, naturam, causas, symptomataq; agnoscimus: & qua sint ratione tractandi, eius artis beneficio edocemur: & si de occultissimis abditissimisque morbis opinione & artificiosa uocata coniectura potius quàm certa ratione iudicium ferri à medico posit: quæ docta Hippocratis libro de Flatibus (si modò is eius libri autor est) sententia fuit: atque item Galeni cùm inquit, Quæ in occulto latent & febres afferunt, non æquè discernuntur, at ea quæ in partibus apparentibus: sed mente egere perspicaci mihi uidentur. Quamobrem cùm de populari morbo qui per omnem fermè Narbonensem Galliam, sed in Allobrogibus præsertim uiguit, dicendū mihi sit, primum omnium morbi huius causas, naturam ac uim omnem explicabo: subdita tandem eius morbi curatiua methodo. Sic enim omnia mihi complexus uidebor, quæ ad rectam affectus huius tractationē pertinere uidebuntur. Sumptis utiq; medendi indicationibus ab his quæ secundum naturam, atq; quæ contra naturam sunt: sic enim quis medēdo minimè errabit, inquiente Galeno primo ad Glauconem, neminem qui certo diuisionis artificio ea quæ secundum naturam sunt, ueluti temperaturam, ætatem, sexum, mores, educationem, assuetudines, industrias, habitus, unaq; morbi & symptomatū uim ac potentiam, eorumq; causas pernouerit, non certa methodo ritè curaturum. Sed iam rem ipsam aggredior. Viguerant per hyemē anni trigesimi primi supra sesquimillesimum, proximumq; illi uer, ingentes pluuiæ, tēpestates præposteræ, austri sicci haud parum multi, quorum peculiare si increbuerint esse solet febres gignere. Cui sanè constitutioni septentrionales uenti, rari quidem illi, sed ualidi post furentes austros mixti erant. Aestas sequuta nubibus obducta, caligine plena, calida, æstuosa, siccaq; fuit: nimirum quòd talis ferè esset cœli aërisq; constitutio, qualem in Thaso olim fuisse primo Epidemiorum scribit Hippocrates. Vnde factum est, ut accedente etiam putredinosa aquarum uitiatarum qualitate, mox tubercula, bubones, phigethla, carbones & eius generis tumores, pestilentes quidem illi, atq; pernitiosis febribus coniuncti grassari cœperint. Tandem uerò post solstitium æstiuum cessantibus præfatis affectibus, febres horridæ, graues, aliæ continentes, intermittentes aliæ, eæq; præcipuè tertianæ oriri cœperunt. sed quæ neq; planè remitterent, nec omnino remissione illa melius habere ægri uiderentur. quòd uidelicet noxius humor putredine sua, & noxia qualitate occulta (quam morbidam excretionem Hippocrates

2. ad Glauco. cap. 6. de carbone.

1. Problematū, probl. 23. Auicē. Fen 2. primi. doc. 2. Summ. 1. cap. 10.

crates appellauit) hoc est potentiam quandam deleteriam, toti nostræ substantiæ prorsus infensam, in ipso humore contumaciter insistentem, atq; à morbido aëre conceptam, ita ægros affligeret, ut nec uirtus hunc concoquere, aut notabili excretione superare posset. Hoc itaq; morbo tum senes, tum iuuenes, pueri innuptæq; puellæ teneri cœperunt. quòd communis eademq; prorsus subesset in omnibus morbifica causa, aëris inquam uitiosi attractus, uitiatæq; aquæ haustus. eæ nempe duæ uel præcipuæ popularis morbi (si quid Hippocrati, Galeno, ac Paulo creditur) causæ esse solent, ac proinde nullo habito ætatis, temperamenti, sexus, educationis, uitæ, ac consuetudinis discrimine, in omnes passim grauissimè sæuiebat, quo indicio à disperso popularis morbus distinguitur. Erat autem popularis febris huiusmodi, laborantibus quidem primum extrema ualde frigebant, ita ut uix calefieri possent: magno rigore uniuersum corpus quatiebatur, id uerò neq; omnibus neq; perpetuò, sed his tantum contingebat, quibus plurima & mordax in uasis suberat bilis ab expultrice facultate foras summo cum impetu pulsa: calor porrò uehemens postea accendebatur. In accessionum remissionibus, nec uniuersim ægri sudabant, nec sudore leuabantur, ob nimiam scilicet humoris copiam, & meatuum ab infarcto succo stipationem. Bona ægrotantium pars continenti febre, plerìq; multi duplici accessione laborabant, altera grauiore, leuiore altera. Lotia quidem biliosa, colorata, nec bene consistens sedimentum habentia. Alui retrimenta diluta, syncera, ut plurimum incocta, ualdèq; biliosa. Vomitus in multis pernitiosi, porracei, difficiles, singultibus ac uehementissimis oris uentriculi doloribus comitati. Angustia plurima, grauis decubitus, morbiq; difficilis tolerantia, uigiliæ multæ, & si quando somnus obreperet: grauis erat, delyrio ac somnijs grauibus conturbatus. Conuulsiones haud parum multis per morbi uigorem ac decretoria fiebant: sitis grauis, arida scabraq; lingua, exulceratæ fauces, sermo difficilis, cordis palpitatio frequens & multa. Dysenteria tandem plerosq; sub morbi finem grauiter prehendebat, à qua fermè diutissimè cruciati peribant. Quæ siquidem cuncta, multæ ac furentis uenenosæq; materiæ per uniuersum corpus diffusæ ac cõturbantis symptomata erant. Quis enim uel ab exiguo uel parum molesto humore, tam multos tamq; exitiales casus speret? Hæc in summa morbi natura erat. Cæterùm ob multum ualdèq; uitiatum humorem, morbidamq; illius excretionem, hoc est uenenosam qualitatem, ob uirium imbecillitatem, & incautam uictus rationem à laborantibus seruatam, morbus ipse diuturnus ac curatu contumax reddebatur. Siquidẽ uix ullis auxilijs cedebat, non operosa medentium manu, non summo medicorũ studio atq; diligentia ægri quicquam uel minimum leuabantur. Quod & si ad humoris copiam minuendam, ad putredinem finiendam, ad stipationem obstructionemq; leuandam, parata ad manum remedia essent: quorum merito, ac uirtute, uel mitescere, uel leuari morbus poterat: ad morbidam tamen excretionem noxamq; pestilentem occultam, qua grauiter uniuersum premebatur corpus, nulla inuenta, nulla excogitata quæ morbo propria essent remedia

*Hippo. lib.2. de Nat. hum. Gale. cõmen. ad 1. Epidem. Hippo. Paul. lib.2. cap.35.*

dia erant. Superuenientium enim, hoc eſt uulgarium morborum, cauſa abditiſsima eſſe ſolet. Quam ſanè cauſam ſummus autor Hippocrates diuini nomine dignatus eſſe uidetur, cùm unum quenque noſtrum ſi quid in morbis diuinum inſit agnoſcere & obſeruare iuſsit. Quam uocem Galenus, & ſi pro ambientis nos aëris conditione interpretatur: ego tamen maius aliquid atque longè præſtantius hac uoce diuinum Hippocratem ſignificare uoluiſſe exiſtimo: nempe aduerſariam quandam, ſublimemque, nobiſque prorſus ignotam, ac Dei arcano conſilio morbo incluſam peſtilentemque naturam, noſtra corpora tota ſua ſubſtantia diſsipantem: cuius ut natura omnis nobis eſt prorſus ignota, ſic nulla aut ferè pauca inuenta ſunt, quæ occultam illam cauſam, morbidamque excretionem curare poſſint. quod nec calore, nec frigore, nec ulla manifeſta qualitate noxam inferat: Vnde meritò à medicis cæca ea cauſa eſt appellata: & qui inde creantur morbi, cæci, occulti, ignoti ac exitiales rectè dicti ſunt, quòd a cauſa admirabili, obſcura, nec ullo ſenſu comprehenſa proueniant. Quicquid enim ſummum ac extra omnem humanæ cogitationis atque ingenij aleam poſitum, id ueteres diuinum appellarunt: unde diuinos quoſdam homines, diuinos item morbos quoſdam, quorum eſſet uis admiranda nec nobis ſatis perſpecta meritò dixerunt. Diuinitus enim immitti morbos non Ethnicorum ſolùm monumentis, ſed ſacrarum literarum aſſertione conſtat: ſiquidem ex his unum peſtilentiam eſſe ex illo Exodi loco conſtat, Sacrificemus Deo noſtro, ne forte accidat nobis peſtis. Et rurſus Exodi XII. Nunc extendens manum meam (ait Pharaoni Deus) Percutiam te & populum tuum peſte, peribiſque de terra. Et Leuitici XXVI. Si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea: ſed ſpreueritis leges meas, & iudicia mea contempſeritis, ut non faciatis omnia ea quæ à me conſtituta ſunt, & ad irritum perducatis pactum meum, ego quoque hæc faciam uobis. Viſitabo uos uelociter in egeſtate, & ardore qui conficiat oculos ueſtros, & conſumat animas ueſtras. Et paulò pòſt: Cumque confugeritis in urbes, mittam peſtilentiam in medio ueſtri. Et Numeri XIIII. Quouſque non credent mihi in omnibus ſignis quæ feci coram eis? Feriam igitur eos peſtilentia, atque conſumam. Deuteron. XXVIII. tranſgredientibus mandata hæc minatur Dominus: Adiungat tibi Dominus peſtilentiam, donec conſumat te de terra, ad quam ingrederis poſsidendã. Percutiat te Dominus egeſtate, febri, & frigore, ardore & æſtu, & aëre corrupto, ac rubigine; & perſequatur donec pereas. Et paulò pòſt: Percutiat te Dominus ulcere Aegypti, & partẽ corporis per quam ſtercora egeruntur, ſcabie quoque & prurigine, ita ut curari nequeas. Quæ eò à me de induſtria allata ſunt, ut ex ſacrorum fidiſsimo teſtimonio peſtilentes morbos ultore Deo ſceleraque noſtra grauiter uindicante plerunque immitti, plurimumque diuini in illis ineſſe, hoc eſt, arcanæ abditæque cauſæ declararem. Vnde Iamblichus libro de myſterijs Aegyptiorum, Dij (inquit) præſentes dant corporis ſanitatem, uirtutem animæ, mentis ſynceritatem. Quod in nobis eſt frigidũ læthiferumque delent, calorem fouent, efficacioremque reddunt ad uitam. Dæmones præſentia ſua corpus grauant,

Diuinum in morbis quid.

1. Præſagiorum.

Cæca cauſa. Cæci morbi.

Exodi 5.

uant, morbis affligunt, aliter puniunt. Quod item præter Galenum Celsus quoq; annotasse uidetur, morbos inquam qui abditas habeant causas, & pestilentes sint, diuinitus nobis immitti. Sic enim ea de re primo Epidemion Galenus.

τοὺς λοιμοὺς δὲ πάντες ἄνθρωποι καλοῦσί τε καὶ γινώσκουσιν ὄντας ὀλέθρια νοσήματα, καὶ πέμπουσι δὲ πολλάκις εἰς θεοὺς περὶ τῆς ἰάσεως αὐτῶν πυνθανόμενοι.

Quod est: Pestes appellant homines, sciuntq; exitiales esse morbos: quinetiam ad Deos sæpe referunt, de curatione eorum cõsulentes. Quam Celsus sententiam ueluti confirmans dum Aesculapij filios, Podalyrium *Lib.1. cap.1.* & Machaonem bello Troiano ducem Agamemnonem sequutos, non in pestilentia, neq; in uarijs morborum generibus aliquid attulisse auxilij, sed uulneribus tantummodo ferro & medicamentis mederi solitos esse scribit, hæc demum autore Homero subijcit: Eodemq; autore (inquit) disci potest, morbos tum ad iram deorum immortalium relatos esse, & ab ijsdem opem posci solitam. Locus porrò est apud Homerum Iliados α, dum Chrysæ precatione ad Apollinem, ob negatã illi ab Agamemnone filiam, Apollo grauissimam in agmina Danaum immisit pestem, quæ uniuersam ferme Danaum gentem iumentaq; nouem dierum spatio confecit ac perdidit: restitutaq; tandem Chrysæ filia, mactatisq; uictimis, (ut offensum placarent Deum, pestemq; auerterent) restinctus est omnino morbus. Alibi uerò in hæc digredi in ijsq; paulò plenius uersari libuit, quorundam ut uulgarium medicorum inscitiam ne dicam an stupiditatem & arrogantiam retunderem, qui pestilentium & uulgarium morborum naturam se tenere omnem, causasq; perspectas habere, arcanaq; quædam, ac ueluti è Deorum consilijs prolata, ad manum præsidia habere profitentur: cùm euidentissimum sit, eorum morborum neq; naturam omnem, neq; causas medicis satis esse perspectas. Vnde illud rectissimè tum à Galeno, tum ab Auicenna dictum est, falli atq; hæsitare in huiusmodi morbis medicos cùm sæpenumero & bono pulsu ægrotantes prædictos, & coctionis signis apparentibus mori contingat, salutem etiam pollicentibus medicis. *Gale. lib.3. de præsagitione ex pulsibus. Auicẽ. Fen 1. quarti. capi. de feb. pestil.* Sed iam ad institutum redeuntes cùm grauis ac contumax esset qui populariter grassabatur morbus, si quando remitti uidebatur, mox multò quàm antea grauior recrudescebat. quod morbi seminarium per omne ferè corpus sparsum, morbidaq; pestilens excretio intus recondita maneret, grauiusq; tum conflictabantur ægri: quòd recrudescenti morbo summa uirium imbecillitas coniuncta esset, ita ut noxium humorem superare facultas non posset. hoc enim semper nostri corporis facultates, autore Galeno, moliuntur: ut quicquid alienum est, qua fieri potest excernãt. *2. de diff. feb. cap.5.* Quod si uel ob humoris copiam, uel crassiciem, aut malignam putredinem, perficere id nequeant, putrescere humorem omnino, uel Galeni sententia, est necesse, morbumq; deteriorem fieri. Quæ enim relinquuntur in morbis post crisim, ut ait Hippocrates, recidiuam facere solent. Quibus si incautam uictus rationem ab ægris seruatam adieceris, omnes tum longitudinis morbi, tum crebri relapsus causas te recensuisse putato: si modò difficultatis decretorij, quæ ferme omnibus

cõtingebat, rationem reddideris. Nam neq; per primos decretorios dies excretio aliqua, quæ ægrum leuare posset, apparebat: & si qua à natura excretio fieret, ea difficilis, imperfecta, & mala cum tolerantia, nullaq́; conferentia erat: nam si sudabant, exiguus per ceruices tantum & collum manabat sudor: si flueret aluus, exiguum erat atq; incoctum quod foras prodibat, multum quod in uiscera condebatur. Itaq; factum est, ut in multum tempus productus sit morbus, qui multis decreuit uomitu aut secessu, post acerbos uiscerum dolores, multa porracea bili educta: ut mihi ipsi post quadragesimum diem euenit cui post excitatos uehementes in uentriculo dolores, à bilis porraceæ copia, sequuto uomitu, & alui fluxu, à mortis faucibus fui tandem Dei misericordia liberatus. Hoc item illustri uiro Ioãni Philippo Romano Mediolanẽsi præsidi, de quo mox dicturus sum contigit. Alijs in quartanas sub autumnum & splenes, atq; hydropes, mutatio facta est, unà cum ingenti per nares sanguinis fluxu, quo innumeri exhausto uitali spiritu, innatoq́; calore periere. Plurimos iocinoris ac lienis obstructio, grauibus intestinorum doloribus coniuncta, ad quos tandem dysenteria sequebatur, malè habebat. Hepatici multi à morbo reddebantur, quos diutina per aluum humoris loturæ carnis similimi fluxio: tandemq́; sanguinis meri, sed crassi & fæculenti excretio tentabat: ij uerò affatim & copiosè ac citra dolorem, aut intestinorum morsum sanguinem plurimum egerebant: eumq́; seorsim atq; egestionibus impermixtum iocinoris malè affecti atq; imbecillitate tentati indicium. hisce equidem notis hepaticam dysenteriam ab intestinali Auicenna distinguit. Quin & Galenus ab huiuscemodi excrementis facultatem hepatis concoctricem uitiatam esse sexto de Symptomatum causis colligit: similis enim est hic affectus hepati atq; uentriculo is quo cibos semicoctos intestinis transmittit. De his autem hepaticis excrementis, copiosam lege à Galeno loco proximè citato tractationem. Hac hepatica dysenteria grauissimè conflictatus præfatus dominus Mediolanensis præses, in summum uitæ discrimen adductus, summa Dei clementia, magno medicorum labore ægrè tandem pristinæ ualetudini restitutus fuit. Nam cùm & febre grauissima, eaq́; populari, non leuiter corriperetur, magna iocinoris obstructio atq; imbecillitas sese huic affectui coniunxere, ad quos sanè affectus multa per aluum sanguinis excretio sequebatur, ita uires deijciens, ut uacuationi locum uix ullum relinqueret: eratq́; grauis illa corruptelæ humorum cum uirium imbecillitate cõplexio: quod cùm euenit, incertam tum esse succurrendi rationem rectissimè Galenus prodidit. Nam quod affectus remedium erat, causæ inquam ablatio, id omnino cum uirium conseruatione pugnabat: deijciunt enim uires (ut idem ait) omnia uacuantia præsidia. Quamobrem haud immeritò in eiusmodi repugnantijs ancipitem esse medendi rationem, & uel omninò incurabilem affectum relinqui, uel difficulter atq; ægrè, uerissimè Galenus affirmauit: unumq́; tantum subesse in grauissimis hisce affectibus consilium, ut sensim & modicè quod corruptũ est uacuemus, & pro eo quod uacuatum est utile reponamus. Quod & nos Galeni præceptis insisten-

*Fen 14. et 16. tertij.*

*9. Meth.*

*Vbi supr.*

tes,

tes, magna cura in hac re tractanda perfecimus, absq; uirium deiectione tutissimis medicamentis humorem noxium uacuantes, ac lenibus detergentibus atq; aperientibus, uisceris obstructiones adimentes. Quamobrem cum sanguinis copiosam illam excretionem ab obstructione uisceris prouenire intelligeremus, non protinus adstringentibus medicamentis, & fluxionem cohibentibus, utendum esse uisum est: sed leniter obstructiones reserantibus, uiresq; hepatis confirmantibus. Error nempe maximus est (Auicenna inquit) oppilatiuum fluxum, ut ille uocat, adstringentibus sistere, cùm id fluxus causam adaugeat. Quamobrẽ haud ineptè Haliabbas sensisse est uisus, ob id quidem esse hepaticam dysenteriam curatu difficilem, quòd medici (de uulgaribus loquens) huius causam non attendentes, protinus sistentibus utantur, cùm magis aperientibus uti expediat. Quod & nos fecimus: nimirum intybi utriusq;, absinthij, ac adianti decocto, adiectis uuis passis pinguibus, simul & obstructionem adimentes, & uiscus roborantes. Quantum enim cichorij decoctum & uuarum passarum pinguium, ad hunc morbũ faciat, nos belle Galenus octauo de Medicamẽtis secundũ locos docuit: & præter eum Alexãder Trallianus libro secundo testatur, inquiens, se eius generis auxilijs, plerosque hoc affectu tentatos sanasse. Post hæc autem ubi causæ satis iam perspectum esse præfatis remedijs intelleximus, ad symptoma conuersi, sanguinem manantem sistentibus medicamentis magno profectu restinximus: (erat enim ea sanguinis manatio omnino ingens, & quæ uires plurimum deijceret: ut ad eam sistendam planè coacti fuerimus) ita ut fluxione sedata in melius proficere æger uideretur. Febrem autem quæ adhuc perstabat, summa adhibita methodo tum mollibus clysteribus, tum modicis ex radice barbara uacuationibus, epithematisq; refrigerantibus, humectante ac refrigerante uictu, ijsq; antidotis, quæ ad pestilentium morborum seminarium tollendum, uel certè alterandum probè facere scripta sunt, curare magno studio sategimus. Ventriculi interea (qui tum hominem cruciatu ob bilis porraceæ contentam in eo copiam malè uexabat) minimè obliti: siquidem post exactum uomitu humorem, uentriculum proprijs excogitatis auxilijs fouimus, ac confirmauimus, bilis interim acrimoniam retundentes: & partis intemperiem ad contrarium deducentes non sine magno labore Dei benignitate hominem uindicauimus.

*Fen 16. tertij. trac. 2. cap. 1. & 10.*

*7. Practicæ. cap. 23.*

*Symptomatum quorundam grauium enarratio, pro illustri Domino Ioanne à Mende, Diui Ioannis milite strenuo.*

## ENARRATIO VIII.

HIPPOCRATIS medicinæ parentis libro Præceptionum sententia est, in curandis morbis tum plures in unum cogẽdos medicos, cùm morbus unus quispiam natura contumax, grauis, difficulterq; tractabilis se ad curandum obtulerit: ut cõmuni consilio, accurataq; morbi, causarumq; illius tractatione, disquisitioneq;, quod ex usu fuerit inueniatur. Quãobrem

rem haud iniquè fecisse, aut præter rem illustris Dominus Ioannes à Mende mihi est uisus: qui cùm plures iam annos grauißimis conflicte-tur symptomatis, curatu quidem contumacibus, sitq; sui (ut par est) obseruans, optimos quosq; in suam rem asciscendos medicos, quos arte & diligentia profuturos, opisq; aliquid allaturos speraret, magna certè diligentia curarit: ratus id quod est, operosa medentium manu, nihil esse tam graue atq; molestum, quod non tractari commodè atq; utiliter possit. *Lib. de Flatibus.* Inquiente nimirum Hippocrate, artis medicæ beneficio ab ingentibus & exitialibus morbis homines summa industria liberari. Strenuus itaq; hic Diui Ioannis miles, à tribus plus minus annis, uarijs affectibus laborare cœpit: siue symptomatis morbosis, (nihil enim in præsentia referat) quorum omnium primum fuisse constat, leuem scotomiam, ob quam illi præ oculis uaria obuersabantur, comitante etiamnum capitis grauitate, ac penè aßiduo dolore: idq; dum morbus post initium incrudescere cœpisset. Porrò eum affectum scotomiam fuisse, nemini dubium esse debet, cùm illi uel stanti, uel ambulanti, hebescerent caligarentq; oculi: ac uniuersa in gyrum uerti uiderentur: quod eius affectionis, uel teste *3. de Locis affec. cap. 8.* Galeno, proprium est. Adde quòd & similia suffusis in oculis pateretur, ut cui uariæ imagines, inanesq; umbræ quasi uerè existentes, & tum apparerent, & nunc quoq; non destituant: nunc quidem instar tenuißimi pollinis, nunc uolitantium culicum, nunc colorum multifidas species, modò densæ caliginis, modò corpusculorum umbras, uidere se putat, consistente in utroq; oculorum affectu, & à cibo magis, quod & ipsum planè commonstrat huius affectus productricem causam, ab uentriculo intemperie aliqua noxioq; uitiato humore malè affecto prouenire. Quo nimirum indicio eos affectus qui per cõsensum à uetriculo, ab ijs qui per proprietatem in oculis distinxit Galenus. *4. de Locis affect. cap. 1.* Huic porrò symptomati aliud coniunctum est, aßiduus scilicet dextræ auris tinnitus, sed uarius ille quidem, pro temporis constitutione: uaria itidem uictus ratione, tum pro offendentis causæ alia tum quantitate tum qualitate. Quippe cùm hæc corrupta auditus functio, ut plurimum ex crassa uaporosaq; materia auditorium meatum obstruente oriri soleat, uel Auicennæ sententia: *Fen 4. tertij. cap. 9.* fit, ut pro huius uel multitudine uel paucitate, craßitie, aut tenuitate, uarius oboriatur affectus. Proinde minimè mirum si interdum grauis in aure sonus, instar fragoris arborum, aut strepitus malleorum, falsò huic domino appareat. id enim euenit, cùm craßior adhærentiorq; est materia uaporq; multò plurimus, obstructioq; maior. Nititur enim expultrix semper facultas quod uitiosum est, ne lædat expellere, quod cùm non facilè poßit, ob multitudinem craßitiemq; materiæ, fit, ut congesto ampliori uapore grauior quoq; reddatur sonus. Cùm uerò uel ficciore temporis constitutione, uel moderato uictu, uel congruo demum medicaminum usu minuitur lædens humor, tum tenuior minusq; grauans percipitur sonus, qui à recentioribus sibilus uulgari nomine nuncupatur. Hinc facile est uidere, cur flante Austro deterius hoc symptomate affligetur, quòd huic *3. Aphoris. 5.* uento peculiare sit, auditum, caputq; uniuersum obtundere, uel Hippocratis

cratis ac Celsi testimonio : flante Borea multo minus, exsiccatis utique *Lib.2.cap.4.*
illius ui excrementis. Grauatiuus porrò capitis dolor partem illius ante-
riorem occupans (quam Græci βρέγμα, Latini sinciput nominãt) ex craſ-
ſorum præcipuè excrementorum ingenti copia uaporisq; plurimi, tum
in cerebro per propriam ipſius intemperiem geniti, tum ab uentriculo
ſurſum per cõſenſum lati, prouenire iure optimo intelligitur. Plurimam
uerò craſſamq; pituitam in cerebro eiusq; uenis conſiſtere, monſtrat in
primis ipſa doloris ſpecies, nempe grauis & ueluti põderis cuiuſdam ſen-
ſum imaginemq; repræſentans. Quæ (ſi Galeno creditur) tum excremen- *2.de Loc.af-*
torum craſsitiem, tum frigidam intemperiem indicat. Vapores autem *fect. cap.1.dũ*
nec leues, nec ſanè paucos oſtendunt uiſus obtuſio auriumq; ſonus. Quæ *de infixo do-lore loquitur.*
ex Auicennæ ſententia halituoſam ſemper in cerebro materiam contine- *Fen 1. tertij.*
ri ſignificant : niſi id ab inanitione, ualidaq; organorum ſiccitate proue- *trac.1. cap.6.*
niat : quod in præſens locum non habet, cùm ſit nimirum qui ægrum
torquet omnis de plenitate affectus : neq; exiccantes ullæ affectum hunc
præceſſerint cauſæ. Eſſe uerò non tam per proprietatem à cerebro, quàm
per conſenſum ab uentriculo, oſtendit primum doloris locus, anterior ſci
licet capitis pars, quæ ipſa præ cæteris in hoc laborante afficitur magis:
qua affecta cõijciendum materiam ſanè plurimam ab uẽtriculo eò ferri,
ob ſitus membrorum directionem inquiente nimirum Auicenna, ægri- *Fen 1. tertij.*
tudines cerebri communione uentriculi factas, doloris à ſincipite pro- *trac.1.cap.15*
deuntis indicio ſignificari. Adde, quòd ſi, ut creditur, omnifariam per
proprietatem is dolor eſſet : perpetua fermè in eo appareret læſio : quod
cùm minimè fiat, ſed potius affecto uentriculo & cerebrum quoq; plus'ue
minus'ue afficiatur, omnino cenſendũ per conſenſum ab eo, nedũ per pro-
prietatẽ in cerebro hunc prodire affectũ. Hiſce nempe notis affectus per *Gal.1.de Lo-*
eſſentiã & per conſenſum partiũ diſcerni ſolent. Nec tamen ita accipi uo- *cis affect. &*
lo quod ſuprà de hoc dolore diximus, ut tota illius materia, craſſa, lenta, *item 3.capite*
omninoq; pituitoſa eſſe credatur : atq; à cerebro per proprietatẽ, ab uen- *eodem.*
triculo per cõſenſum genita, quinimo cõiectura artificiali ducor nonnul-
lam bilis portionem ab hepate in uentriculum atq; inde ſurſum unà cum
pituita ferri, cùm non rarò dextra capitis parte doleat, idq; uacuo uentre
magis, percepta etiam, non leui amaritudine oris. Quæ ſanè cuncta &
bilim quoq; in cauſa eſſe non inefficaciter monſtrant cùm ſit nimirum la-
borans calidi hepatis, etiam natiuo temperamẽto, ut ſignis proprijs oſten
di poteſt, quæ conſultò ne longior fiam prætereo requirenda in arte me-
dicinali & ad Almanſorem item ſecundo. Aliud ſymptoma nec minus
uerendum eſt frequens cruditas, quæ ſanè ob uentriculi imbecillitatem,
in concoquendo cibo efficit ut plurima cibi portio in pituitam uertatur.
Equidẽ cùm concoctrix facultas calore potiſsimũ, ceu adminiculo quo-
dam munus ſuum obeat, fit, ut hoc ipſo imminuto imbecillior reddatur
quæ per ipſum fit concoctio. Proinde cùm pituita plurima uentriculi
partes imas occupet, ob cuius præſentiam refrigerari uẽtriculum neceſſe
eſt, cùm uel Galeni teſtimonio talem noxam contrahat ueotriculus, qua- *7. Meth.*
lem in eo contenta excrementa inferre nata ſunt. Itaque cùm ſit pituita

suapte natura frigida lentaq;, & fermè perpetuò uentri hæreat: fit, ut haud iniuria hebetior inualidiorq; reddatur uentriculus. Hinc grauitatis non rarò in uentriculo perceptæ causa. Quoniam cùm crudus sæpenumero residet cibus, grauitatem omnino parit. Hinc plurimæ per os pituitæ crassæ excreatio satagente natura quod superfluum est expellere: quæ tametsi nonnunquam uacuo uentre contingat, uehementius tamen, crebriusq; assumpto cibo. Quo utiq; symptomate quanquam aliàs male torqueretur, nunc tamen uel medicamentorum congruo tempestiuoq; usu, uel naturæ robore confirmatus aliquantum alleuari uidetur: estq; in eo iam paulò uegetior concoquendi actio. remanente tamen tum capitis grauitate, tum sensuum in suis functionibus corruptela. Nam & aures illi sonant, & oculi tanquam suffusione affecti hebescunt. Quo nimirum argumento ducor nondum in integrum restitutam eam intemperiem, quæ hos in cerebro creauit affectus: ac proinde non pauca subesse excrementa, quæ morbũ foueant. Intemperiem uerò hanc, tum cerebri, tum etiam

*Indicia morbi.*

uentriculi frigidam & humidam fuisse, plurima indicant: capitis inquam grauitas, sensuum in suis functionibus diminutio, ad motus cùm animi, tum corporis quædam ueluti segnicies, in somnum solito maior pronitas, concoquendi tarditas, pituitæ plurimæ excreatio, lotij tenuitas, pulsuum raritas. Hæc enim, quam suprà diximus intemperiem abundè declarant: fusius colligenda à Galeno, Auicenna, & Rase. Hæc de morbi natura indicijsq;. Ad causas nunc transeo.

*Gale. in Arte medic. Auic. Fen 2. primi. & 13. tertij. Rasius 2. & 9. ad Alman.*

*Causæ.*

Horum autem symptomatum præincipientes, quas procatarcticas causas uocant, fuisse cõstat, diutinum fructuum, olerumq; in iuuentute esum, quibus impensè hic uir delectari solet. Ad hæc militares labores, quibus per muneris sui dignitatem ex officio obstrictus erat, diuturnaq; per mare nauigatio, intempestiuæ uigiliæ, ciborum difficulter concoctibilium, quibus usus est copia, inconditusq; apparatus, quo militem inter belli tumultus uti oportet. Hæc nempe, cuius diximus generis morbos creare solent. Omitto aëris uarias constitutiones, & id genus reliqua, quæ inter externas causas numerari solent, cùm ex omnium potissimæ creando morbo mihi uisæ sint. Corporeæ uerò seu antecedentes fuere intemperies contra naturam affectorum locorum, cerebri uidelicet atque uentriculi: adhæc humorum in illis sua qualitate nocentium copia, quæ naturæ robur superans, uitium noxamq; intulit. Ex quibus omnibus haud admodum difficile fuerit uiro in artis operibus uel mediocriter erudito, futuri

*Præsagium. 2. Aphor. 39. Fen 1. tertij.*

euentus præsagium facere. Quippe diutinos in senibus morbos contumaces esse primus omnium prodidit Hippocrates. Auicenna uerò ex antiquo capitis dolore, si methodo non cesserit, malum aliquod graue portendit, utpote comitialem, apoplexiam, resolutionem, aut quid simile, quod omnem respuat medicam manum, deniq; censent Celsus libro tertio, & Rases nono ad Almansorem. Ob hæc igitur quæ narrauimus symptomata præfatus uir celeberrimos quosq; medicos in rem suam accersendos conuocandosq; censuerat, Montipessulanos, Auenionenses, Parrhisinos, Lugdunẽses. Qui tametsi omnes pro doctorum probatorumq; homin

hominum officio suo essent munere functi, non tamen optatum sunt consecuti finem, manente adhuc qui ab initio inuasit affectu. Tandem uerò me omnium postremum consuluit, quam illi profuturã putarem postulans manum, quam illi non grauatè pro ingenij facultatisq; meæ uiribus præstiti, methodo quoad licuit sedulò conatus, tum causam morbi effectricem uarijs euacuationum diuersionumq; generibus adimere: tum cerebri mittentis, uentriculiq; recipientis intemperiem in melius deducere, uarijs ad id excogitatis antidotis. Itaq; cùm persuasum haberem deiectionem per aluum his maximè idoneam, quibus esset fluxionibus tentatum caput, uisceraq; crudis referta succis, ex Galeni & Celsi doctrina curaui uarijs tum catapotijs, tum euomatis, peccantem humorẽ educere: in idq; tum ad longinqua auersionibus bene multis, tum ad proxima deriuationibus usus sum nunc cucurbitulis, nunc apophlegmatismis, nunc errhinis, rursusq; masticatorijs frictionibus, & id genus reliquis. Præterea roborandis simul & alterandis lapsis membris, nihil quod proficere posse sperarem non sum expertus. Neq; dum hęc facio, symptomatum fui oblitus: Siquidem caligantibus oculis sua admoui antidota, item & tinnientibus auribus. Quamquam non nesciam hæc ipsa per se exquisitã non posscere curam: nimirum quòd affectum sequuntur, uelut umbra corpus. Tamen quòd ab his laborans non minimum læderetur, duxi non nihil his tribuendum, interea dum & morbo cuius sunt, & illius causæ prospicio. Ego uerò, ut quod sentio ingenuè fatear, ita in graui hoc & contumaci morbo progrediendum esse statuerem, ut contumacem morbum nec ullis adhuc auxilijs cedentem, grauioribus curationũ modis paulò acrius pelleremus: idq; candenti post totius corporis uacuationem caluariæ adhibito ferro: id nempe (Cornelio teste) in ueteribus tum capitis, tum aliorum membrorũ doloribus, affectionibusq;, præsentaneum est auxilium, ubi leuiora non contulerint: nimirum quòd & uehementer lapsum membrum, cui admouetur, roboret: & noxium humorem, siquis subsit, discutiat: & intemperiem frigidam calfaciendo remoueat. Quod si ferrum horruerit, laqueum prioribus colli partibus admouendum consulerem: id enim auxilij genus diuturnas omnes capitis in subditas partes fluxiones, reuellendo cohercere plurimum potest. Sæui enim & contumaces morbi, qui adhibitis medicamentis non cedunt, ferro & igne (ut Hippocrates ait) curari solent. Nec minus utilem ebeni Indicæ, quam lignum sanctum nostri uocant, decoctum existimarem: si eo dies totos quadraginta uteretur: Nam & hoc auxilio humorum copiam minui, excrementa siccari, attenuari crassa, ac proinde fluxiones adimi, usu iam compertissimum est. Missionis autem sanguinis nulla mihi in præsens mentio, quòd & iam aliàs crebrò in eo tentata: & nunc cùm ob morbi uetustatem, tum ob ætatem iam grandiorem parum profuturam, aut potius nocituram sperem.

*Curatio.*

*2. de medi. secundum loc. Cels lib. 2.*

*lib. de Symp. diff. & 12. Meth.*

*Lib. 4. capit. 22. & 23.*

*Aphor. vltimo 7. sectionis.*

De

*De primo uoluntarij motus instrumento Galenum diuersa sensisse, cùm* XII. *de Usu partium tendinem uoluntarij motus primum instrumentum esse affirmet: libris uerò tum primo de motu musculorum: tum primo & decimosexto de Usu partium musculum non tendinem eius motus instrumentum esse statuat.*

## ENARRATIO IX.



PLVRES esse in nobis facultates, quibus uniuersum nostrum corpus regatur, unum est ex publico tum medicis omnibus, tum philosophis cõfessum. Harum unam eamq; præstantissimam, uoluntatem esse, Galenus II. de Placitis Hippocratis & Platonis meritò existimauit: ut à qua nimirum animæ principatus in nobis existat. Inde enim esse animæ principatum idem autor censuit, unde & sensuum sit origo, & motus ex uoluntate prodeant. Quos quidem à uoluntate proficiscentes motus, interdum ex appetitione, nõnunquam uerò ex impetu & incitatione factos motus, idem appellat: nihilq; incommodi esse, uno'ne an altero modo appelles: sicuti & uoluntatem, si modò cogitationem, modò mentem appellandam statuas. Hanc Græci βούλησιν, seu ἐθελουσίαν, quandoq; etiam προαίρεσιν uocant. Voluntatis porrò ad aliquid agendum impetus, uoluntarij motus dicuntur. Cùm enim ea ipsa partem quancq; nostri corporis, quæ modò illius imperio subdita sit (non enim omnes uoluntatis imperio parent, ut quæ uitæ aut naturæ ministerio seruiunt) uel momento exagitet, ubi primum incitata ad quiduis moliendum, delectu & appetitione certa in id rapitur, eos parit motus qui uoluntarij, siue liberi, seu delectu facti dicũtur. Cùm uerò motus omnes in animali peculiaria à quibus fiant habeant instrumenta: siue motus ij ad naturam, siue ad animam referantur: uoluntarij motus unam quampiam partem in nobis effectricem cui is motus præcipuè ascribatur, ad illamq; referatur esse, necessarium quidem est. De qua cùm non satis Galeno constitutum sit, qui modò tendini, modò musculo uoluntarij motus principatum tribuat, animaduersione sanè id mihi dignissimum uisum est: ut à qua potissimùm parte qui in nobis ex delectu & uoluntate prodeunt motus, ceu principe atq; effectrice fiant, dignoscere planè possimus. Quod ut commodè fiat, primùm quid motus, deinde quis uoluntarius motus à medicis statuatur: postremò quodnam sit primum atq; præcipuum huius motus instrumentum: quidq; ea de re Galenus senserit, medica nobis tractatione inquirendum erit. Motum itaq; Galenus tum primo de Facultatibus natur. tum primo Method. prioris habitus immutationem esse uult.

*Galen. 8. de Placitis: & lib. de Natur. fac. & lib. de Sympt. diffe. & cau.*

*Gal. 2. de Placitis Hippo. & Plat.*

*Motus quid.*

ὅταν οὖν τι σῶμα κατὰ μηδὲν ἐξαλλάττηται τῶν προϋπαρχόντων, ἡσυχάζειν αὐτὸ φαμέν, εἰ δ' ἐξίσταιτό πῃ τῶν, κατ' ἐκεῖνο κινεῖσθαι.

Ergo cùm corpus aliquod ab eo quod prius in nullo est immutatum, quiescere id dicitur: quod si in aliquo recessit, secundum illud ipsum moueri. Hæc primo de Natur. facult. & eadem ferè I. Metho. cùm motum prioris habitus immutationem quãdam esse dixit. Voluntarium autem

*Voluntarius*

motum

motum eum esse idem autor uoluit, qui uoluntatis nostræ ductum atque imperium sequeretur. Equidem si pleraque ex his quæ à nobis fiunt sedare possumus cùm uolumus: & quæ non facimus, ea ipsa pro uoluntatis imperio facere, id motum uoluntarium (quoties ad hæc impellimur) esse dicimus. Si etiam ea quæ nos ipsi efficimus citius aut tardius, crebrius aut rarius, ea efficiendi potestatem habeamus: actiones eas seruire uoluntati, & uoluntarios motus esse confiteri planè cogimur. Sic enim ea de re II. de Motu musculorum Galenus. Itaque progredi aliquo, loqui, gradum accelerare uel remittere, manuum opera uti, spiritum aliquandiu continere, eundem'que reassumere, urinæ item excretionem atque excrementorũ alui cohibere cùm uolumus sanè possumus: ob id actiones has omnes uoluntarios motus iure esse dicimus, quòd ijs obeundis uoluntatis imperio ducamur: eæ'que actiones omnes uoluntatis imperio seruiant, id'que sequantur. Et ut in summa dicatur, quæcunque musculorum ope atque ministerio opera obeuntur, ea quidem animæ, non naturæ opera esse, & uoluntatis imperio fieri, censendum omnino est: Sicuti quæ naturæ ductu, non uoluntatis imperio fiunt, ad naturam pertinere dicuntur: quòd hæc prout uolumus efficere nequicquam ualemus. qualis est arteriarum motus, & quæcunque ad cibi concoctionem, distributionem, sanguinis generationem, ac corporis alimoniam pertinent. Hæc enim omnia pro ductu nostro moderari sanè non possumus, sed solius naturæ ui certo quodam more, quem mutare non est, perficiuntur. Nemo omnium pulsus differentias, statum'que à natura motum mutare in arterijs usquam potest. Nemo ad uoluntatis ductum uel cibum conficere, uel concoctum distribuere, uel sanguinem celerius tardius'ue quàm pro naturæ modo gignere potest. Cur? quòd hæc uoluntati non seruiant, sed naturæ. Quæ docta Galeni I. de Facul. naturalibus sententia est. Porrò uoluntarij motus quod sit primum præcipuum'que instrumentum (quod postremò loco explicandum assumpsimus) dicendum nunc est: explicanda'que paulò altius Galeni sensa, quæ hac quidem in re, uti in plerisque alijs controuersa esse, ac maximè uaria uidentur. Cùm modò uoluntarij motus principem effectricem'que partem musculum, modò tendinem musculo insertum, aut etiam neruum esse uelit, ut mox à nobis citatis ad partes Galeni locis fiet manifestum. Itaque Galenus I. de Vsu partium, & XVI. eiusdem tractationis libro, musculum uoluntarij motus instrumentum esse uoluit. De manus enim actione loquens eius'que functionem à musculis fieri docens, ita ad uerbum pronuntiauit:

*motus quis, ex Gal. 2. de Motu muscu.*

*Vide Gale. I. de difficili respi. ubi discrimen ponit inter uitalia & animæ opera.*

Δῆλον ὡς τὸ πρῶτον αὐτῆς τῆς ἐνεργείας μόριον ἔσται, δι' ὅτου ἂν εὑρεθῇ κινούμενον. ἐπεὶ τοίνυν τὰς καθ' ὁρμὴν κινήσεις ἁπάσας, οἷαιπερ αἱ τῆς χειρός εἰσιν, ὑπὸ μυῶν ἀπεδείξαμεν γίνεσθαι, τοῦτ' ἂν εἴη τὸ πρῶτον αὐτῆς τῆς κινήσεως ὄργανον.

Manifestum (inquit) est quomodo primum ipsi actionis organum pars ea erit, per quam inuenta est moueri. Quoniam igitur uoluntarios motus omnes (quales manui sunt) à musculis monstrauimus fieri, hi utique musculi primum motus organum manui erunt. *Cap. 10.*

Et XVI. eiusdem tractationis libro: *Cap. 2.*

Πρὸς

Πρὸς μὲν γὰρ τὴν καθ' ὁρμὴν κίνησιν ἐν τοῖς ζώοις, ἡ φύσις ἓν γένος ὀργάνων κατεσκεύασε τοὺς ὀνομαζομένους μῦς.

Ad motum (inquit) uoluntarium natura in animalibus unum genus organorum construxit, quos nominant musculos.

Initio uerò libri primi de Motu musculorum, hac uerborum serie idipsum confirmauit:

ὄργανα κινήσεως τῆς καθ' ὁρμὴν οἱ μύες εἰσίν.

Voluntarij (inquit) motus instrumenta musculi sunt.

Ex quibus locis sanè apertissimè cōstat, uoluntarij motus instrumenta effectricesque partes musculos esse: ut à quibus præcipuè qui uoluntatis imperium sequuntur motus perficiantur: neque ab ulla alia parte, quàm musculis, effici ij motus possint. Verùm XII. de Vsu partium, huius motus principem præcipuamque partem tendinem non musculum facit.

*Cap.3.*

Νυνὶ δὲ ἡ χρεία καὶ τένοντος γενέσεως εἴρηται καὶ μυός. ὁ μὲν γὰρ τένων, τὸ πρῶτον ἐστὶν αὐτὸ τῆς κινήσεως ὄργανον, ὁ δ' αὖ μῦς, τῆς γενέσεως αὐτοῦ χάριν ἐγένετο.

Nunc igitur (ait) generationis, & tendonis, & musculi utilitas dicta est. Tendo enim est ipsum primum motus organum: musculus ipse uerò generationis eius gratia factus.

Asserit planè conceptis uerbis hoc loco Galenus tendinem uoluntarij motus primum instrumētum esse. Quod si uerum est, quomodo musculus eiusdem motus princeps pars erit? Non enim unius functionis duæ diuersissimæ partes præcipuæ & effectrices constitui possunt.

*Conciliatio pugnantium locorum Galeni.*

Vt autem omnis quæ in hisce locis pugnantia esse uidetur, tolli queat: Galenusque ipse à calumnia uindicari: Dicendum quidem, uerum utrobique dixisse Galenum, & musculum esse uoluntarij motus instrumentum præcipuum, & tendinem etiam: nec unum alteri repugnare. Si enim intellexeris, quonam pacto musculus, quo etiā pacto tendo actioni huic, nempe uoluntario motui inseruiant, inuenies profectò, suo quodam more, diuersisque rationibus, tum musculum, tum tendinem actionis huius esse principem partem. Nam cùm instrumentarijs particulis omnibus commune sit, ut actiones suas unius cuiuspiam in eo partis similaris beneficio obeant, erit & hoc quoque musculo cum reliquis instrumentis commune, ut partem unam aliquam habeant simplicem, cui totius instrumenti actio adscribi iure possit. Oculus enim instrumentaria & uisioni dicata pars (ut exemplo hoc mea confirmem) uisionem efficere iure ipsa dicitur: esseque uidendi functionis princeps pars: at ea ipsa non nisi Crystalloidis munere ac beneficio actionem eam obire potest: ut quæ nimirum uisionis præcipua pars & reuera sit, & ab omnibus statuatur: sic & auris quoque, & si audiendi functioni à natura constituta est, non seipsa tota idipsum, ad quod facta est, perficere potest: sed nerui auditorij (cui audiendi actio in primis tribuitur) munere, ei actioni sufficere potest. Ad quem etiam modum musculus, & si ipse per se, tanquam instrumentaria pars motum uoluntarium efficit, eiusque sit primum instrumentum, uti suprà ex Galeno tum I. de Vsu partium, tum I. de Motu musculorum probauimus: quod nulli alteri instrumentariæ parti ea actio adscribi meritò possit:

posſit: ut cuius ſanè ſit propria: Quæ autem propriæ ſunt actiones, uel Galeni teſtimonio, à nullo alio quàm eo cuius ſunt perfici poſſunt: eam 2.de Loc.aff. tamen per tendinem, conſtitutiuam ipſius muſculi partẽ efficere dicitur, atque per inſertum neruum. Tendonum enim gratia muſculi facti ſunt ut XII.de Vſu partium Galenus. Quum enim muſculus partim naturale inſtrumentum ſit, quatenus uena & arteria eſt præditum: partim uerò animale, quatenus neruo participat, ab hoc ſanè habet, hoc eſt neruoſa ſubſtantia in ipſum inſerta, quam tendinem uocant, ut uoluntarij motus effectrix pars ſtatuatur. Sic enim I. de Motu muſculorũ Galenus. Quid igitur (inquit) ſit muſculus, clarè dictum eſt: nempe motus uoluntarij inſtrumentum. Dictum eſt etiam unde principium motus ſit ipſi, & per quæ: puta à cerebro, & per neruos. Hæc I. de Muſculorũ motu. Vnde conſtat euidentiſsimè, muſculo membra pro uoluntatis imperio mouendi functionem, non ipſius carnis merito, ſed neruorum muſculi conſtitutionem ingredientium concreditam eſſe. Quod ſanè ex neruorum offenſione uel experientiæ fide probatur. Quoties enim nerui ita affecti ſunt (quacunqȝ tandem à cauſa id proueniat) ut ſuo munere fungi nõ poſsint, tum membra uoluntario motu priuari contingit, ut in reſolutione ea quæ membris priuatim accidit experimur: cùm nulla in muſculo exiſtente noxa, priuentur tamen membra uoluntario ſuo motu, quòd nerui id officij præſtare nequeant. In uulneribus item quibuſdam grauibus, idipſum fieri uidemus, ut præfectis tendonibus neruiſue partem quampiam liberè mouentibus, pereat eius partis uoluntarius motus. Itaqȝ etſi muſculus uoluntarium motum præſtare dicatur, id tamen per tendinem ſeu neruum in ipſo implantatum (ut mox ex Galeno oſtendimus) cuius gratia factus muſculus ipſe eſt, operatur. Nullam itaqȝ in Galeni dictis repugnantiam eſſe, ex his manifeſtè explicatum puto. Muſculus enim, ut inſtrumentaria pars: neruus aut tendo, ut ſimilaris ad ſenſum princeps, uoluntarij motus pars iure dicentur.

*Expoſitio Aphoriſmi primi, Sectionis primæ Aphoriſmorum Hippocratis, cuius initium, Vita breuis, ars uerò longa.*

## ENARRATIO X.

HOMINVM ſaluti conſulere uolens uetuſtiſsimus autor Hippocrates, ſalutarem medendi artem breuibus quibuſdam, ſed argutis & energiæ plenis ſententijs nobis diuino munere tradidiſſe eſt uiſus. Nam cùm artem quampiam Ex Gale. lib. de Conſtit. artis, & 1. ad Glauc. conſtituenti & materiam circa quam ars uerſatur cognoſcere in primis neceſſarium ſit: & inſtrumenta ea, ſine quorum præſidio effici quæ ex arte ſunt minimè poſſunt: tum uerò, idqȝ maximè, artis finem meditari, & qua uia conſequi eum artifex poſsit: ſint autem iſtæc omnia & operoſa ualde & ut rectè cognoſcantur longi temporis indiga. Conſequens certè fuit, ut qui commodè artem tantam eſſet traditurus, Aphoriſtica, hoc eſt breui & ſententioſa oratione in tradendis artis theo-

rematis uteretur. Has porrò ſententias Græci Ἀφορισμοὺς uocant. Eſt autem Aphoriſmus autore Philotheo, ſermo breuis, ac compendioſus, perfectam omnino ſententiam explicans:

Ἀφορισμός ἐστι λόγος σύντομος, αὐτοτελῆ διάνοιαν ἀπαρτίζων.

Idem etiam, Aphoriſmum, uerborum quidem inopem, ſenſibus prægnantem ac prædiuitem eſſe uoluit.

Ἀφορισμὸν εἶναι λόγον ἐπὶ μὲν τὴν προφορὰν καὶ φράσιν πενόμενον, πλουτοῦντα δὲ τοῖς ἐνθυμήμασιν.

In hoc itaq; ſcribendi genere mirus artifex Hippocrates, uniuerſa quæ ad medicæ artis perfectionem pertinerent, talibus ſententijs explicauit, ac ſupra alios quos Aphoriſtica oratione conſcripſit multos, ſeptem potiſsimùm huiuſmodi ſermonum libros bonæ frugis eruditioniſq; pleniſsimos, ad artis explicationem edidit. Tractationem porrò uniuerſam à graui quadam & ſe digna ſententia inchoare in animum induxit, ac ueluti hortantis ac conſulentis perſonam induens ad artis nos ſtudium allicere & ad eam ſumma cum diligentia capeſſendam hortari eſt uiſus.

ὁ βίος βραχὺς (inquit) ἡ δὲ τέχνη μακρὴ, ὁ δὲ καιρὸς ὀξὺς, ἡ δὲ πεῖρα σφαλερὴ, ἡ δὲ κρίσις χαλεπή. δεῖ δὲ οὐ μόνον ἑαυτὸν παρέχειν τὰ δέοντα ποιοῦντα, ἀλλὰ καὶ τὸν νοσέοντα, καὶ τοὺς παρεόντας, καὶ τὰ ἔξωθεν.

Quod eſt: Vita breuis, ars uerò longa, occaſio præceps, experimentum periculoſum, iudicium difficile. Oportet autem non ſolùm ſeipſum præſtare opportuna facientem, ſed & ægrum, & aſsidentes, & externa.

Hæc digna Hippocrate ſummo autore mihi uiſa ſententia eſt, quæ præ cæteris cunctis eximiè commendetur: ut in qua & medici, & ægroti, ſui quiq; muneris atq; officij admoneãtur: & qua ſit ratione tradenda ars medica planè edoceamur. Quid itaq; in uniuerſum tam graui uerborum ambitu ſibi uoluerit Hippocrates, primum omnium ſumus explicaturi: Dein ſingulas Aphoriſmi partes diligẽtius excutientes, cur appoſitæ ſint indicabimus: idq; potiſsimùm de Galeni interpretis omnium optimi ſententia. Poſtremò quod medici ſit officium, quod ægri, & aſsidentium, & id quoq; seriò & accuratè trademus. Quibus abſolutis Enarrationi huic finem faciemus.

Illud itaque Hippocratem mea quidem ſententia hoc Aphoriſmo uoluiſſe iudico, ut non ſolùm medendi artem, quam longam eſſe conſtat, breuibus ac compendioſis præceptionibus tradendam eſſe exiſtimet, ut quod longitudinis artis eſt, id præceptionum breuitate atq; compendio ſarciatur: (facit enim orationis coniuncta cum breuitate dignitas, ut artis rudimenta facilius ſtudioſi contineant, & maiore fructu atque uoluptate artem nanciſcantur: unde eſt illud Horatij,

Hora. in Arte Poetica.

*Quicquid præcipies, eſto breuis: ut citò dicta*
*Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.*)

ſed etiam ut ad artem tam frugiferam magna cum ſedulitate comparandam uehementer nos hortaretur. Nam etſi eorum ſententiam cæteris omnibus anteponat Galenus, qui comentariorum neceſsitatis, ac doctrinæ modi cauſam hoc in proœmio aſsignare uoluiſſe Hippocratem cen-

In commentario huius Aphoriſmi.

ſeant:

seant:(quòd forma doctrinæ aphoristica quæ omnes rei proprietates quàm breuissimis uerbis circunscribit illis sit utilissima, qui breui temporis curriculo artem longam docere uolunt) maius tamen aliquid excogitasse hoc loco Hippocratem non sine ratione asseuerare possumus. Id inquam, ad artem hanc tantopere utilem ediscendam, omni nobis esse studio animiq; contentione elaborandum, ut cùm hominis uita breuis sit, ars uerò longa: nec fieri possit ut quod immensum est longéq; uitæ nostræ mensum superans, id breui tempore assequamur, nisi in id summum & studium & diligentiam adhibuerimus, ob id ea duo proposuisse mihi uidetur, nempe uitam breuem esse, artem longam. Perinde enim ut qui longum iter breui temporis spatio emensuri sunt, magnam in eo diligentiam ponunt, ut citato cursu magnisq; itineribus spatia sua conficiant: sic artem longam discere uolentibus expedit, ut quo longior est in quam incumbunt ars, eò se intentius ad eam applicent: summumq; studium in eo maximè adhibeant, ut autorum scripta nocturna (ut Flaccus ait) uersent manu uersentq; diurna: Commentarios, perbreueis illos quidem, atq; compendiosos sibi comparent, delectum autorum faciunt: idq; in totum adnitantur, ut artis finem quoad illis datum fuerit cōsequantur. Quorsum hæc? Quòd uita hominis breuis sit, immensa uerò ars: ob id è re nostra maximè futurum est, si quæ in hominum utilitatem magnis laboribus inuenta sunt, ea scriptis, sed breuibus, & qui omnem rei naturam proprietatemq; explicent, tradantur. Nam cùm nemo quisquam ad artem quampiam simul & instituendam & absoluendam sufficiat (quod rectè Galenus in huius Aphorismi commentario testatur) satis profectò uideri debet, si quæ multorum annorum spatio à maioribus inuenta sunt, ijs nos aliquid adijcientes artem aliquando compleamus, atq; perficiamus. Hac ratione inductus Hippocrates ad Aphoristicam commentationem & scriptionem sese totum contulit: eoq; scriptionis genere ita accuratè ac dilucidè artem omnem tractauit, ut nihil accuratius dici usquam quicquam possit. Nec contentus solùm breuibus quibusdam sententijs artem longè omnium utilissimam tradidisse, & ad idem scriptionis genus cæteros omnes, qui post futuri essent, artis professores hortari: uerùm & id quoq; multò amplius, ut ad eam gnauiter summoq; studio atq; diligētia assequendam artem uos inuitaret. Quomodo enim quis artem longam & immensam uel assequi, uel exercere in tanta uitæ breuitate possit, ni summam in id & diligentiam adhibeat & studium? Efficit enim intenta in omni re consequenda diligentia, & coniuncta cum pertinaci labore assiduitas, ut omnia quantumuis difficilia & implicata exhauriamus. Vnde est illud celeberrimi Poëtæ, Labor improbus omnia uincit. Eorum itaq; sententiæ libens in hac parte accedo, qui adhortandi atque inflammandi homines gratia ad artem gnauiter tum comparandam, tum exercendam hoc procemio usum fuisse Hippocratem censent. Eorum item, qui & causam ipsum attulisse cur commentationes easq; perbreueis & Aphoristicas scribere oporteat, opinantur. Quid itaque sibi graui hac præfatione uoluerit Hippocrates, ex antea dictis, de ueterum eiusdem au-

toris interpretum sentẽtia patere abundè arbitror. Id inquam: Quoniam artis immensitas & longitudo uel uiuacißimi hominis uitam longè superat, quòd occasio præceps sit, experimentum periculosum, iudicium difficile (quæ omnia longitudinem artis demonstrant) nec ea ipsa ab quouis homine uel diligentißimo & laboris patientißimo poßit & inchoari, & perfici (quod ipsemet Hippocrates in epistola ad Democritum testatur) eam obrem operæpretium est, quæ quisque cognouit, ea mandare literis, & eas commentationes conscribere, quæ rerum docendarum naturam omnem diligenter ac citò, dilucidoque sermone (qualis esse Aphoristicus solet) interpretentur & explicent: in eamque doctrinæ rationem diligenter incumbamus. Hæc profectò Hippocraticæ huius sententiæ atque procemij uera ratio est.

Nunc uerò quod facturos nos deinceps sumus polliciti, singulas, Aphorismi partes diligentius expendamus, idque explicemus, cur uita hominis breuis sit, ars cur longa, & occasio cur præceps sit, experimentum periculosum, iudicium difficile. isthæc enim si exactè à nobis perpensa fuerint, magnam sunt Hippocraticæ sententiæ lucem allatura. Vitam itaque Aristoteles primam nutritiuæ animæ in calido participationem ac moram esse uerißimè dixit:

*Lib. de Respirat. seu de uita & morte.*

γένεσις μὲν οὖν ἐστὶν ἡ πρώτη μέθεξις σὺν τῷ θερμῷ τῆς θρεπτικῆς ψυχῆς. ζωὴ δ' ἡ μονὴ ταύτης.

Quod est: Generatio est prima uegetatricis animæ cùm calido participatio: uita autem mansio huius. Et rectè illud quidem. Nam tum primum genitum esse quippiam siue animans, siue plantam dicimus, cùm calidi natiui particeps effectum (in quo sita esse uegetatrix anima constans omnium assertio est) subsistere atque ali ex sese incipit: quod quandiu efficere potest, tandiu & uiuere animans, seu planta dicitur. Cùm sit uita permãsio & mora uegetatricis animæ calido natiuo subnixæ in corpore. Ac proinde hoc uitæ essentiam atque naturam iure appellamus, nutritiuæ seu uegetatricis animæ in nobis subsistentiam. Est enim anima uiuentis corporis causa & principiũ, ut idemmet Aristoteles tradit. Quamobrem haud immerito idem dixisse est uisus, uiuere uiuentium est esse. Tandiu enim esse quicquam dicitur, quandiu uiuit. Perit enim simul cum uita ipsa rei essentia. Siue autem uitam, animæ in calido natiuo mansionem, seu uniuscuiusque per alimentum subsistentiam (ut primo capite secundi de Anima libri idem autor affirmauit) dixeris, idem te dixisse putato. Nonnulli uitam motum continuum à corde in cætera membra propria actione manantem esse definierunt. Sed hæc contractior est uitæ notio prout animantibus tantum competit, latior & explicatior quæ Aristotelis. Nec uerò ipsa tantum uegetatricis in nobis animæ mora, motusque à corde continuus, uita dicitur: sed & tempus mansionem hanc animæ in nobis dimetiens. Id enim æui, quo uegetatrix anima alimenti interuentu subsistentiam conseruationemque nostri molitur, uitam Philosophi ac Medici rectè appellant. Hanc in homine breuem esse uetustißimus medicorum Hippocrates iure dixisse est uisus. Quem locum interpretans Galenus,

*Vita quid.*

*2. de Anima. cap. 4. seu textu. cõm. 37.*

Galenus, uitam quidem breuem esse si ad artis magnitudinem conferatur, affirmandum censuit. Nam cùm ars ipsa medica omnium ferè operationum suarum occasionem habeat momentaneam, & ob id difficulter comprehensibilem: ut nemo quisquam (quod lib. de Locis in homine, & ad Democritum scribens epistola quadã, testatur Hippocrates) nosse exactè eam posit: ne si ad extremam senectam asidua artis exercitatione quis peruenerit, ut ipse idem de se affirmat Hippocrates, efficitur profectò, ut uel longisima hominis ætas ad artis difficultatem & magnitudinem collata breuis meritò dici posit. Nec uerò solùm artis comparatione breuis hominis uita censenda, sed ipsa per sese fluxa, momentanea, fugax est ab omnibus semper existimata, non Philosophis solùm, sed etiam Poëtis. Vnde est illud Flacci,

*Vitæ summa breuis spem nos uetat inchoare*
*Longam.* Et illud item Nasonis:
*Tempora labuntur, tacitisq; senescimus annis:*
*Et fugiunt freno non remorante dies.*

Ex Seneca lib. de Breuitate uitæ.

Quod animaduertens Aristoteles, ac post eum etiam Theophrastus, naturæ in eo culpam causati, cùm ea expostulasse traditum priscorum monumentis est. quòd tantum animalium quibusdam indulserit, ut æui ea longisimi esse uoluerit, ad sensus tantum & uitæ blanditias natis, unde cornices, ceruos, elephantes, coruos, & pleraq; talium productioris uitæ effinxerit: unum tantum hominem in tam multa & magna genitum, ut mundi miraculum dici meritò posit, (quòd nimirum animal sit diuinitatis particeps, consilij plenum, & rationis, nihil non mentis, quam diuinitus posidet, claritate diuinitateq; peruadens & intelligens) unum inquam hominem breuis æui ac momentanei adeò esse uoluerit, ut bulla à plerisq; sit existimatus. In eo profectò accusasse naturam Aristotelem, & quasi iudicij ream damnasse proditum est. Quam sanè expostulationem, etsi minimè tanto Philosopho dignam Seneca astruit: congruetisimam tamen fuisse, nec sine magna ab eo ratione inductam, ille sciendi ardor & intelligendi ad quem se natum Aristoteles probè intellexerat, clarum facit: qui dum in maximis naturæ recesibus, abditisimisq; causis agnoscendis totus uolutaretur, pluraq; semper ac maiora discere uellet, medio in cursu tantarum rerum morte raptus fuit, cùm uitæ suæ annum tertium supra sexagesimum uix impleset, ut autor Laërtius est. An non igitur iure cum natura expostulasse est uisus?

Lib. de Breuitate uitæ.

Sed cur uita hominis breuis sit paulò plenius disquiramus. Breuitatis porrò huius causas in duo potisimùm reiecisse Aristotelem, libri ad id dicati assertione constat, in contrarium scilicet, & excrementorum prouentum: à contrario enim corruptio, tolluntur enim contraria à sese inuicem. Itaq; cùm corrumpi non posit quod contrario caret, cùm nihil quicquam uim habeat corrumpendi, nisi à contrario: cõsequens quidem est, ut cui contrarium aliquod inest, eidem & corruptio insit. Quamobrem cùm ex contrarijs constitutio omnis nostra sit, calido, frigido, humido, & sicco: efficitur profectò, ut ex horum inuicem pugna mutatio ma-

Lib. de Lon. & breu. uitæ

gna in corpore oriatur, dissoluta tandem quæ contrariorũ sustinet actionem substantia. Eò fit ut diuturnum esse non possit quod ex contrariorum secum ipsi pugnantium coalitu constat. Ex horum enim dissidio & temperamentum dissolui, & breui uitam finiri omnino oportet. Quam uitæ fugacis celeritatem excrementorum in nobis prouentus augere plurimùm solet. Nam cùm esse bibereq́ necessaria animantibus sint, neq́ id omne quod ad substantiæ fluorem instaurandum assumitur, uerti in alimoniam possit, excremẽtorum inde fieri generationem atq́ prouentum

*Ex Gal. 1. de Sanit. tu.*

consequens est: ut bellè Galenus primo de Sanitate tuenda tradit. Quæ sanè excrementa cùm contraria omnino atque inutilia seruandæ corporis constitutioni sint, ut quæ nec à facultate elaborata, nec corpori assimilata sint: sed per illius laxiora intus spatia tanquam superuacanea errent, (unde rectè περιττώματα Græcè dicta sunt) efficitur, ut ab ijs ceu contrarijs in corpore redundantibus uitæ cursus frangatur, celeriusq́ permeet, morborum omni colluuie inde manante. Quamobrem rectissimè

*Vbi suprà.*

illud præcepisse Galenus est uisus, ut quæ instrumenta à natura his excernendis excludendisq́ dicata sunt, quo corpus mundum atq́ excrementis uacuum seruetur, ne citò dissoluatur, ea inquam ut libera, ut suis munijs obeundis probè ualentia, ut obstructionibus minimè obnoxia seruare studeamus. Sed omnium maximè uitæ breuitatem perpetuus substantiæ nostræ fluor, pabuliq́ quo uita fulcitur ætatis decursu deficiens uigor efficiunt. Cùm enim calidum humidumq́ animans omne esse oporteat (calidum enim sine humido in uiuente corpore consistere nequit) ipseq́ natiuus in nobis calor instar flammæ cuiusdam humidum assiduè depascatur, perinde atq́ in oleo accensus lychnus: efficitur profectò ut quàm celerrimè proprio dissipato subiecto uita euolet, deficiente unà cum humido, ipso etiam natiuo calore: inde enim & senium, & perpetuus nostræ substantiæ fluor proueniunt. Quanquam & huius multæ sint aliæ causæ. Non enim solum à calidi in humidum perpetua actione fluit nostra omnis substantia: sed item cùm quod effluxit non pro ratione resumitur. Ab aëre item qui perpetuò pro sui ratione nos afficit, nobisq́ assiduè instat, uariè nostri corporis substantiam dissipari, atq́ effluere cer-

*Ex Galen. in Arte medica.*

tum habemus. Quid labores, uigilias, curas, angores, inediam, sitim, morbos cæteraq́ inopinatò occurrentia taceam? Ab his enim omnibus eneruari corporis nostri robur, substantiã minui, seniũ accelerari, uitam rapi cernimus. Quid uero? non'ne incautam, insalubremq́ uictus rationem ad uitæ breuitatem plurimum momenti habere omnibus in confesso est? dum neq́ ciborum delectum, substantiam, quantitatem, qualitatem, ordinem, tempus, modum pro corporis constitutione seruãda attendimus? Quid effrenes sensuum cupiditatumq́ motus? Quid uoluptatum, quibus toti inuoluimur, delicias ac lætifera blandimẽta recenseam? Perdunt hæc uitam nostram, aut potius instar ualidæ tempestatis rapiunt & absor-

*Iob lib. 14.*

bent, ut haud immeritò dixisse illud de homine sanctissimus Iob uideri possit, Homo natus de muliere, breui uiuens tempore, repletur multis miserijs, & quasi flos egreditur & conteritur, & fugit ueluti umbra nec

unquam

unquam in eodem statu permanet. Cùm itaq; tot sint tamq; ualidæ, ac penè infinitæ celeritatis uitæ, effluxusq; substantiæ nostræ causæ, an non optimo iure uitam breuem esse Hippocrates dixit? Sed huic Hippocratis sententiæ Aristoteles aduersus ire uidetur, dum hominem unum diuturnitate uitæ cætera multa animantia præcedere lib. de Longit. & breuit. uitæ affirmauit. In ijs (inquit) quæ sanguinea pariter & pedestria sunt, ea haberi solent, quæ inter animalia longissimè uiuunt: ut homo, atque elephas. Et rursus, Humidum non solùm multum esse oportet, sed etiam calidum, ut ne facilè aut congelascat, aut resiccetur. Hac de causa (subdit) diutius homo quàm maiuscula quædam animalia uiuit. Quòd si longissimè uiuere hominem Aristoteles astruxit, quomodo breuis eum esse uitæ Hippocrates affirmauit? Quam item Aristotelis sententiam Seneca ijs uerbis confirmare est uisus: *Lib. de bre. uitæ.* Maior (inquit) pars mortalium Pauline de naturæ malignitate conqueritur, quòd in exiguum æui gignimur, quòd hæc tam uelociter, tam rapidè dati nobis temporis spatia decurrant. Non exiguum temporis (subdit idem) habemus, sed multum perdimus. Satis longa uita & in maximarum rerum consummationem largè data est, si tota bene collocaretur. Sed ubi per luxum ac negligentiam defluit, ubi nulli rei bonæ impenditur, ultima demum necessitate cogente, quam ire non intelleximus, transisse sentimus. Ita est, non accepimus breuem uitam, sed fecimus: nec inopes eius, sed prodigi sumus. Quid ad hæc Hippocrates, si pro sua sententia tuenda causam ipse pro se aduersus tam potentes aduersarios sit dicturus? Non aliud sanè, quàm breue & longum, cùm ex eorum genere, sint quæ ad aliquid dicuntur, eidem congruere posse, si ipsum ad uaria conferatur. Si enim homo ad pleraq; animantium comparetur, ipsum profectò longissimæ uitæ esse iure statuemus, quòd & temperamenti perfectione, & calidi natiui mensura, & humidi temperati proportione cæteris omnibus præstet, longéq; præpolleat. At uerò si perpetuum in eo substantiæ fluorem, si contrariorum ex quibus constat assiduam pugnam, si morborum euentum, si naturæ fragilitatem, si duros inopinatosq; casus, si deniq; cætera uitæ cursum præripientia, quæ paulò antè commemorauimus inspectemus: si denique rapidi temporis celerem lapsum fugaciaq; momenta: breuis profectò æui hominem iure esse dicemus. Quin & multò amplius, si ad tantæ artis, quanta medicina est, cultum, propagationē, intelligentiam contulerimus. Quis enim tam longæuus uel fuit, uel futurus est unquã, ut artem omnem plenè teneat? Nemini cuiquam id contigit. Breuis profectò est hominis ætas artis magnitudini comparata: in quem maximè sensum locutum fuisse Hippocratem ex Galeni commentario colligi dilucidè potest. Non enim tam angustis nos uitæ spatijs natura conclusit: non tam arctis cancellis astrinxit, ut non sat amplum dederit homini & uiuendi, & uitam benè collocandi tempus. Sed sicut amplæ opes si in malè utentem dominum inciderint, momento dissipantur: modicæ uerò, si bono custodi traditæ sunt usu crescunt. Ita ætas nostra bene disponenti multum patet. Quid itaq; de rerum natura querimur? illa se benignè gessit. Vita, si uti scias, longa est,

non breuis nobis à natura data. Sed optimum uitæ tempus inanibus & nihil iuuantibus curis labitur aut potius effluit: inde fit, ut dum blanditijs, uoluptatibus, & curando corpori studemus, bona nobis multaq; uitæ pars pereat: ut quod reliquum ad animi cultum superest, meritò breue esse dicamus. Multum profectò temporis ad benè beateq; uiuendum Dei munere nacti sumus: sed id omne nos ipsi uolentes scientesq; prodigimus ac perdimus: ut non immerito uitam breuem esse non naturæ culpa, sed nostra asserere planè possimus. Sed de his satis: quatenus enim uita omnis nostra aut breuis ab Hippocrate, aut ab Aristotele longa dici mereatur, explicatum abundè arbitror.

*In librum qui Medicus inscribitur, & in defini. medicis.*
*6. Moralium cap. 4.*

Cur uerò ars longa sit, nunc explicandum. Artem porrò Galenus comprehensionum & opinionum ad finem quendam uitæ spectantium collectionem esse definit. Aristoteles habitum quendam, recta cum ratione quippiam efficientem, artem esse uoluit. Idem enim ualent ars & habitus cum ratione uera in faciendo positus: cùm nulla non ars sit habitus cum ratione rei cuiuspiam efficiens: neq; habitus ex eo genere ullus, qui nomen artis non mereatur. Ars autem omnis in effectione unius cuiuspiam rei uersatur: idq; unum agit & spectat, quemadmodum rectè efficiatur quicque eorum quæ sub artem cadunt: quorumq; principium situm est in eo qui facit, non in eo quod efficitur. Ac proinde ars ea nõ tractat quæ stant, & eueniunt necessariò: sed eorum est, quæ esse, & non esse possunt. Nec in ijs etiam quæ à natura ortum habent uersatur: continent enim hæc principium in seipsis omnino. Arti uerò subiectam esse effectionem, non actionem ipsam, eodem ipso loco Aristoteles confirmat. Erit igitur ars habitus ad faciendum idoneus, cuiusmodi certè medicina habenda est, quæ sanitatem ipsa uia quadam efficit & morbos pellit. Ea porrò uia ac ratio qua id præstat (quam methodum Græci uocant) ars est omnino censenda: quæ certè (ut Galeno lib. de Constit. artis, & de Optima secta placuit) factiuarum una est: sanitatem enim ipsa quadantenus efficit, & morbos curat. Nam etsi morborum naturæ medicatrices sunt, ut sexto Epidemiorũ Hippocrates uoluit, naturaq; ipsa artifex sit, & animalibus consulat, ut idem ait, non ob id tamen (quod in eius partis commentario doctissimè explicauit Galenus) tolli artem oportet: quin & ars ipsa, & medicus, & medicamenta, & ministri & quæcunq; ad curationem pertinent, rectè morbis mederi sanitatemq; efficere dicenda sunt. Natura quidem ut opifex, cætera uerò aut ut ministri, aut ut instrumenta. Est enim natura omnium opifex, ut in Arte medicinali scribit Galenus: administra naturæ ars, medicus uerò minister. Nos uerò hic unà cum Hippocrate medicinam artem facimus, cùm ille hoc loco, & libro de Lege, artis nomine uniuersam hanc medendi disciplinam dignatus sit, dum eam artium præclarissimam nominandam censuit. Et Galenus quoque sexto Epidemiorum, cõmentario in eundem librum quinto, artem medicam dignitate medicis præstare affirmauit. Auerrous quoque idipsum I. & VII. suarum Collectionum libris. Quod & Ammonius in enarratione libri prædicamentorum Aristotelis, caput de qualitate enarrans, atque in

procemio quinq; uocum Porphyrij, & Eustrathius primo Ethicorum conceptis uerbis sensisse sunt uisi. Medicinam siquidem omnes hi artem haud sine magna ratione nominant. quòd & habitus quidam sit, & uera ratio sanitatis effectrix: & non sit eorum quæ necessariò eueniunt, cùm sæpenumero fine suo frustretur ars, (non enim semper sanitas artis adminiculo & instrumentorum paratur, ut quotidiana experientiæ fides confirmat.) Itaque erit profectò medicina ars, si quid Aristoteli tum sexto Moralium, tum in fine Posteriorum resolutiuorum credi debet. Is enim hoc discerniculo scientiam ab arte disiungi uoluit: quòd scientia eorum sit, quæ necessaria sunt, nec aliter euenire possunt: ars eorum quæ effici, & quæ esse & non esse queunt. Vetus profectò, & quæ nimium diu multorum animos torsit dubitatio hæc una fuit, esset ne medicina scientia an ars, *Medicina an sciētia, an ars* Quæ nullo negotio transigi breui potest. propriè quidem & à fine indicatione sumpta, totam ipsam artem esse: ut cuius nempe finis sit effectio, non uel meditatio ipsa, uel actio, quod artis proprium esse uult V I. Ethicorum Aristoteles: efficit nanq; sanitatem medicina. Quæ Hippocrate teste nihil planè aliud est, quàm adiectio & detractio: *Lib. de Flati.* adiectio eorum quæ desunt, detractio eorū quæ superfluunt. Nec obstat quòd eam, scientiam in arte medicinali Galenus, & Auicenna capite primo sui primi Canonis efficiant. Nam etsi posse eam aliquo modo dici ex horum mente scientiam, non negamus, quà scientia est rerum earum quæ sunt cum ueritate comprehensio, siue id experientia, seu ratione fiat, seu opinione, seu coniectura. Quo pacto scientiæ nomen communiter accipi oportere in definitione medicinæ Galenus affirmauit. *In Arte med.* Et Isaac libro definitionum, uniuersè magis scientiam definiuit, dum scientiam comprehensionem ueritatis ab anima rerum ad sciendum idonearum esse uoluit. Et Boëtius in libro Prædicamentorum Aristotelis confirmauit. Nihilo secius tamen, medicinam propriè & uerè scientiam non esse astruendum est: cùm solius scientiæ finis sit, ueritatis per demonstrationem à causis petitam contemplatio, seu adeptio: ut illud rectißimè Aristoteles dixisse sit uisus, *2. Posteri. capit. 2. & 1. Physic. cap. 1.* Scire nos unumquodq;, tum uerè arbitrari, cùm illud per causas suas, principia, & elementa cognoscimus. Etsi enim pleraque ad hunc modum nobis in medicina sunt demonstrata, ueluti hominem ob id dolere, quòd unum non sit, sed ex multis atque contrarijs constet (quod lib. de Elementis, & de Hominis natura, docuit Hippocrates): Et, pueros plurimo egere alimento, quòd calido natiuo multo polleant: Et, curationem omnem contrario perfici, milleq; eius generis alia: hæc tamen ipsa in id ordinata sunt, ut his cognitis præstitutum finem (qui sanitas est) nanciscamur. Non enim hæc ipsa tantum ut sciamus mente contemplamur: sed in id, ut scientes ex contrarijs constare hominem, moderari contraria hæc ad sanitatis tutelam arte ualeamus: atq; hic artis est finis. Quæcunq; enim de subiecti natura, de Elementis, de Temperamentis, Humoribus, Facultatibus, Naturæ actionibus, Partium usu, & cæteris huiusmodi tractat medicus, in id tractat, & disquirit, ut per hæc uel sanitatem conseruare, uel amissam restituere artis effectione poßit: Si itaq;

de re

de re tota statuere è dignitate uoluerimus, medicinam artem, & eam quidem omnium longè clarisimam, unà cum Hippocrate esse dicemus. Si uerò neotericorum sensa sequi, partem eius quæ θεωρικὰ dicitur scientiam, partem illius operatricem, artem nuncupare poterimus. Sed mihi tamen priore in sententia standum uidetur. Sed ars cur longa ab Hippocrate statuatur, dicendum. Longam porrò ob id artem esse Galenus testatur, quòd operationum suarum omnium ferè occasionem præcipitem habeat ac momentaneam, eaq; ratione difficulter cognobilem. Nec uerò ob id solùm longam esse medendi artem existimandum est: sed multò magis, quòd & illius circa quam uersatur materia non satis usq; tota perspecta sit, longiq; temporis spatio egens probè ut dignoscatur. Quis enim hominum tam multa, tam uaria temperamenta, naturam omnem, & naturæ in quoque admirandas & abditas effectiones, potestates, proprietatesq; (quas ἰδιοσυγκρασίας uocant) unquam exactè nouit? cur hic bubulam, suillam ille: unus caseum, poma alter auersetur? Cur hic difficillima concoquat, facilia alter conficere non posit? Cur uni ad soluendam aluum lene medicamentum satis sit, alteri ne ualidum quidem sufficiat? Hæc profectò ea sunt, quæ artis tum magnitudinem, tum uerò longitudinem præcipuè declarant. Ad quod facit, quòd cùm bona multaq; medicinæ pars experimentis rerum ad curationē utilium earumq; obseruatione nitatur (quòd

*In Introductorio.* inuentionis artis uetustisimum principium, autore Galeno, experientia sit) ad experientiam autem habendam longo fit usu opus, ut idemmet Galenus tertio Meth. tradit: efficitur profectò, ut longam omnino ob hæc omnia fieri artem necesse sit. Quam longiorem item efficere solent, nascentium in dies morborum noua incognitaq; natura: tot item remediorum excogitata in id ratio. Quis enim ante annos plus minus octoginta, Gallici morbi naturam, causas, & quæ affert symptomata? Quis medendi morbi rationem per ligni Guaiaci decoctum, & paratas ex hydrargyro unctiones nouerat? Multa præsidiorū genera in usus hominū utilisima recens à nostris inuenta hac ætate sunt, antiquis illis prorsus ignota: ut de Ambra, Moscho, Santalis, Siliqua Aegyptia, Myrobalanis, nostrate Rhabarbaro, Caphura, & id genus alijs multis, constans omnium assertio est. Testatur Galenus XIIII. Methodi, plurima ætate sua inuenta fuisse, prioribus seculis prorsus ignota: ut de Myrmeciarum noua suo tempore excogitata à quodam ratione eodem loco confirmat. Et VI. Methodi multa à se medicamenta inuenta, nondum à quoquam in usus hominum prodita, ipse de se gloriatur. Cùm uera methodus (ut eodem ipso loco idem affirmat) uel nunc etiam post tot tantosq; medicos, non solùm meliora medicamenta quàm prius fuere, sed etiam uniuer-

*Lib.29. Nat. hist. cap.1.* sum curationis modum inuenire queat: ut haud immeritò Plinius ob hanc rerum in medicina nouitatem, & auxiliorum curationisq; immutatum pasim usum, arte medica nullam inconstantiorem esse ingenuè est professus. Atq; hæc de artis longitudine dicta sint.

*Occasio cur præceps.* Occasio autem præceps est, ob citam materiæ transmutationem: materiam autem, corpus intelligere humanū circa quod ars uersatur, oportet.

tet. Fluit enim & transmutatur perpetuò corpus. Vnde est illud Galeni in Arte medicinali, alterari nos quidem à quibusdam necessariò: ab ijs inquam quæ nulla est euitandi ratio, qualia sunt aër, cibus, potio, somnus, uigilia, motus, quies, plenitas, inanitio, & ea quæ animi pathemata nominantur: dico autem iram, mœrorem, metum, curam, sollicitudinem, tristitiam, immodica studia: istæc enim omnia à naturali statu corpus euertunt. Occasionem uerò in præsens agẽdorum opportunitatem intelligere oportet, quam præcipitem ipsa corporis alterationi & mutationi exposita natura facit.

Experimentum autem & ipsum quoque periculosum materiæ ratione. Hominem nanque materiæ uice medicina tractat: rem quidẽ omnium nobilissimam, atque perfectissimam, in qua periclitari minimè licet, ob id ea in humano corpore experiri quæ non satis sint nobis suis uiribus perspecta & cognita, longoque usu explorata, periculosissimum omnes arbitrantur. Vnde illud appositissimè sexto de Sanit. tuen. dixisse Galenus est uisus, Experientiam normæ uice habendam perpetuò esse eorum quæ excogitauerimus: nec scribendum pro utili quicquam esse, cuius non fuerimus uim experti. Nam si id auxilij uice adhibueris, quod minimè exploratũ habeas, idque noxam adferat, in summum uitæ discrimen hominem adduces: ut haud sine magna ratione illud dixerit Galenus, In corpore humano illa experiri quæ non sunt experientia comprobata, citra periculum non esse: cùm mala experientia ad totius animalis interitum uiam faciat. Non enim perinde ut ligna, ferrum, coria, cæteraque uilis momenti artifices reliqui, sic hominem medicus tractat. In illis enim impunè experiri omnia licet, ut quæ insensilia sint, & quæ in illis contingit iactura sarciri nullo negotio possit. Hominem si lædas, in uitæ discrimen agis, & sæpe etiam interimis. Quam rem pulchrè Plinius animaduertens, in nullo alio periculosius mendacium esse, quàm in eo, qui se falsò medicum profiteatur, ingenuè est professus. Nulli (inquit) magis quàm se medicum profitenti statim creditur: cùm sit tamen in nullo mendacio periculum maius. Negotiantur enim (subdit) animas nostras, & experimenta per mortes agunt. Quid hoc ad cautionem professionis medicæ (ne, inquam, se temerè medicos esse profiteantur, qui non sunt: quique sibi uiam ad hominum salutem multa multarum rerum cognitione & usu non præstruxerunt) aut prudentius, aut accommodatius dici potest? Quid ad deterrendos homines, ne se incautè quibusuis se medicos profitentibus credant, appositius? Qui enim nulla methodo ac ratione munitus, nulla experientiæ fide septus ad curandum ingreditur, is profectò negotiari iure animas nostras, ut Plinius censet, non morbis mederi dicendus est. Experimentum autem, autore Galeno lib. de Opti. secta. est eius, quod frequenter & eodem modo uisum est, comprehensio atque memoria. Libro uerò de subfiguratione Empirica, Experientiam appellauit, quam à se quispiam intuitu ipso deprehenderit. Fieri autem experientiam ex propria intuitione, historia & congruo de re simili ad similem transitu Theutas autor grauissimus referẽte Galeno prodidit. Et propterea rectè definiri

*Experimentum cur periculosum.*

*In comment. huius Apho.*

*Lib. 29. Nat. histor. cap. 1.*

definiri experientiam si quis dicat, memoriam esse eorum quæ sæpe & eodem modo perspecta sunt. Quòd si quis pro memoria obseruationem posuerit, erit utiq; experientia obseruatio eorum quæ sæpe eodem modo fuerint uisa atq; explorata. Quemadmodum uerò ex plurimis experimentis tota conflatur ars, ita experimenta singula ex experientijs multis, id est obseruationibus conficiuntur: quarum scientissimũ esse medicum oportet, ne falli, ne periclitari in experiundo, & infamiæ notam subire inscientia rerum utilium possit.

*Iudicium cur difficile.*

Iudicium difficile dixit Hippocrates: & meritò quidem. Nam cùm sit iudiciũ ratio ipsa, quòd per eam quæ rectè ad hominis tutelam sunt facienda dijudicentur & expendantur, difficile profectò id in arte est. Pressa enim & uera rerumq; ex arte sunt ratio, non facile (ut affirmat Galenus) inuenitur, alijs aliud de eadem re sentientibus: quòd obscura & abdita sit rerum ueritas atq; notio, qua quicque quale est cognoscitur, & cur hoc uel illud agat. Indicant id sectarum in arte medicinali tum dissensio, tum multiplicitas. Neq; enim si ueritas (ut rectè Galenus tradit) esset inuentu facilis, tot ac tanti uiri qui illam miris laboribus perquisierunt in tam contrarias sectas essent dispertiti unquam. Empiricis porrò aliud iudicium quàm ratio esse uidetur, nempe ea quæ sit illorum quæ per experientiam inuenta fuere auxiliorum dijudicatio. Quæ sanè & ipsa difficilis admodum est. Plurimis enim adhibitis ægri causa remedijs, difficile dictu est, utrum illorum magis iuuerit. His igitur ex causis omnibus iudicium rerum perdifficile habendum est.

*1. de Popularib. morb.*

Sequitur uerò ea nunc explicanda pars, in qua Hippocrates consultoris partes & adhortantis sibi sumpsisse uidetur: dum & medicũ & ægrum, ministrosq;, sui quenq; officij admonet, inquiens, Non solùm medicum præstare oportere necessaria facientem: sed & ægrum, & assidentes, & externa. Hac in re una atq; sententia, uniuersam medendi rationem complexus. Nam cùm ars medica eodem Hippocrate autore, his tribus maximè constet, morbo, ægro, ac medico artis administro, tum profectò feliciter est omnis artis ratio processura, cùm medicus, æger, ministri, & externa adhibita pro ratione & in tempore omnia fuerint, ac sui quisq; muneris rationem rectè obiuerit.

*Hipp. 6. Epidem. Gal. cõment. 2. ad 1. Epid. & 9. de Placitis Hippo. et Plat. & in Arte medicin.*

Itaque quid medici nomine intelligendum in præsens sit, quod illius præcipuum munus: quod item ægri & assidentium, narrare ad partis huius longè utilissimæ expositionem ingrediemur. Medici uerò nomen & latissimè patet, & maius omnino quiddam est, atq; diuinius, quàm uulgò sit existimatũ. Est enim medicus naturæ minister, autoribus Hippocrate atq; Galeno. Tanti uerò medicum fecisse Hippocratem legimus, ut illum numinis cuiusdam instar habendum censuerit: libro enim de probitate ait, ἰητρὸς γὰρ φιλόσοφος, ἰσόθεος. Medicus (inquit) Philosophus Deo par. Veteribus profectò solenne illud fuit, ut quæ ipsi ornari uellent, ea splendidis & illustribus titulis condecorarent: unde & medicamentorum compositiones quasdã à uirium quibus pollebant excellentia, ἰσοθέους uocabant, ut Nicolaus Myrepsius in suo antidotorum libro autor est.

Hæc

Hæc autem medici ab Hippocrate profecta laus, & si maior multò atque illustrior, quàm ut illi nec cuipiam alteri artifici congruere posſit, haberi debet, id tamen Hippocrati ſuæ arti indulgenti, & paterno propè affectu (cùm eſſet ipſe medicinæ parens, tantæq; artis cultores diuinis planè honoribus honeſtandos cenſuiſſet) plus æquo nimium tribuenti condonandum. Quà enim Philoſophum eſſe debere medicum affirmauit, id planè ſenſiſſe eſt uiſus, omnium rerum gnarum atq; ſcientem oportere eſſe medicum: quod & ipſe libro de Articulis teſtatur. Multarum (inquit) rerum peritiam medicus habeat. Ac proinde Galenus medici nomen latè patere, & ad Gymnaſticen, & tuendæ ualetudinis artem, & ad curatricem propriè pertinere (quòd hæc prima totius artis pars ſit conſtituta, unde medici ſunt uocati) libro ad Traſybulum eſt teſtatus. Eum enim qui ſe medici nomine dignum exiſtimarit: quiq; excellens & ſuæ artis probè callens haberi uult, oportet non natura modò, ſed doctrina, institutione, induſtria, & tempore, ceu ducibus quibuſdam artis ſibi notionem parare: ad hæc ut ueritatis inſano quodam amore ceu afflatus teneatur: tum ut quæ à clariſsimis ueterum tradita ſunt, ea improbo quodam labore diſcere, ac explorare, adhibito iudicio aggrediatur. Ac proinde quò iſthæc omnia medicus conſequatur, perſpicaci ipſum eſſe natura, recta à puero inſtitutione & exercitatione in optimis quibuſq; diſciplinis eſſe omnino oportet. Methodumq; eam habere & exercere, qua id quod ſuopte ingenio ac diligentia adeptus eſt, experiri & in uſus hominum ducere poſsit. Quod libro de Genitura animaduertens Hippocrates, opponere ſe contrarium inſtantibus & morbis & naturis, & temporibus & ætatibus medicum oportere affirmat. Scribens autem ad Hippocratem Democritus, hominis naturam, tum morbi ac temporum illius, atq; anni conſtitutionem noſſe, morboſq; ritè curare medicum debere, hæcq; muneris ſui eſſe aſtruxit. At uerò quàm uitæ integritate & innocentia admirandum, moribus inſignem, inſtituto rigidum, omni animi cultu excellentem, iuſtitia, cæteriſq; uirtutibus, imprimis uerò modeſtia atq; prudentia ornatum eſſe medicum uelit Hippocrates, ex his quæ idem lib. de Medico, de Præceptionibus medicis, de Probitate, tum ex his quæ in iureiurando ſcripſit, intueri licet. Ex eius enim atq; Galeni ſenſis perfectiſsimi medici ſpeciem ac formam huc de induſtria adferre commodiſsimum uiſum eſt: ut quanta ſit medici dignitas & excellentia, quæ natura, quod illius præcipuum munus, ut opportuna ſeſe præſtet facientē (quod hic iubet Hippocrates) ſcire in artis admirationem ualeamus.

*Ex lib. de lege Hippo. & Gal. 3. de Natur. fac. et lib. de Constitu. artis.*

*Democritus epiſt. ad Hip. & Hippocratis lib. de priſca medicina.*

Medicum igitur cōſummatum, ſeu mauis perfectum eum Galenus nominat, qui in rerum contemplatione & actione omnes numeros impleuit. Optimum uerò illum, qui omnia quæ ad artis rationē morborumq; curationem pertinent, ſumma & optima agit ratione, hoc eſt, methodo certa, ut in definitionum libro ſcripſiſſe eſt uiſus: ſi modò is liber Galeni eſt habendus. Omnes uerò numeros implere is iure medicus dicetur, qui eorum quæ ad animi cultum & mores, quæ ad corporis decentem habitum & ornatum, quæ demum ad exactam medendi rationem pertinent,

nihil planè omiserit.

Expedit uerò in primis medicum animo modestum & pium, incorruptis sanctisq; moribus esse, numinisq; maximè & metuentem & obseruantem, illudq; actionum suarũ omnium ducem, autorem, effectoremq; sibi proponere. Medicina enim (quod libro de Probitate testatur Hippocrates) erga deos reuerenter se habere comperitur. Medicicq; numini ualde tribuunt, quòd ars medica (ut idem lib. de Veteri medicina tradit) Deo accepta fertur, dignaq; habita, quæ illi adscriberetur: ac proinde ut scriptura ait, Omnis medela à domino Deo est. Quod intuens Diuus Mesuëus rectissimè illud dixisse est uisus: In cunctis quæ à nobis fiunt præponendum esse Deum, ut securi atq; fidentes experiri cuncta possimus. Quæ bene ac feliciter in curationibus cedunt, id omne numini, non uiribus nostris adscribamus. Nihil enim medicus habet quod non à Deo optimo Maximo acceperit. Humanitate uerò quanta maxima uti potest atq; beneficentia in omnes, præcipuè autem peregrinos & egenos, utatur: si quando se ferendæ opis occasio obtulerit. Sic enim libro de Præceptionibus medicis iubet Hippocrates. Nam si erga homines amor atq; humanitas adfuerint, erga artem item amor comparebit. Studeat itaq; Hippocratis atq; Empedoclis exemplo de hominibus bene mereri, idq; officiorum tum magnitudine tum crebritate ritè medendo: non quæstus, aut auræ popularis captandæ gratia. Sic enim præcitato loco Hippocrates & Galenus VII. Meth. medendi iubent. Humanitate nanq;, pioq; erga homines benemerendi studio Hippocrates Empedoclesq; medebantur, ut IX. de Placitis lib. testatur Galenus. Quæ cura medico uel in primis

*7. Natur. hist.* præcipua esse debet. Siquidem quod Plinius ait, Diuinum est iuuare mortales, quo iuuandi studio nullum maius, nullum homine dignius est omnino habendum. Ab omni uerò animi perturbatione, ira inquam, liuore, odio, amore, cæterisq; animi ægritudinibus alienissimũ esse omnino frugi medicum oportet: ne in gratiam quicquam loquatur aut agat: uel odio furijsq; agitatus à recto deflectat. Est enim summus cogitationum & actionum nostrarum omnium inspector & ultor Deus qui iudi-

*Ex Hipp. lib. de decenti ornatu.* cat. Sunt & cœli qui arguunt, & elemẽta quæ sæuiunt ut Diuus Mesuëus dixit. Postremò cruciatus Gehennæ. Comitate porrò, humanitate, gratia, ac summa fide ægros inuisat, officiosumq; se illis & industrium, impi-

*Hipp. 1. Præsag.* grumq; præbeat. Hæc enim fiduciam ægro de medico magnã conciliant: & summam uirtutis & excellentiæ medici opinionem pariunt.

In primis uerò sui rationem habere medicum decet, ne aut sui contem-

*Commẽ. 4. in sextũ Epide. Hipp. cõmen. illius Aphor. Introitus, sermones.* ptum pariat, aut se asperum, agrestem, superbumq; ægro præstet. Ob id Galenus medicum eum qui laude dignus futurus sit, uult omni ex parte decorum seruare, ut humanus, moderatus atq; iucundus cùm sit, grauitatem sibi in primis retinendam putet. Nisi enim medicum æger ut Deum tutelarem quendam admiretur, (ait idem) nunquam illius præceptis obtemperauerit: decetq; eundem & aspectu, & sermonibus, & incessu, atq;

*Vbi suprà immediatè.* ad ægros ingressu (quod Hippocrates atq; Galenus monent) omniq; corporis habitu maiestatem quasi quandam, sed fastu tamen atq; superbia ca-

rentem

rentem seruare. ut frons, oculi, uultus, incessus, sessio, gestus, decorum semper referant. Vestibus porrò (quod iubet Hippocrates) nitidis, cultis, atque etiam in ægrorum gratiam odoratis uti decens est. *Lib. de medico.* Nitor enim & mundicies medicum gratiosum & amabilem magis faciunt. Sed inter cætera cuncta nihil æquè quicquam medici dignitatem fide & taciturnitate illustrare posse uidetur. In eo autem maximè medici fides elucet, si, quod ad ægros sanandos attinet, ita morbis prosit, ut ne quid noceat, ut uictus congruam rationem morbis ægrisque commodam præscribat, *1. de Popul. morb.* ut quod unicuique morbo curando idoneũ fuerit, id fide summa dari iubeat: quod *Hippo. in iureiur.* præcipuum medici munus esse, primo de Elementis, uoluit Galenus, ut noxia & deleteria quæ sunt noxamque aliquam homini allatura, ea omnino ne prodat nec dari unquam sinat. Quæ in morborum curationibus uiderit, quæque retecta notam sunt ægro aliquam allatura, ceu arcanum contineat, nec cuiquam pandat: sic enim Hippocrates iubet. *In Iureiurando.* Ignominiæ enim plenum est ægri famam prodere, & fidei nostræ commissa continere non posse.

Quod uerò ad artis eius, cuius se artificem dici uult, rationem attinet, Naturæ omnis gnarum esse medicum oportere Galenus rectissimè censuit. Vnde illud Democriti ad Hippocratem scribentis manasse uidetur, *2. Meth.* ut medicus hominis naturam in primis consideret. Itaque hominis temperiem, habitudinem, structuram, nexum, ætatem, sexum, humores, membra, membrorum uarios positus atque usus, actiones denique omnes & facultates, quibus humanum regitur corpus scire medicum conuenit. Ad *Hipp. 1. Epidem. & Gal. ibidem Auic. Fen 2. primi. Cano.* hæc eorum à quibus uariè afficimur notionem omnem tenere, Aëris dico, temporum ac tempestatum, cœli, regionis, uentorum, imbrium, anni constitutionis, somni item, uigiliarum, motionis, quietis, alimentorum quibus foueri substantiam nostram contingit, ac potuũ uires ac potestates omnes, quidque in nobis possint scire. Quid fontes, flumina, riui, paludes, stagna, maria, lacus: quid montes, specus, planicies, campi, uineæ, horti, arua, prataque cõferant, & id nosse. In primis uerò (quod 1. de Antidotis monet Galenus) stirpium ac metallorum, si fieri possit omnium, aut saltem complurium peritiam habeat. Morborum discrimina, causas, symptomata, sedes affectas, signa, exactissimè discernere & methodo certa affectus curare omni studio atque labore nitatur. Quod certè est feliciter effecturus, si probè cognito morbo (quod initium methodi medendi esse uoluit Galenus) *2. Meth.* paratam in id habebit præsidiorum copiam. Si etiam morborum tempora, decretoria, & naturæ in morbis propulsandis motus modosque animaduerterit omnes, & ab his omnibus congruentes & ad morbum curãdum idoneas sumpserit indicationes. *2. et 3. Meth.* Quæ propria medici rectè curantis est ratio, si quæ in ægri salutem molitur ac meditatur omnia, id indicatione efficiat. Talem profectò nobis medicum proposuisse hoc loco Hippocrates mihi est uisus, qui ex Apollinis aut Aesculapij familia originem ducens generosos hos ducat spiritus, & se opportuna facientem præstet. Opportuna autem fecerit, si idonea curando morbo auxilia in tempore adhibuerit: ut si mittere sanguinem, medicamentum

dare, cucurbitulas admouere, cataplasma imponere, fotu deniq;, unctione, aut frictione ægrum delinire oporteat, id suo quoq; tempore effecerit. Si cibum item ac potum cæteraq; ad morbum propellendum bene facie͂tia opportunè imperarit. Sic enim & rectè morbos curauerit, (quod proprium medici munus esse uoluit Galenus) & se opportuna facientem (quod hic iubet Hippocrates) præstiterit.

*2. Meth. & cõm. 5. in 6. de Populari. morb.*

Nec uerò medicum solùm suo munere rectè fungi, sed & ægrum quoque multò magis oportet, ut de cuius nimirum uita atq; salute agatur. Est autem ægri officium, imperata à medico facere, & in nullo propriæ indulgere uoluptati, unaq; cum medico, morbo reluctari. Sic enim Hippocrates 1. de Popul. morb. Ars, inquit, his tribus constat, morbo, ægro, & medico artis administro. Aegri est, (subdit) unà cum medico morbo reluctari. Quem locum enarrans Galenus, ita de omni ægri officio disseruit. Oppugnant, inquit, sese mutuò, & ut ita dicam, inter sese depugnant ac dimicant medicus & morbus. Morbum enim studet medicus euertere, illi contrà, ut ne sit inferior propositum est. Tertius est præter ipsos æger: qui, si quidem medico sit audiens, & faciat imperata, socius efficitur huic, morbo hostis. Qui ab eo si desciuerit ac quæ dictat morbus exequatur, duobus nominibus medico facit iniuriam: uno quidem, quòd destituerit solum: altero, quòd alterum fecerit qui erat antè unus. Enimuero duo necesse est uno præstent. Porrò aperte imperata facit morbi deserto medico æger, ubi cùm ei interdicat medicus frigidæ potione, ille à febris ardore adducitur, ut istud committat. Itidem si lauet, aut uinum bibat, aut eiusmodi aliud, à quibus abstinere eum uolebat medicus, næ morbum ille scilicet augebit faciundis ijs, quæ illi placent, atq; medicum prodet, faciendo quæ non uult. Medici enim boni autore Hippocrate conuenientia tantum imperant. Aegri itaq; officium est, ut salutaria consulenti pareat, nec in aliquo propriè indulgeat uoluptati, ut in huius aphorismi comme͂tario monet Galenus. Medicum insuper ut numen aliquod salutare colat, ac reuereatur, illiq; secundùm Deum salutem acceptam referat. Honore enim suo non defraudandum medicum sacra edocent eloquia. Nec non uerò laborum & operæ medici nullam habeat curam ut quando æger operosa medici manu salutem adeptus est, ne tanti se beneficij immemorem præstet, in primis illi cauendum est.

*Aegri officium.*

*Lib. de Arte.*

*Ecclesiastici 38.*

Sed hæc de ægri officio. De assidétium modò dicamus. Hos uerò prudentes & rei gere͂dæ idoneos maximè esse oportet, ut & iussa ministrent, & in tempore omnia faciant: nihil temerè, sordidè, petulanter, nihil incautè: omnia prudenter, sedatè, modestè: omnia placidè quæ facere iussi sunt præstent. Iracundi, molesti, desides ne sint. Ab huiusmodi enim uitijs offendi quàm maximè ægri solent. Sedulitate uerò in primis, comitate, & gratia sese obsequentissimos officiosissimosq; præbeant: nihil quicquam aliud præter citam ægri sanationem cogitantes. Exteriora porrò omnia adsint apparata. Nam propter illa (ut ait Galenus) plerunq; uel præcognitionem, uel curationem interrumpi contingit. Exteriora autem sunt, habitationes, sedes, aspectus, lumina, lecti, uasa, atq; stragula: quæ

*Aßidentium officium.*

*Exteriora quæ*

quidem

quidem omnia culta nitidaq́ & ægro quàm gratißima esse uel Galeni testimonio oportet: Tum & quæ spectante ægro nuntiantur aut aguntur, quæ iram, tristitiam, mœrorem, metum, aut aliquem alium affectum supra morbum infligere ægrotanti queunt. Longißimè enim abesse isthæc omnia quæ commouere ægrum ullatenus possunt, maximè conuenit. Cui uerò diuino beneficio adesse isthæc omnia contigerit, prospera sunt omnia euentura. Hoc nobis Hippocratem graui hac sententia significare uoluisse perspectum habere debemus. Itaq́ ut uniuersam orationem Hippocratis breui epilogo cõcludamus, Cùm breuis hominis uita sit, ars uerò medendi longißima, & penè immensa, id à nobis est omni studio contendendum, ut summa diligentia indefessoq́ labore aphoristica doctrina artem hanc nanciscamur, finemq́ illius adipisci conemur. Artem autem longam indicant, occasio operandi præceps, iudicij rerum difficultas, & experientiæ periculum. Omnia porrò ex ratione fecerit, qui se suo munere dignum præstiterit: Qui omnia suo tempore, ordine, mensura, modo, & congrua qualitate apparatumq́ in ægri alleuationem exhibuerit: Qui fidos ac prudentes, ægroq́ quàm maximè gratos ministros adhibuerit: Qui externa omnia commoda aptaq́ & salutaria habuerit: Qui deniq́ scopum hunc sibi in animo proposuerit, ægri salutem. Id nobis ut indicaret Hippocrates, nostriq́ nos officij commoneret, grauem hanc sententiam protulisse censendus est.

*Cõment. 4. in 6. de Popula. morb. Hippocratis.*

*Quarti libri Enarrationum medicinalium finis.*

# FRANCISCI VALLERIOLAE MEDICI ENARRATIONVM MEDICINALIVM LIBER QVINTVS.

*Austrum uentum, qui ab omnibus medicinæ autoribus calidus esse ponitur, frigidum suapte natura esse, contra receptam uulgò de eo opinionem: & cur calidus nobis appareat.*

## ENARRATIO PRIMA.



DE VENTIS disserere non ad Philosophum solùm, sed & ad medicum multò maximè pertinere uidetur: quòd ad morborum præsertim popularium cognitionem, ut uult Hippocrates, ad regionum & terræ tractuum dignoscendam naturam, ad constitutionum anni uarietatem, unde uarij generis morbi nascuntur, exactius perpendendam: & quid uentorum singuli in nobis operentur scire oportere medicũ, Hippocratis & Galeni testimonio constat. Quamobrem cùm de Austri natura, temperatura, atq; effectibus cogitarem, non satis ea in re constare mihi sum uisus: cùm aliud summorum uirorum non dilutæ autoritatis assertio, aliud ratio ipsa animo suggerere uideretur. Siquidem enim adiuratorum testimonio standum sit, calidum & humidum esse uentum omnes testatissima fide confirmant: sic enim ea de re libro de aëre, aquis, & locis, uetustissimus Hippocrates:

*Lib. de aëre, aquis et locis.*

*Vbi suprà, et in comment. ad libr. Epidem. Hipp.*

Ἥτις μὲν πόλις πρὸς τὰ πνεύματα κεῖται τὰ θερμά. ταῦτα δ' ἐστὶ μεταξὺ τῆς τε χειμερινῆς ἀνατολῆς τοῦ ἡλίου καὶ τῶν δυσμέων τῶν χειμερινῶν, καὶ αὐτῇ ταῦτα τὰ πνεύματά ἐστι ξύνομα.

Quæcunque (inquit) ciuitas uentis exposita est calidis (puto autem eos qui inter brumalem solis exortum itidemq; occasum perflant) huic hi uenti sunt peculiares. Hactenus Hippocrates. Quamobrem cùm auster uerè medius sit eorum uentorum qui ab brumali exortu in brumalem occasum perflant, ut ex uentorum positione ab Aristotele secundo meteororum descripta euidentissimè constat, planè sequitur de Hippocratis sententia, uentum hunc calidum esse. Quòd rursus eiusdem autoris in Aphorismis, & libro de Humoribus sententia, plenius confirmatur, dum utrobique inquit,

*3. Aphor. textu 5. & lib. de Humor.*

Νότοι βαρυήκοοι, ἀχλυώδεες, καρηβαρικοὶ, νωθροὶ, διαλυτικοί.

Austri (inquit) auditum hebetantes, caliginosi, caput grauantes, pigri, dissoluentes. Quam quidem sententiam pulchrè enarrans Galenus,

isthæc

isthæc omnia ob austri temperaturam calidam & humidam prouenire, summa ratione affirmat.

τὴν δὲ αἰτίαν δι' ἣν οἱ νότοι βαρυηκοΐαν ποιοῦσι, καὶ ἀχλυώδη τὴν ὄψιν, οὐ χαλεπὸν ἐκ τῆς κράσεως αὐτοῦ κατανοῆσαι, θερμοῦ καὶ ὑγροῦ τὴν φύσιν ὑπάρχοντος.

Causam uerò (ait) ob quam austri reddant auditum grauiorem, & uisum caliginosum, non est difficile ex eius temperatura cognoscere: quæ calida & humida natura est. Et item commentario duodecimo eiusdem sectionis aphorismum illum enarrans, Si hyems australis & pluuiosa & serena fuerit: Austrinam hyemem calidam & humidam esse statuit: ut intelligatur, Austri temperaturam calidam & humidam esse. Quanquam quidem, quod ad illius caliditatem pertinet, constantissimum id sit, ut apud nos calidus sit qui Septentrionem uersus habitamus: non sic autem de humiditate: Austros enim quosdam non rarò siccos esse contingit, inquiente libro de humoribus Hippocrate, siccitates interdum austrinas, interdum aquilonias esse. Quod & Aristoteles prima problematum sectione confirmare est uisus: inquirens, cur Austri sicci febres generent. Et Galenus commentario III. in tertium de Popularibus morbis Hippocratis. Non omnis, inquit, Auster humidus est, uidetur enim siccus aliquando esse. Siccos autem Austros eos Aristoteles intelligit, qui aquæ expertes sunt, nec pluuias secum adferunt, ob idque inaquosos uocat problemate XLIX. XXVI. sectionis problematum. Ex horum itaque tantorum uirorum assertione, ipsa denique experientia duce (cui perpetuo dubijs in rebus inhærendum scientissimi quique affirmant) austrum calidum esse testatissimum relinquitur: quòd ab effectis quæ illo flante in animantium corporibus uisuntur, fieri item euidentissimum potest. siquidem & grauia, & dissoluta, & obeundis actionibus parum idonea austri flatu redduntur animantium corpora: non alia sanè (ut Galenus interpretatur) ratione, quàm quòd caliditate humiditateque sua, mala hæc inferre sit aptus: uti contrà aquilo siccitate sua frigiditateque, corpora robustiora facere, uegetiora, & ad motus promptiora, & melius audientia. Huic item rei & ipsa quoque uentorum positio atque situs unde flare incipiunt, succinere uidetur. Nam cùm aquilo uentus omnium frigidissimus, ab Arcto seu Vrsa extremo orbis cardine initium ducat: (quæ docta est Aristotelis sententia) huic autem oppositus secūdum rectam diametrum Auster sit, ut qui nimirum à meridie altero item cardine, ad nos dimanet, uel eiusdem autoris sententia, isque ad nos è longinquo perque ardentia torridæ zonæ loca permeet, necessarium quidem uidetur, caliditate maxima præditum ad nos peruenire, atque eò maximè si non ab altero cardine Vrsæ opposito, sed ab æstiuo solstitio (ut II. Meteororum conceptis uerbis Aristoteles tradit) initia ducat. Nec enim ea de re Aristoteles sibi consentire uidetur, cùm modò Austrum à meridie flare affirmet, (uti cap. IIII. ueteris uersionis, numero XVI. & item rursus cap. VI. secundi Meteor. uentorum positionem methodo describens) modò uerò non à meridie, loco Vrsæ opposito, sed ab æstiuo solstitio, ut eiusdem libri cap. V. numero XX. ueteris uersionis. Non solùm autem dubius in hac re

*Problem. 23. primi. & 49. 26. sectionis.*

*Austri sicci qui.*

*3. Apho. comment. 5.*

*2. Meteor. cap. 4. & 6.*

*2. Meteor. capite 4. & 6.*

*Cap. 5. num. 20. 5. uersionis.*

Aristoteles, nec sibi satis constans, sed etiam contrarius sibi ipsi est: cùm eodem ipso capite quinto, uelit Austrum neque ab altero polo, neque ab hyberno solstitio, sed ab exusta terrarum parte spirare: cùm superioribus capitibus IIII. & VI. eum ipsum uentum à meridie parte Vrsæ opposita, alteróque mundi cardine spirare dixisset. Aristotelis uerba appingam, ne tanto autori imposuisse fido lectori uideri possim.

*Cap. 4. secundi Meteor. nume. 16.*

Ἔτι δὲ τὸ γίνεσθαι μάλιστα πνεύματα ἀπ᾽ αὐτῆς τε τῆς ἄρκτου καὶ μεσημβρίας, τὸ αὐτὸ αἴτιον. πλεῖστοι γὰρ βορέαι καὶ νότοι γίνονται τῶν ἀνέμων. ὁ γὰρ ἥλιος τούτους μόνους οὐκ ἐπέρχεται τοὺς τόπους, ἀλλὰ πρὸς τούτους, καὶ ἐκ τούτων, ἐπὶ δυσμὰς δὲ καὶ ἀνατολὰς ἀεὶ φέρεται.

Adhuc (inquit) quod fiant maximè ab Vrsa & meridie uenti, eadem causa est: omnium nanque uentorum plurimi Aquilones & Austri spirare solent. Nam sol hæc una loca non adit, sed ad ea sese applicat, ab eisque dimouet: ad occasum uerò & exortum continuè fertur.

Vult hoc loco conceptis explicatisque uerbis Aristoteles, eam ob causam Aquilones & Austros præ cæteris uentorum plurimum fieri, quòd ab ijs locis prodeant, unde uenti flare maximè consueuerint, nempe ab Vrsa & meridie: ad quæ loca cùm sol nunquam adeat (nempe extremos mundi cardines) fit, ut plurima inde exhalatio nascatur, quæ ab sole minimè absumpta, uentorum huiusmodi sit copiosa materia. An non hic bellissimè Aristoteles à duobus mundi cardinibus Vrsa & meridie Aquilones & Austros flare affirmauit? Nisi enim hoc loco per meridiem alterum mundi polum Vrsæ oppositum intelligas, uerum esse non poterit quod hic dicitur, solem motu suo hæc loca non adire. nunquam enim uel Vrsam, uel alterum polum sol motu suo contingit, cùm ultra duos tropicos non progrediatur, ut apud Ptolemæum lib. II. Almagesti est uidere. Sed rursus paulò pòst idem autor idipsum confirmans, austrum à meridie flare ijs uerbis pronuntiauit.

*Cap. 4.*

Καλοῦνται δ᾽ οἱ μὲν ἐκ τῆς ἄρκτου, βορέαι. οἱ δ᾽ ἐκ τῆς μεσημβρίας, νότοι.


Vocantur (inquit) qui ab arcto seu Vrsa flant Aquilones, qui uerò à meridie Austri.

Ventorum autem singulatim omnium positum describens, Austrum Aquiloni oppositum constituit, & à contrario illi loco secundum diametrum flare scribit. Eius uerba hæc sunt.

Ἧς τὸ ἐφ᾽ οὗ κ, ἔστω ἄρκτος. τούτῳ δ᾽ ἐναντίον ἐξ ἐναντίας, τὸ ἐφ᾽ οὗ θ, μεσημβρία. ἄλλη δὲ διάμετρος ταύτην πρὸς ὀρθὴν τέμνουσα.

Boreas (inquit) ab κ hic enim Vrsa. Contrarius autem huic Auster, à θ, meridies enim est unde spirat, κ autem & θ contraria sunt, cùm per diametrum distent. Ventorum autem positum ad quem modum Aristoteles descripsit, hic apponere uisum est: ut à qua parte singuli prodeant ex illius mente constare possit: ostendamque in austrini flatus enarrando positu, dubium ualdè nec sibi perpetuò constantem Aristotelem fuisse: cùm modò ab una parte, modò ab alia flare dixerit. A quatuor enim mundi cardinibus seu angulis, quatuor præcipuos constituit uentos, Ab ortu scilicet & occasu æquinoctialibus duos, Zephyrum & Apeliotem, Ab Vrsa & meridie duos, Aquilonem & Austrum. Ab oriente

æstiuo & occidente hyberno alios duos, Cæciam & Africum. Contra ab oriente hyberno & occidente æstiuo duos alios, Eurum & Argesten. Quatuor autem inter hos medios, ut in totum duodecim sint uenti ad hunc modum coordinati.




Ex hac uentorum coordinatione ab Aristotele secundi Meteor. cap. VI. posita, abundè constat, Austrum secundum diametrum aquiloni oppositum esse, uti & ipsemet ingenuè hoc ipso capite confitetur. Quamobrem cùm Aquilo ab extremo orbis cardine, Vrsa, initium ducat: & Austrum quoque ab altero illi opposito puncto flare (siquidem contrarij hi uenti sunt) necessarium quidem erit. At hoc ipsum altero loco Aristoteles negat ijs uerbis:

ὁ δὲ νότος ἀπὸ τῆς θερινῆς τροπῆς πνεῖ, καὶ οὐκ ἀπὸ τῆς ἑτέρας ἄρκτου. 2. Meteor. capite 5. nu. 20.

Auster (inquit) ab æstiua uersione & non ab altera Vrsa spirat. Et rursus sub finem capitis quinti.

ὅτι μὲν οὖν ὁ νότος οὐκ ἔστιν ἀπὸ τοῦ ἑτέρου πόλου πνέων ἄνεμος, δῆλον. ἐπεὶ δὲ οὔτ᾽ ἐκεῖνος ὅτι ὁ ἀπὸ χειμερινῶν τροπῶν. δέοι γὰρ ἂν ἄλλον ἀπὸ θερινῆς εἶναι τροπῆς, οὕτω γὰρ τὸ ἀνάλογον ἀποδώσει, νῦν δὲ οὐκ ἔστιν. εἷς γὰρ μόνος φαίνεται πνέων ἐκ τῶν ἐκεῖθεν τόπων, ὥστ᾽ ἀνάγκη τὸν ἀπὸ κεκαυμένης τόπου πνέοντα ἄνεμον, εἶναι νότον.

Quod igitur Auster ab altero polo non aspiret, manifestum est, quando ne ipse quidem ab hyemali solstitio spiret. Nam alium ab æstiuo ue-

nire

nire solstitio oporteret. sic enim proportionis ratio exigit. Nunc autem nullus inde aspirare solet, solus enim unus ex illis locis spirare uidetur. Quare necessariò fit, ut uẽtus qui ab exusta terrarũ parte spirat Auster sit.

Hactenus Aristoteles, unde ex priore nunc à me adductorũ locorum *In Aristotelem.* constat id Aristotelem explicatis uerbis pronuntiasse, Austrum uentum ab æstiua uersione seu solstitio, non ab altero polo spirare quod falsissimum esse ex ipsamet uentorum descriptione ab eodem autore cap. VI. huius libri depicta abunde constat: in qua Austrum non ab æstiua uersione, sed à puncto Vrsæ opposito (nempe meridie) uenire pulchrè, & uerè quidem, docuit. Et idipsum etiam experientiæ fides demonstrat. Quomodo igitur si à meridie Auster spirat (ut & omnes confitentur, & sensuum ratio confirmat) ab æstiua uersione is idem uentus spirabit? fieri enim nequit, uel naturæ lege, ut à duobus distantissimis locis unus idemq; uentus spiret. Qui enim ab æstiua cõuersione seu oriente æstiuo flat uentus, non Auster, sed Cæcias uel eiusdem Aristotelis testimonio dicitur, ab Austro & natura & situ diuersissimus: quanquam & nubium delator: unde prouerbium, Trahens ad seipsum ut Cæcias nubem. Altero uerò & postremo loco uult, à loco terrarum exusto, hoc est torrida zona, uentum hunc spirare, non ab altero polo, nec ab uersione hyberna: ea scilicet ratione, quòd si inde spiraret, oporteret & ab æstiua uersione alterum spi- *In Aristotelem rursus.* rare, cùm nullus inde (ut ipse sui immemor subdit) spiret uentus. Cùm tamen capite de uentorum positione dixerit, Ab oriẽte æstiuo (quod idem est atq; Conuersione, seu solstitio æstiuo) Cæciam spirare. Hæc adnotasse libuit non conuellendi tanti uiri causa: quem ut summum philosophum, & extra omnem ingenij aleam positum, admirari, colere, sequiq; quotquot medicinæ manus dedimus, iure debemus: sed ut studiosis scrupum hunc per me adnotatum ostenderem: monstraremq; summa etiam ingenia in rebus abstrusissimis sæpenumero per deuia & incerta errasse. Nec ob id tamen ingenij culpa deterendam eorum laudem, qui nobis immensis laboribus, & magna magnarum rerum cognitione & explicatione, immortalitatis dignos fructus pepererunt. Vnde igitur digressi sumus redeuntes, communem & ab omnibus tum Astronomis, tum Geographis, Rei rusticæ scriptoribus, atq; Medicis obseruatam, & ipso usu comprobatam de Austro sumamus opinionem. Ipsum, inquam, à parte Vrsæ opposita, perq; diametrum ab illa seiuncta spirare. Quo posito nullo ferè negotio euincemus, illum suapte natura non minus quàm Boreas sit, frigidum esse: etsi calidus ad nos uenit. Nam cùm uterq; ex ijs locis manet, ad quæ loca nunquam sol motu suo adit, ut ea calfaciat, & rigore nimio algentia temperet: (quod extra tropicos nunquam prodeat: nec longius propius'ue polis quàm per summas declinationes accedat, quæ in æstiua & hyberna cõuersione capitibus Cancri & Capricorni contingunt) efficitur, ut pari ratione locus is, unde Auster spirat, æquè frigidus sit, atq; ille alter unde Aquilo: quòd perpetuo rigore algeant, à sole nunquam illustrata. Quamobrem & inde spirans uentus frigidus iure optimo dicetur. Verùm cùm illi ad nos per exusta terrarum loca torridæq;

zonæ

zonæ ardores iter fit, ab calore huiusmodi à sua ipsius natura alienior factus, calidus nobis apparet. Quæ ne gratis dixisse uideri posim, principes duos omnis doctrinæ uiros, alterum è media Græcia summum Aristotelem, alterum ex orbe Latino Macrobium, qui hoc ipsum testatissimis uerbis confirment, adducam. Inquirens enim in problematis Aristoteles, cur Austri Africam incolentibus frigidi perinde ut nobis aquilones sint, ad hunc modum differit: (Græca non apponam, ne tædium legentibus adferam) Cur (inquit) Austri frigidi in Libya sint, ut apud nos Aquilones? Primùm quidem, quia ut nobis Aquilonum origo, sic Africæ Austrorũ propior est. Nam si, ut dictum est, flatus per angustum extrudi soleat: propioribus certè frigidiores occurrẽt propter uehementiam sui motus, quam diffundi hebetariq́ꝫ necesse est, cùm se longius protrahit. Qua de causa Aquilones frigidi apud nos sunt, colimus enim propius, imo iuxta ipsos septentriones. Ex hoc sanè problemate, sentẽtiæ nostræ assertio tuta accessione, magnoq́ꝫ patrocinio roborari firmissimè potest: quo Austrum Libyam seu Africam incoleniibus frigidum reuera esse dixerit Aristoteles, quòd quemadmodum nobis ad Aquilonem degentibus, ob uicinitatem Boreas frigidus reuera appareat: sic & illis eadem ratione Auster, quòd suæ origini propior sit. Nec tamen hæc ipsa quæ hic ab Aristotele adducitur causa, mihi ualde placet, ob id Austrum Libyam incolentibus frigidum esse, quòd illis sit propior. Nam si suapte natura calidus is uentus esset, (ut idemmet Aristoteles uoluit) & à loco terrarum exusto spiraret: (ut etiam idem suprà affirmauit) quò propior illis esset, eò profectò calidior appareret. Quanto enim unũquodq́ꝫ origini suæ propius est, tanto profectò naturam qualem habeat magis repræsentat. Ob id enim pueros ualde calidos nostri omnes dixere, quòd parum ab sua eorum origine abscesserunt: contrà senes frigidos, quòd longissimè. Itaq́ꝫ si Auster suapte natura calidus sit, ijs certè qui sibi situ uiciniores erunt, quales Libyci & Africam omnem incolentes sunt, ob propinquitatem calidior apparebit, quòd nondum longinquo tractu à sua ipsius natura sit alienior factus: sed suam seruans naturam, qualis ipse sit, talis spiret. Quamobrem quum & frigidus reuera & sit, & appareat eum terræ tractum incolentibus, concludendum non solùm ob uiciniam ad ea loca, id illi accidere, sed quòd tali sit ipse qualitate præditus ob loci unde spirat naturam, quæ frigidissima est, nempe polus alter, ad quem nunquam Sol adit, nunquam calore suo temperat: unde perpetuo rigore ac gelu horrere ea ipsa loca oportet. Quæ doctè cecinit Poëta noster:

*26. Problematum sectione, Problem. 48.*

*Aristotelis ratio examinatur.*

*Ex 2. de temperamentis.*

*Quinque tenent cœlum zonæ: quarum una corusco*
*Semper Sole rubens, & torrida semper ab igni.*
*Quam circum extremæ, dextra læuaq́ꝫ trahuntur*
*Cærulea glacie concretæ, atque imbribus atris.*
*Has inter, mediamq́ꝫ, duæ mortalibus ægris*
*Munere concessæ diuum.*

*Vergilius 1. Georg.*

Constat itaque uentum hunc, si qualis à sua origine nataliq́ꝫ loco prodit sentiatur (quod faciũt qui Africam incolunt) frigidum esse. Namq́ꝫ Aristoteles

ſtoteles ſecundi Meteororum cap. I I I. explicatius id cõfirmat, inquiens: Auſter enim tam uehementia ſua, quàm flatu æſtuoſiſsimus eſt uentus, & à calidis ſiccisq́ue locis ſpirat: Quare parum uaporis ſibi aſciſcit, & proinde feruidus extat. Nam & ſi eiuſmodi non ſit, ſed unde ſpirare incipit, frigidus habeatur: nihilominus dum ſe longius protrahit, propterea quòd multum ſicci halitus è uicinis locis ſecum rapit, calidus eſt. Teſtatur ſanè hoc loco Ariſtoteles, Auſtrum loco & origine ſua frigidum eſſe uentum, & ſi æſtuoſiſsimus ad nos uenit, ob calidi ſicciq́ue halitus copiam, quam è calidis locis ſecum rapit. Quod & ipſum Macrobij ſummi uiri non ſolùm autoritate, ſed & demonſtratione ab eo adducta perſpectiſsimum fieri poteſt. Is nempe ſecundo in Somnium Scipionis libro, cap. V. hac ipſa de re ex profeſſo tractans, auſtrum & ab altero mundi cardine ſpirare, non à loco terrarum exuſto (ut Ariſtoteli placuit) & eundem frigidum eſſe, graui hac ratione in hæc uerba monſtrauit: Denique (inquit) de quatuor habitationis noſtræ cardinibus Oriens, Occidens, & Septentrio, ſuis uocabulis nuncupantur, quia ab ipſis exordijs ſuis ſciuntur à nobis. Nam & ſi Septentrionalis extremitas inhabitabilis eſt, non multò tamen eſt à nobis remota. Quarto uerò noſtræ habitationis cardini, cauſa hæc alterum nomen dedit, ut meridies non auſtralis uocaretur: quia & ille propriè eſt auſtralis, qui de altera extremitate procedens, aduerſus ſeptentrionali eſt: & hunc meridiem iure uocitari facit locus, de quo incipit nobis dies. Nam quia ſentiri incipit à medio terræ, in qua medij eſt uſus diei: ideo tanquam quidam medidies, una litera mutata, meridies nuncupatus eſt. Sciendum eſt autem (ſubdit) quòd uentus qui per hunc ad nos cardinem peruenit, id eſt Auſter, ita in origine ſua gelidus eſt, ut apud nos commendabilis eſt blando rigore Septentrio. Sed quia per flammam torridæ zonæ ad nos commeat, admixtus igni caleſcit: & qui incipit frigidus, calidus peruenit. Neq́ue enim uel ratio uel natura pateretur, ut ex duobus æquo preſsis rigore cardinibus, diſsimili tractu flatus emitteretur. Nec dubium eſt noſtrum quoq́ue Septentrionem ad illos, qui auſtrali adiacent, propter eandem rationem calidum peruenire: & auſtrum corporibus eorum gemino auræ ſuæ rigore blandiri. Hactenus Macrobius, qui & ſcitiſsimè auſtri originem, & unde flare incipiat locum enarrauit: & qua ipſe qualitate præditus ſit ſecundum ſuam ipſius naturam, doctiſsimè explicauit. Spirat enim ab altero mundi cardine, (ut concors eſt omnium & Geographorum, & Medicorum, & Rei ruſticæ ſcriptorum, & orbis terræ indagatorum ſententia) & frigidus ſuapte natura eſt, uerùm per flammam torridæ zonæ (ut bellè hic Macrobius) ad

*Cur Auſter calidus.* nos commeans, igni admixtum caleſcere. Quæ ratio efficit, ut calidus nobis appareat, talisq́ue ob eam quam media uia concipit flammam, ad nos perueniat. Itaq́ue quod unum nobis à principio explicandum fuerat, Auſtrum uentum origine atq́ue natura ſua frigidum eſſe, & cur calidus ad nos perueniret, id me magna fide docuiſſe, non tam ſummorum uirorum ſententijs, quàm demonſtrationis robore firmo, ex ipſa mundi forma extremisq́ue illius cardinibus; unde auſter & aquilo uentorum præcipui (ut uult

uult Aristoteles, spirant) arbitror. Finem faciam, si illud tantum addidero, Verum non esse quod à priscis omnibus de torrida zona existimatum hactenus fuit, incultam nimijs ardoribus inhabitatamq; esse: cùm recentiorum ad eas partes nauigationes oppositum omnino experimento doceant. Americus enim Vesputius, in suarum nauigationum Epitome cap. CXIIII. & CXV. Caput uiride sub torrida zona situm esse, testatum reliquit: esseq; continentem inibi uastam, & benè cultam, omniumq; rerum feracem & diuitem, terramq; Parias uocatam, immensam scilicet prouinciam, innumerasq; insulas probè cultas in torrida zona consistere, plena fide libro nauigationum primo testatur. Id ut intelligamus, quæ sciri possunt, non esse adhuc omnia intellecta, & meliora atq; maiora nobis in dies magnorum uirorum industria explicari. magnis enim accessionibus disciplinas & optimas quasq; artes indies illustrari ac perfici, ipsoq; rerum usu cumulatiores & clariores effici experimur.

*In quibus Hippocrates à Galeno arguatur.*

ENARRATIO II.

VERITATEM unam rerum omnium pulcherrimam atq; diuinissimam, cuius unius ductu sapimus & intelligimus, inq; abditissima penetramus, & inuoluimur: tanti esse debere, tantiq; fieri à nobis prisci omnes existimauerunt, ut eam ipsam secundum Deum colendam, & cæteris rebus omnibus anteferendam summò suo merito iudicarint. Vt cuius studio atq; amore qui accenduntur, posthabitis rebus cæteris cunctis, huic uni inhærendum, hanc unam amplectendam atq; sectandam præcipuè ducant. Eius porrò rei dare præclarum & graue testimonium Aristotelem ipsum summum philosophandi magistrum possumus, qui etsi doctorũ cultui, ac reuerentiæ amicitiæq;, tantum quidem iure tribuendum, quantum nemini alteri rei censuerit: huic tamen ueritatem non paulò plurimùm præferendam, magna certè religione est arbitratus. De summo enim bono tractationem ingrediens: atq; idearum rationem euertere uolens (quas quidem ipsas Socrates atq; Plato induxerant) æquum esse ueritatis retinendæ causa, sua quenq; decreta tollere, philosophos præsertim: & pluris ueritatem quàm amicos æstimare, (etsi charissimi ij semper sunt habendi) magna certè ratione asseuerare est uisus. Sic quoq; Galenus in artis medicæ cõstitutionis atq; naturalium facultatum libris, eum qui supra reliquum uulgus excellere, eminereq; uelit, huic uni ueritatem imprimis expetendam, eiq; soli in tota uita studendũ, neglectis ijs omnibus, quæ uulgus admiratur, (si modò præstare se cæteris in animũ inducat) uerissimè quidem affirmauit. Huius unius studio ita incensum Galenum fuisse legimus, ut uulgi fama longum ualere iussa, minimè sanè sollicitus quid de se imperitũ uulgus sentiret, unius tantum ueritatis scientiæq; amore flagrarit, nullam esse nec honestiorẽ, nec diuiniorem possessionem ratus. Tantum huic excolendæ ac proferendæ ueritatis studio tribuisse eundem scimus, ut ne Hippocrati quidem summo medicinæ pa-

1. Ethicorũ.

7. Meth.

renti atq; magiſtro, ſi qua in re pro humani ingenij imbecillitate lapſus illi fuiſſe eſt uiſus, uſpiam pepercerit. Non calumniandi ſanè, aut laceſſendi cauſa, nominiſq; ac famæ eleuandæ ſtudio (qua alioqui præclariſsima & admirabili utebatur) ſed ut poſthabita etiam magiſtri obſeruantia, ei ſe religioni adſtringere noluit, quin magiſtri uerbis minimè adiuratus

3. de Criſibus ſæpe pro ueritate aduerſus illum ſteterit: & quem honoris cauſa omnium nobis bonorum autorem & ducem, diuinumq; hominem appellare ſuopte merito conſueuit: interdum erroris arguere, errataq; illi ſua monſtrare & inuulgare haud erubuerit. Teſtimonio ſint quæ in hunc locum ex omnibus Galeni monumentis, ueluti in aceruum congeſta, ex profeſſo attuli. Ex quibus quanta animi fiducia ueritatis nitorem ac firmitatem aduerſus etiam ſummum artificem ſit tutatus Galenus, & quantopere illi patrocinatus, planum facerem & explicatum. In id profectò, ne & nos pro ueritate decertare, contentiones ſuſcipere, aduerſus etiam præiudicatam & in hominum mentibus infixam opinionem (ſi quando uſus fuerit) ſtare uereamur. Ne'ue etiam ſi noſtra pro ueritatis amore dignè refelli, demonſtrationumq; uiribus infirmari ſenſerimus, ægrè id, moleſteq; feramus. Homines nos eſſe meminerimus, imbecilla natura, infirmo ingenio, exiguo captu: nos ipſos noſcamus: nec ita ſolidam habere nos rerum de quibus tractamus notionem temerè confidamus: non ut labi & errare, neſcireq; & ignorare, quæ ſcire nos arbitramur, poſsimus. Ac proinde Carneades nihil nos ſcire, ſed opinari non ſine magna ratione eſt arbitratus: & hoc unum tantum ſe ſcire Socrates eſt profeſſus, quòd nihil ſciret. Sed iam quibus in rebus Hippocratē Galenus arguat uideamus.

Arguit imprimis Hippocratem Galenus, non ſeruatæ proprietatis, quòd tempeſtatem iuſtò ſicciorem parum uſitatè ac impropriè Squalorem appellauerit: cùm in uſu ſit, non ſimpliciter ſicciorem tempeſtatem, ſed extremè ſiccam ita nominare. Legendum commentario primo in primum Epidemiorum.

Improprietatis rurſus.

Commentario tertio in eundem primum Epidemiorum: quòd Circuitus nomen non propriè uſurparit: tum & in Dierum decretoriorum enumeratione, mendacij: quòd decimum & uigeſimumoctauum inter decretorios dies repoſuerit.

Obſcuritatis.

Commentario ſecundo in ſextum de Popularibus morbis in his uerbis. [Viriditas ſplendida.] Igitur (inquit Galenus) cùm uox hæc per ſe obſcura ſit, adiecta hac dictione, ſplendida, maior adhuc obſcuritas oritur. Difficile nanq; eſt excogitare (ſubdit Galenus) quid nam per hæc uerba, Viriditas ſplendida, ſignificare uoluerit.

Et item obſcuritatis rurſus, commentario in tertium de Ratione uictus acutorum: cùm uinum dulce alio efficacius ſputum elicere dixit: quòd non ſatis explicuerit, ad quod nam aliud dulce uinum comparans educere ſputum dixit. Et commento primo in librum de ijs quæ in medicatrina fiunt, cùm nimiæ breuitatis Hippocratem inſimulans, dedita opera

opera his usum affirmat: Eorum more qui enunciare obscurè aliquid uoluerint. Vbi enim (inquit) unius aut duorum, aut ad summum trium nominum, aut uerborum adiectione, clara reddi tota oratio potest: quo pacto obscuritatem non fuisse affectatam dicendum est? Et rursus Commentario tertio in eundem librum: An (inquit) Hippocratis quoque hanc orationem rectè explanem (de attenuatis partibus reficiendis sermonem instituens) affirmare non ausim, cùm obscura admodum sit, & probabilitate quadã, non scientia aliqua certa declarari queat. Et item Aphorismo XL. septimæ sectionis, ignorare se illius mentẽ eo in Aphorismo ingenuè confitetur.

Non exactæ narrationis.

Commentario sexto in sextum Epidemiorum. Quòd cùm quæ ægroto cuidam acciderint pulchrè narrasset, mortuus ne sit, an euaserit (quorum causa reliqua omnia scripta sunt) dicere prætermiserit. Et rursus Commentario tertio in librum de Articulis, quòd discretam ac dispartitam esse costarum dearticulationem ignorauerit, adeóq; prætermissum ab eo sit. Ac rursus Aphorismo XLIII. secundæ sectionis, nonnihil prætermisisse Hippocratem sub finem Commentarij testatur. quòd eo in Aphorismo magna ex parte dicere omiserit.

Mendacij.

Commentario in primum Præsagiorum, Aphorismo XXXIIII. quòd dixerit tumorem in ilijs ab initio breui futuram mortem significare. At uerò id (ait Galenus) nisi aliquid intimum afficiatur, mendacium est. Nam musculi in ilijs si inflammatione laborant, inferre mortem qui possunt? nisi sanè rarò. Itaque (subdit) confusius indefinitiusq; talem dictionem scripsit.

Inexquisiti & improprij sermonis.

Commentario in secundum Præsagiorum, quòd dictione pestiferi impropriè ac minus exquisitè sit usus. In enarratione digitorum ac pedum in morbis nigrescentium, Aphorismo nono eiusdem libri. Et Aphorismo XXVI. sextæ sectionis, improprietatis enim inibi arguitur Hippocrates. quòd impropriè dictum sit, ardentem febrem à tremore solui.

Superflui sermonis.

Commentario XV. in secundum Præsagiorum, quòd superfluè scripserit, Bis aut ter die, semel noctu deiecisse oportere hominem: quod abundè fuerat dixisse, quemadmodum homini fuerat consuetum.

Non seruati ordinis.

Commentario XVII. secundi Præsagiorum, de subruffa egestione loquens, de qua inter initia eius tractationis continuata serie, non interpellata, quemadmodum fecit Hippocrates differendum erat. Et item sexto Methodi medendi. Eorum (inquit Galenus) quæ inordinata sunt, & quæ parum sunt ab Hippocrate definita, quædam definiamus, & in ordinem disponamus.

Negligentiæ.

Commentario primo in tertium Prædictionum: cùm se integrè ea de

diebus decretorijs explanasse testatur, quæ ab Hippocrate negligentius fuerant prodita. Et rursus commentario secundo in secundum de Ratione uictus acutorum. Quòd affectiones eas quæ fomentis uel humidis uel siccis egent, non recensuerit: quæ si recensuisset, subdit Galenus, orationem profectò suam tantò perfectiorem melioremq́ꝫ, quantò & legentibus ipsis utiliorem fecisset.

Inconditi sermonis.

Commentario in caput septimum tertij Prædictionum, de affectibus qui in capite, ore, & faucibus affligant. incondite (inquit Galenus) rem quæ ad prædicendum maximè conducit: sed recto ordine texitur hunc in modum: Capitis dolor uehemens & continuus cum febre, si quod ex indicijs extiterit exitiosis, integrè lethalis est. Rursus uerò commentario secundo in librum de ijs quæ in medicatrina fiunt solœcismi admissi damnat Hippocratem Galenus. legendum commẽtario XXIII. in eundem librum.

Confusæ & inordinatæ traditionis.

Commentario in secundum de Ratione uictus acutorum. cùm inordinatè quædam ab Hippocrate conscripta esse, ipsumq́ꝫ scoporum multitudine confundi testatur.

Inordinati, incompositi, & diminuti sermonis.

Commentario in tertium de Ratione uictus acutorum, statim ad principium, in uinorum catalogo recensendo. Non incompositè solùm (ait Galenus, de Hippocrate loquens) inordinatèq́ꝫ: uerùm quoqꝫ & diminutè, uinorum catalogum fecit.

Ineptitudinis.

Commentario primo in librum de fracturis. Quòd de sagittandi arte nonnulla ineptè tradiderit Hippocrates (sagittariam artem inquit Galenus) in testimoniũ afferri stolidum summoperè est, meliusq́ꝫ erat si commemoratum penitus ab Hippocrate non fuisset: quàm si hoc studio fuisset conuictum.

Improprij sermonis.

Commentario primo in librum de Articulis. Quòd humiditatem in articulis ob neruorum connexionem fieri sit testatus.

Prætermissi sermonis.

Commentario tertio in librum de articulis. Dum de costarum dearticulatione, ut suprà monuimus, sermonem instituit.

Insufficientiæ.

Tertio Aphorismorum commento aphorismi XXVIII. cuius initium, Plurimæ autem passiones puerulis. Et XXIX. eiusdem sectionis. Et sexagesimo primo quartæ sectionis.

Erroris.

Commentario in Aphorismum LXXIX. quartæ sectionis, cuius initium, Quibus in urinis arenosa subsistunt, & cætera.

Obliuionis.

Commentario in Aphorismum LXII. quintæ sectionis, cuius initium, Quæcunqꝫ frigidos & spissos uteros habent.

Non

Non limitatæ orationis,& imperfectæ, atq; insufficientis.

Sexto Methodi medendi. Ego nanque (inquit Galenus) non eo consilio ut nemo Hippocratis libros legat, ad hoc opus scribendum accessi. Verùm quoniam is mihi primus idonea usus esse uia uidetur, nec tamen eam totam compleuisse, cùm quædam minimè limitata, quædam imperfecta, obscuraq; ab eo prodita inuenire liceat. Idcirco ipse tum omnia ea lucidè explicare, tum quæ parum discreta sunt, distinguere: tum quæ deficiunt supplere studui.

Interdum indistincti sermonis arguitur Hippocrates, ut septimo Aphorismorum commento trigesimo.

Hæc sunt, in quibus Hippocratem à Galeno ueritatis tuendæ aut proferendæ causa, lacessitum esse diutina lectione obseruare potuimus. Quæ in id à me de industria collecta sunt, ut uni tantum ueritati philosophos studere: eiq; nauiter incumbere debere, uel hoc uno Galeni exemplo monstrarem. Nec profectò mirum Hippocratem summum medicinæ magistrum, eximiumq; ueritatis cultorem, interdum à recti uia ueritatisq; scopo deflexisse: quòd uel Mercurij Trismegisti uetustissimi philosophi testimonio, nusquam sit inter homines ueritatem inuenire: quòd illa in solis æternis corporibus, non in caducis & materia constantibus perstare possit. Quamobrem si constitutio nostra (quod ille ad Tatium scribens testatur) ne principio quidem ueritatem est nacta, quo pacto liceat nobis ueritatem intueri, aut eloqui, aut cogitare solum, nisi Deus id uelit? Vniuersa igitur (subdit) ô Tati, supra terram, non ipsa ueritas sunt: sed ueritatis imitationes, & umbræ, & ne hoc quidem omnia: sed perpauca. Cætera planè ô Tati ipsum mendacium & error sunt, & phantasiæ ueluti simulacra quædam. Atq; eadem Iamblici sententia est. Quibus illud Regij prophetę astipulari uidetur, quod Psalmo centesimo decimoquinto scriptum est. Ego dixi in excessu meo omnis homo mendax. Nos uerò tota mente atq; animo id agamus, id omni studio sectemur, ut quàm proximè ad ueri legem accedere, uera cogitare & loqui, quà datum nobis est contendamus: id enim ueritatem esse Mercurius arbitratur.

*Pueris acuto aliquo morbo tentatis, & habitioribus, commodè ante annum decimumquartum mitti sanguinem posse.*

ENARRATIO III.



MITTENDI sanguinis plures esse in curãdis morbis propositos scopos, nemini cuiquam in Galeni monumentis paulò diligentius uersato, non longè perspectissimum esse puto. Non solùm enim qui curatur affectus, sæpenumero si à plenitudine fiat, se ea uacuatione, quæ per sanguinis fit missionem, auferendum indicat: sed & unà cum eo ætas, corporis habitus, tempus, regio, cœli constitutio, consuetudo, uitæ ratio coindicant: & uel ad hanc ipsam obeundam, si probè cum morbi natura consentiant:

uel ab ea si repugnent, nos reuocent ac plurimum dehortentur. Quæ do-cta Galeni cum libro de Sanguinis mißione, tum I X. & X I. Methodi, & mille alijs locis sentẽtia est. Primò enim artis curatiuæ ad Glauconem, ea ex professò tradens, quæ in cõsiderationem ritè curanti cadere debent: curationis omnis scopos ita nobis proposuit. Qui omnia (inquit) quæ secundum naturam, & præter naturam diuisionis artificio complectitur, atq; ab omnibus sufficientes sumit indicationes: hic solus, quantum hu-manis permittitur uiribus medendo non errabit. Si quis enim (idem paulò pòst subdit) primum distinxerit eam quæ secundum ætates diffe-rentiam, eam quæ secundum temperaturas atq; potentias, cætera'ue quæ in hominibus insunt, colores dico, atq; calores, habitudinesq́;, industrias, assuetudines, atq; animi mores: his quoque adiunxerit eam quæ maris à fœmina differentiam, & quæcunq; ad regiones, & temporum pertinent status, hic ad propriam laborantis naturam agnoscendam proximè acce-det. At uerò in ijs sumendis indicationibus, quæ ab uacuandi ratione pe-tuntur, ætatem imprimis considerandam esse, ac corporis uires paßim obtrudit Galenus. Saluberrimum (inquit) est in febribus uenam incide-re, non continuis modò, uerùm etiam omnibus quas putrescens humor concitat: ubi præsertim nec ætas, nec uires prohibent. Et I X. Methodi, dum mittendi sanguinis scopos tractat, ad naturam & ætatem imprimis attendendum esse iure quidẽ optimo affirmauit. Traditionem sanè hanc ab Hippocrate edoctus, qui in acutis morbis sanguinem detrahendum, si & æger ætate floreat, & uiribus abundet, magna ratione consuluisse est uisus. Ex ætatum uerò albo duas tantum ab ea quæ per sanguinis fit miß-sionem uacuatione, summouit, puerorum & senum. Quòd puerorum ætas ad digerendos exhalandosq́; succos suapte natura propensa sit. Se-num uerò inualidior & infirmior, quàm ut uacuationem huiusmodi fer-re poßit. Quamobrem cùm & in alteris ob substantiæ eorum molliciem, eius ipsius dißipationem, atq; exinde uirium dissolutionem: in alteris ue-rò natiui caloris extinctionem metuat; magna sanè ratione tam pueros quàm senes à uenæ sectione cohibuisse est uisus. Pueri enim perpetuò propter ætatem, ad exhalandos digerendosq́; corporis succos sunt natu-ra propensi: eorumq́; substantia propterea quòd est omnium humidißi-ma ita omnium facillimè digeritur ac dißipatur, quò minus uacuantis præsidij eget: cùm habeat ex seipsa unde naturaliter uacuetur. Ob id pue-ris ante annum decimumquartum uenam secare haud quaquam audet Galenus.

*11. Meth.* — *4. de Rat. uic. acut. text. 16.* — *9. Meth.* — *9. Meth.*

*οὐδὲ τοὺς παῖδας φλεβοτομήσεις μέχρι τέσσαρα καὶ δεκάτης ἡλικίας, μετὰ δὲ ταύτην ἐὰν αἷμα πάμπολύ τε φαίνηταί ποτε ἠθροισμένον, ἥ θ' ὥρα τοῦ ἔτους ἐαρινὴ, καὶ τὸ χωρίον εὔκρατον φύσει, ἔτι ἡ τοῦ παιδὸς φύσις εὔαιμος, ἀφαιρήσεις ἔτι μᾶλλον αἷμα εἰ κίνδυνος ἐφεδρεύει, περιπνευμονίας, ἢ συνάγχης, ἢ πλευρίτιδος, ἢ τινὸς ἄλλου ὀξέως καὶ σφοδροῦ νοσήματος.*

Nec pueris (inquit libro de Curandi ratione per sanguinis mißionem Galenus) uenam secabis usq; ad quartumdecimum ætatis annum: post quem si multus congestus sanguis appareat, tempusq́; anni uernum fue-rit, regioq́; natura temperata, & pueri natura bene sanguinea, sanguinem

minues:

minues: idq́ multò magis, si aut peripneumoniæ, aut anginæ, aut pleuritidis, aut alterius acuti grauisq́ morbi periculum incumbat.

En apertis uerbis prolatam Galeni de mittendo in pueris sanguine sententiam: illi sanè ætati decimumquartum præfiniens annum, quòd ante id tempus memorata ex sanguine misso dissipationis substantiæ tenerioris incommoda uereatur. Quum enim ætates ut III. Aphorismorum commento XXX. & V. Aphorismorũ commento VI. uult idem Galenus, per septimanas distinguantur annorum, ut prima quidem septem sit annorum, secunda quatuordecim: ante hanc exactam mittere sanguinem reformidat: sed tum primùm, ubi illam attigerint mittere sanguinem audet: quòd tum primùm solidescere puerorum substantia incipiat, nec ita sit fluxioni parata, uiresq́ firmiores. Verùm cùm id ante eam ætatem prohibuit Galenus, unum hoc tantum spectasse uidetur, ne ab immodica uacuatione mollis puerorum substantia dissiparetur. Solebant enim tum temporis medici, quàm nunc copiosius sanguinem mittere: quam sanè copiosam uacuationem pueri ferre non poterant. Ob id ego de ea sanè quæ tum in usu erat pleniore uacuatione intellexisse Galenum, iure optimo arbitror: cùm pueris ante decimumquartum ætatis annum secari uenam prohibuit. Quod eo argumento conuinci uel nullo negotio potest, cùm idemmet alio loco pueris etiam parcè mittere sanguinem audet. Minus (inquit) detrahimus, quàm plenitudo commonet: quod ad ætates attinet in pueris: quod ad corporis habitus in candidis, & quibus mollis teneraq́ caro est. Hac quidem sententia non omnino non detrahendum, sed parcè & modicè detrahendum pueris sanguinem suadet: minus scilicet, quàm plenitudo postulat. Nam etsi uacuatio huiusmodi, plenitudini non ex æquo respondeat, quod reliquum est sperat Galenus, naturæ beneficio (quòd raro & molli corporis habitu præditi sint, & succos habeãt effluxioni paratos) superatum iri. Ob id sanè inferiorem plenitudini iubet fieri detractionem, ne si par aut superior fiat, nimium de molli & tenera substantia dissoluatur. At uerò etsi prudentius factum ipse existimo, ut quoad fieri possit, à mittendo in pueris sanguine abstineamus: tamen si & morbus grauis urgeat, & pueri paulò plenior habitus, beneq́ temperata natura fuerit: terreri à sanguinis missione minimè debemus, sed illam (si modò parca fiat) incunctanter obire minimè ueriti aut uirium aut teneræ substantiæ dissolutionem. Quum enim ualentibus uiribus pueri præditi suapte natura sint: caloreq́ natiuo multo abundent, quid prohibet ijs commodè, ubi res ipsa postulat, sanguinem mitti? Si enim in acutis morbis mittere sanguinem Hippocrates iubet, ubi æger ætate floret & uiribus abundat: cùm isthæc ipsa pueris habitioribus insint: cur non, si morbo acuto aliquo tententur, uti pleuritide, angina, peripneumonia, ardenti febre, sanguinem parce mittemus? Nam quod quidam ex misso sanguine, puerorum prohiberi incrementum causantur, id neutiquam duco metuendum. Cùm enim facultatum naturalium, quæ in omni alimenti ratione operantur, robore pueri cæteris ætatibus præstent: (ut pluries testatur Galenus) si quid materiæ ad incrementum aptæ sangui-

*Lib. de Sanguin. missio.*

*4. de Rat. uic. acut. text. 16.*

*1. Aphor. comment. 15. & 6. de Sympt. cau.*

nis misione ademptum est (quod sanè minimum est) id nullo negotio confestim resarcitur. Caloris natiui & facultatum naturalium firmitate, functionisq; inde manantis perfectione, atque celeritate: quibus rebus pueri maximè pollent. Ego enim ipso usu, longaq; experientia edoctus, felici successu in pleuritide, & ardenti febre pueris octauo, nono, decimo, & undecimo ad usq; quartumdecimum commodè sanguinem misi, nulla inde insecuta noxa, sed contrà confestim leuato morbo. Quomodo enim si bene habitus puer, uel lapsu ex alto sauciatus, uel pleuritide acuto'ue alio morbo affectus grauiter prematur, speremus noxium humorem halitu digeri posse? aut non potius impactum & putrescentem immedicabilem parere noxam? Hanc in filio infante trimo uitare cupiens Auenzoar audacter illi uenam secuit: Quod quanquam rectum ab errore consequens, neotericorum nonnulli, ac tanquam temerè factum interpretentur: non sine magno id eum consilio, magnaq; urgente necessitate, in filio tantum alioqui in medicina parentem fecisse, iure existimandũ est: quod & euentus rei felixq; successus postea comprobauit. Sic Rhases seni decrepito cuidam ualenti uiribus, & acuto morbo oppresso, sanguinem rectè misit. Quorsum hæc? ut ne tantum ætati tribuamus, quin morbo congruis auxilijs opitulemur. Nam quæ ætas ualidos morbos incurrere ipsa potest: eadem & auxilia præcipua in id morbi parcè & temperatè adhibita, perferre sine ulla noxa poterit. Nullam enim noxam ex modico sanguine detracto ea ætate constituti percipiunt: quod ego sæpe pueris pleuritide affectis sanguinem mittens magna fide expertus sum.

Sed quando in ætatum mentionem hoc orationis ductu incidimus, haud alienum fore uidebitur, si ad modum mensuramq; celebrandæ in pueris uacuationis, ætatum omnium fines initiaq; ex Galeni sensis huc conferamus. Ex his enim perspectis, quantum unicuiq; tribuendum ætati, & quantum noxij humoris pro ætatis ratione hauriendum, perspectissimum fiet. *Aetas quid.* Aetatem igitur, temporis uitam dimetientis progreßionem quandam esse liquidum est. Aetates porrò Galenus I. Aphorismorum commento XIII. quatuor in uniuersum esse uoluit: Iuuenum, uigentium, consistentium, & senum: sub iuuentutis ætatem pueros comprehendens, & eadem ætatum diuisio in definitionibus medicis perhibetur. & si has ætates certo & exacto annorum numero circumscribere non sit: sed cum latitudine quadam, ut VI. de Sanitate tuenda scribit Galenus. Aetas prima quæ & puerorum, calidißima esse censetur. quod qui in ea sunt plurimo natiuo calore abundent, uti octauo de Placitis Hippocratis & Platonis exactè à Galeno, & I. Aphorismorum ab ipso Hippocrate testatum est. *Aphoris. 14.* Qui crescunt inquit plurimo innato calore abundant. Postrema quæ & senum, frigidißima. unde est illud Hippocratis, senibus parum calidi innati inest, ob idq; febres in eis acutas non fieri, quod frigidum sit eorum corpus. *Vbi suprà.* Quæ in medio sitæ ætates sunt, ad portionem uel calidiores uel frigidiores censeri debent: prout alteri extremorum plus minus'ue accesserint. Quæ enim pueritiæ coniunctiores, eæ calidiores: quæ senectæ, frigidiores sunt. In has porrò ætates non omnes eodem temporis

poris ſpatio incurrunt: ſed alij citius, tardius alij. Pubeſcunt enim celerius quidam atq; ſeneſcunt, alij tardius, prout quiſq; feliciorem à natura conſtitutionem aut infeliciorem ſortitus fuerit. Benè enim nati, robuſto corpore, & quietam ac beatam uitam agentes, celerius quidem pubeſcunt, ſed ſeneſcunt tardius, & longæui ſunt. Contrà infeliciter nati, infirmo corpore, ualetudinarij, & qui ſeruilem uitam multisq; curis implicitam uiuunt: ij ſanè ocyſsime citato curſu ætates omnes permeantes, & breui ſeneſcunt, & citò moriuntur. Quæ ſanè uarietas, caloris in homine menſura, eiuſdemq; ueloci ore uel tardiore diſſolutione contingit. ut III. Aphoriſmorum commento XXVII. locupletiſsimus eſt teſtis Galenus.

*Aetatum diſtinctio.* *1. Aphor. cõment. 13.* *Pueritia.* *Infantia.* *Pubertas.*

Prima itaq; uitæ hominis periodus, ab ipſo natali ortu in annum decimumquartum porrigitur, autore Galeno: & hanc pueritiæ ætatẽ dicunt, cuius prima pars ea qua neq; fari, neque ingredi puer poteſt, rectè Infantia nominatur. Pueritiam proximè Pubertas ſequitur: hoc eſt, ætas ea qua pubeſcere pueri incipiunt: à pube & ipſa dicta, hoc eſt lanugine, quæ circa pudenda oriri id temporis incipit. Quod quia maturitatis quaſi cuiuſdam eſt ſignum, factum eſt, ut tum puberes mares dicti ſint, quàm primùm ad generandum ſunt apti. Ea porrò (ut III. Aphoriſmorum commento XXVII. & conceptis uerbis quinto Aphoriſmorum commento VII. teſtatur Galenus) à decimoquarto exacto, in uiceſimũquintum producitur. *Adoleſcentia* Adoleſcentia eiuſdem autoris teſtimonio quinti Aphoriſmorum commento IX. anno decimo octauo incipit: finitur uiceſimoquinto. Hæc ſanè pubertatis pars eſt, uti & Galenus ipſe libro eodem, commento VII. affirmat. cùm pubertatem poſt decimumquartum ad uiceſimumquintum extendi annum pronuntiauit. *Iuuentus.* Adoleſcentiam florens ætas ſeu Iuuentutis ſequitur, quæ & nonnunquam conſiſtendi ætas appellatur, quòd eam qui attigerunt augeri deſinant: ſed quam tum nacti ſunt, corporis magnitudinem in ea conſiſtere dicantur. Incipit autore Galeno V. Aphoriſmorum commento IX. ab anno uigeſimo quinto, finitur trigeſimo quinto. *Virilis ætas.* *In dialogo de Senectute.* Inter iuuẽtam porrò & ſenectam altera quædam intereſt media, quam Virilem nominant: conſtans ea, & media Ciceroni dicta eſt. Hæc Græcis παρακμαστική, hoc eſt, decreſcens ſeu declinans dicitur: quòd tum uirium in homine robur minui atq; decreſcere incipiat. ut III. Aphoriſmorum cõmento XXX. & V. de Sanitate tuenda, ſub libri finem, teſtatur Galenus. Durat porrò ab anno trigeſimo quinto in quadrageſimum nonum, Quæ adoleſcentibus ætas continuatur (ait Galenus) ad duas ſequentes ſeptimanas extenditur: in qua ætate omnia uitæ munia, æquè atq; illi qui in uigenti ætate conſiſtunt, conantur peragere, non tamen eodem modo ad labores ſufficiunt. *3. Aphor. comment. 30.* Nam ex aduſtione, & algoribus, & humi cubatu, uigilijs, atq; repletione plus quàm illi offenduntur. *Senectus.* *5. de Sanitate tuenda.* Vltima, quæ huic coniuncta, & tempore proxima eſt, Senectus appellatur: quam in tres diſiunxit partes Galenus. Prima ſenectutis pars ea eſt, in qua qui poſiti ſunt ciuilia obire munia, nec adhuc per nimiam uirium infirmitatem ceſſationem à laboribus impetrauerunt: quos Græci ὠμογέροντες, hoc eſt cruda uiridiq; ſenecta præditos appellant.

Quod

Quod & poëta noster aptè usurpauit Aeneidos sexto de Charōte loquēs: Iam senior (inquit) sed cruda Deo uiridisq́ senectus. Ab anno quinquagesimo in sexagesimum pars ea porrigitur. Secunda hac ipsa infirmior nec obeūdis laboribus amplius apta, initium habet sexagesimum annum: finem septuagesimum. Quam tandem extrema eademq́ miserrima uitæ pars excipit, quæ decrepita ætas, seu summa senectus meritò appellatur: in qua labefactatis ac penè perditis sensibus omnibus, conuulsis corporis uiribus, effœta natura quid aliud quàm uox & umbra (ut Euripides cecinit) qui in ea sunt dici possunt? Huius spatium ab septuagesimo anno in uitæ finem producitur, qui ferè octogesimus annus est. Dies enim annorum nostrorum septuaginta anni: aut ad summum octoginta, & amplius eorum labor & dolor, ut in Psalmis diuinitus cecinit Dauid. Itaq; ut eò redeat, unde deducta est narratio, in prima ætate si mittendus occasione graui aliqua sanguis sit, perparcè id cauteq́ agendum. In adolescentia & florenti ætate audentius, atque confidentius obeundum. In uirili ætate, præstandum quidem: sed attentius atque maiore consideratione. In senectute omnino abstinendum, etiam si septuagenarios senes secta uena uacuasse se Galenus testetur. Si qui tamen cruda uiridiq́ senecta, ac lacertoso & bene compacto corpore sint, præsensq́ aliqua magna necessitas urgeat: ijs (parcè tamen) mitti sanguis poterit. Decrepitos, & his proximos intactos relinquemus, ne unà cum frigido exhausto sanguine, uitam quoque profundamus.

*Decrepita ætas. Summa senectus.* — *Psalmo 90.* — *Lib. de Sanguinis miss.*

*Ad conceptum facientia, genitaleq́ semen corroborantia. Pro illustri quadam muliere ad illius maritum uirum illustrem.*

## ENARRATIO IIII.

RISTOTELES philosophorum omnium maximus: idemq́ rerum naturæ scientissimus, uir ornatissime, nihil æquè in hac nostra uitæ quasi fabula, ad hominis felicitatem conducere arbitratur, quàm ex optima coniuge multam prolem suscipere, quò liberis & ingenuis hominibus respublica abundare possit. Quod unum non tam conseruandæ reipublicæ, quàm hominum saluti & immortalitati noua semper propagatione renascenti facere satis uidetur. Quamobrem omnium operum maximè secundum naturam esse sibi similem generare, idem ipse literis testatum reliquit. Quid enim quæso hominis naturæ congruentius dici excogitari'ue potest, quàm suam ipsius naturam ab interitu uindicare? ac noua posteritatis successione ex mortali immortalē reddere? quod maximum Dei munus summamq́ in nos beneficentiam admiratus Galenus, in hæc uerba generationis causas in nobis est persecutus: Maximè, inquit, immortalem si possibile esset, conata fuisset natura suam facere creaturam: id quod cùm materia non permitteret (ex arterijs enim, uenis, neruis & carne compositum, non erat possibile incorruptibile fieri) quod autem fuit possibile auxilium ipsi creaturæ ad immortalitatem id machinata est,

*2. Oeconomicor. cap. 2.* — *Lib. 14. de usu part. cap. 2.*

instar

instar boni cuiusdam conditoris ciuitatis, in ipso statim principio non cohabitationem solam curantis: sed qua ratione uel in æternum, uel ad plurimum annorum ciuitas eius seruetur prouidentis: sic naturæ opera multis myriadibus annorum iam suffecerunt, & perdurarunt, & adhuc permanent, mirabilem quandam artem inueniente natura, ut semper pro animali quod corrumpitur, nouum aliud substituatur. Vnde factum est, ut conceptionis organa (quæ à generando genitalia dici Lactantius uult Firmianus) omnibus dederit animantibus, ipsisq; peculiarem quandam uim ad generandum copularit concumbendiq; ineffabilem appetitum: à quo excitata animantia, prouident sui generis subsistentiæ. Cuius sanè rei gratia (quod Firmianus idem Lactantius ait) hoc sibi quenq; proponere oportet, duorum sexuum coniunctionem generandi causa datam uiuentibus esse, eamq; legem his affectibus positam, ut successionem pariant: cui diuinæ legi summa propensione parendum esse benè institutis hominibus idem autor sanctissimè persuadet. Cuius tu (opinor) implendæ cupidus, optimam tibi delegisti coniugem: non tam forma quàm moribus, & animi eximijs dotibus spectandam: ex qua cùm pulchram suscipere prolem percupias, consilium ad id rei de me iure optimo postulasti: rationemq; qua id arte quod maximè optabas consequi posses. Quam ego & si parum præstare me posse mihi planè sim conscius, quòd grandes materias (ut cum Hieronymo loquar) ingenia parua non sustineant: tamen ne tibi iustissima de me petenti, non pro eo ac debeo paruisse uideri possim, En tibi quod in rem tuam esse ex probatissimorum autorum sententijs, & experimento confido. Itaq; enarraturus quæ ad prolem maximè faciant: quæq; genitale semen roborare in id muneris credantur, ne æquo sim longior, non omneis ego infœcunditatis causas enarrabo: quæ cùm & multiplices sint, & non tam ad uirum quàm ad mulierem pertineant, silentio præteribo: cùm nec quicquam ad præsens earum enarratio prosit: & ut se res tua habet, non facilè aut inueniri, aut explicari possint: cùm ego in te, neq; in coniuge tua fœmina lectissima (& ad sobolem, ni mea me fallit opinio, aptissima) nullas conspiciam sterilitatis causas. Quamobrem ea tantum subijciam, quæ uenerem utcunq; remissam intendere, prolificumq; semen, innatumq; calorem in id muneris roborare possint, à uictus ratione sermonis exordium ducens, quam huiusmodi uult esse diuinus Hippocrates, ut sano in primis ac ualenti corpore sit, qui prolem desiderat: ut cibis utatur quàm ualentissimis, & qui maximè nutriant: ut uino, quod & ualidissimum sit, & uires augere maximè possit: ut uerno tempore, ut desinentibus mensibus & cessantibus concumbat, ut intentè misceatur, ualidoq; complexu in naturæ agrum genitale semen intrudat. Eius autoris (quoniam te sapientum uerba uetustatem redolentia mirè delectant) sententiam ad uerbum suppingam. Tempus (ait) conceptionis optimum est uernum. Vir autem crapula distentus ne esto, nec uinum album potato, sed rubrum, ualidissimum, meracissimumq;: cibariaq; quàm ualentissima comedito: ualidus sanusq; esto: cibisq; qui ad id negotium non faciant, abstineto. Cùm uerò marem ingenerare

*Lib. de uero cultu. cap. 23.*

*Lib. de Superfœtatione mulierum.*

generare fere re'ue uolet, mensibus desinẽtibus & cessantibus misceto, maximéq́ intendito intro'ue pellito dum cupidè appetat, sinistrumq́ testem quantum ferre posis colligato. Hæc de concumbendi ratione Hippocrates, qui paucissimis uerbis omnem prolifici congressus rationem tradidisse mihi est uisus. Nos uerò diuini Hippocratis sententiam explicantes, omnem uictus rationem ei rei aptissimam ob oculos ponemus. Itaque hoc in primis curandum, ut ea alimenta sumantur, quæ & corpus calfacere & humectare, quasiq́ succulentius reddere, & semen augere plurimum possint, flatum'que excitare: hoc præstant, Panis ex farina purissima probè subactus, modico sale ac fermento respersus, molliter coctus: Inter quadrupedum carnes hœdina pinguicula principatum obtinet, si Auicennæ credendum, atque uitulina: castrati item iuuenis si moderata sit pinguedine, quarum debet esse usus elixatarum: ut humidius concoctuq́ facilius alimentum præbeant. idq́ maximè si his ipsis carnibus per elixationem cicera, napi'ue misceantur: sic enim idem autor præscribit: Quæ uerò ficciora ex quadrupedibus euaserunt, qualia sunt ceruina, leporina, suilla fumo siccata, & eius generis, omittenda. Ex auitij generis conueniunt capi, & gallinæ iuuenculæ pingues, cum earum pullis, quorum testes ad semen augendum omnium probatissimi esse censentur: pulli item columbini pinguiculi, qui uel Rasis testimonio mirificè innatum calorẽ roborant, deiectasq́ suscitant uires: perdices item probè faciunt: starni & phasiani, sed omnium superat uires catullianus passer, qui omnium testimonio mirè accendit uenerẽ, semenq́ auget. sed eo tamen non sæpe tibi utendũ censeo, quòd uehemẽti caliditate sua acrimoniam pariat, & mala qualitate acuta sanguinem & humores inficiat. Ex partibus uerò animantium, testes maximè probantur, præsertim gallorum, ut Aëtius sermone undecimo testatur: item & iecuscula potissimùm anseris & altilis gallinæ, quæ præstantissima esse creduntur: cerebella quoq́ & alæ maximè probantur, quòd & gratiores gustui sint, & facilius conficiantur: ouorũ quæ ex gallina & perdice sunt inter præcipua numerãtur: præsertim si mollia, sorbilia, cinamomo & zaccaro condiantur. Quamobrem eam ego confectionem ex ouis uinoq́ paratam, adiectis croco, cinamomo, & zaccaro (quam uos uulgato nomine sambaion uocatis) maximoperè laudauerim: ut quæ & promptè conficiatur, & alimentum maximè salutare præbeat. Auicenna piscium etiam oua in hanc rem commendat: ut potè lupi, lucij, & eius generis piscium è libero mari prodeũtium. Inter legumina ciceri præcipua laus, quòd & abundè calfaciat, & flatum pariat, multiq́ sit alimenti. Secundas partes faba obtinet: præstiterit autem si hæc exquisitè cocta, orali setaceo transmittantur, & cremori nonnihil mentæ, & piperis adijciatur: nam menta (ut Auicenna ait) seminaria uasa uehementer corroborat, & genitale semen ualidum reddit. piper etiam celerius coctionem adiuuat, & in corpus digestionem molitur. Ex oleribus menta, & eruca præcipua habentur. Cerealia ex quibus fercula fieri solent, oriza in primis habenda, ad hæc cremor ptisanæ, amylum, & quæ ex frumento puls conficitur: sed hæc nimis inflat,

*Fen 20. tertij. cap. 21. tractat. 1.*

*5. Aphorism.*

*Cap. 35.*

*Fen 20. tertij tract. 1. capite 21.*

*Vbi suprà, et cap. 32. eiusdem Fen.*

flat, uentriculoq́ negotium facit. Præstantiora erunt si sufficienter cocta, ex iusculo pinguiore carnium assumantur: uel amygdalino lacte, ubi carnium esu prohibemur. Item si illis zaccarum & cinamomum abundè fuerint commixta. Fructus sint pensiles uuæ, & passæ, item recentes ficus exactè maturæ, nuclei pinei præ cæteris omnibus sint in usu: item & auellanæ, si modò ritè confici poßint. nam in uentriculo moram trahunt, & ægrè descendunt: flatu tamen suo uenerem accendunt, præsertim zaccaro conditæ, aut ex melle assumptæ. Nucleos autem pineos ex rosacea madefactos, & zaccaro respersos esse expedit. Inter radices bautiæ, bulbi, napi, præcipuè commendantur: si probè cocta atq; emollita modico pipere & sapa conspersa edantur: nam & calida sunt, & flatuosa, qualia esse oportet, quæ semen uel generant, uel promouent, teste Galeno. *(5. de Simp. fa.)* Ex aromatibus crocus, cinamomum, piper, & chariophilli. Condimenta sint, quæ ex nucleis pineis, amygdalis ex zaccaro & rosacea parari solent: uelu ti martij panes uocati, item colymbades oleæ, atq; cappares conuenire uidentur. Bellaria & quæ secundis mensis apponuntur, sint citrij cortex conditus, coctana, pira & eius generis zaccaro excepta. In quem etiam usum carduorum capita (quæ nos carduos pineos) maximè conferre scripsit Auicenna. *(Fen 20. tertij trac. 1. cap. 21.)* Potus sit uinum potens, rubrum, moderatè sumptum, caput tamen minimè tentans, nec nimis calfaciens, sed quod facilè in uenas feratur, & spiritus substantiam foueat: quale Valētinum uinum, & Turnonium, sed præcipuè Arelatense esse solet: temperetur tamen iuxta ipsius uim, & anni constitutionem: *(Polybius de ratione uict.)* nam illud nosti, hyeme tum meracius, tum parcius: uere & æstate cùm copiosius, tum dilutius esse bibendum. Illud in uniuersum cauendum, ne uel nimia ingesta copia cruditatem, uel parcitas imbecillitatem afferat. Hæc de ratione uictus tantisper sint dicta.

De concubitu autē hæc obseruato: Primùm, ut pro Hippocratis doctrina, *(Ex Hipp. lib. de Superfœtatione. & Celso libr. 1. cap. 3.)* uerno tempore plus cæteris anni temporibus in id operis intendatur: nam neq; caliditate nimia dissoluitur corpus, nec frigiditate impeditur: congressus uerò ea tempestiuior hora ad conceptum putatur, qua uacuatis uteri menstruis excrementis, aluus ad semen continendum paratior redditur. quo tempore si congressus fiat, marem gigni ut plurimum Hippocrates credidit. Id etiam præcauendum, ne frequens nimis concubitus fiat, *(lib. de superfœtatione.)* nam concumbere non oportet ni res turgente corpore urgeat: quarta problematum, nono. Nam is præter id quod corpus exoluit, uiresq́ debilitat, fœcunditati parum dexter habetur: *(Celsus lib. 1. cap. 1. Gal. 1. de Semine.)* inquiente utiq; Auicenna, *(Fen 20. tertij trac. 1. cap. 13.)* semen frequenter concumbentis inutile, & infœcundum esse, æquè atq; infantis, decrepiti, aut ualetudinarij: quòd nimio congressu prolificus ille spiritus in semine contentus, prorsum euolet, unde frigidius reddi semen oportet: quod & ipsum sufficienter calidum, album, crassum, spirituq; & uitali calore plenum esse oportet, si Aristoteli & Galeno fides habenda. *(2. de generat. anim. cap. 2. Lib. 1. & 2. de Semine.)* Sed neq; idem nimis extimescendus, nam rarus (ut tuus Cornelius ait) corpus excitat, frequens soluit. Eum autem frequentem esse intelligas uelim, qui ad naturam & uires utentis refertur: ac proinde is moderatus esse & salubris cognoscetur, quem corporis neq; languor, neq; dolor sequitur,

*In Arte medicinali.* quitur, & à quo (ut Galenus ait) quis se ipso quodammodo leuior factus, ac melius spirare uideatur. Proindeq; tibi tuæ sunt expendendæ uires, & sciendum, quanto temporis interuallo abstinere salubre fuerit. Ego uerò rariorem & ex longis interuallis petitam uenerẽ, naturæ tuæ aptiorem crebriori existimo. Sit autem nocturna potius quàm diurna uenus: nam interdiu peior est concubitus (nimis utiq; exhalato calore) noctu tutior: quòd uehementius tum sit innatum in nobis robur, calorq; uegetior: sed ita tamen, ut neq; diurnum cibus, neq; nocturnum labor cum uigilia statim sequatur. Nam diurnum congressum insequens cibus, parum probè conficitur: nocturnum autem sequens uigilia aut labor, uires conuellit, corpusq; siccat. Ne item distento plenoq; uentre fiat cauendum. Nam ut Auicenna tradit, concoctionem prohibet, & motu inordinato crudum in uiscera rapit cibum, unde uarij generis morbi nascuntur: *Fen xx. tertij tract. i. capit. 9.* Sed neq; item inanito corpore & omnino uacuo ueneri indulgendum: quòd tabem concitet, & innatum extinguat calorem, uel eiusdem testimonio. Quamobrem aptissimum id erit tempus, quo prima in uentre atq; secunda in iocinore concoctio celebratæ erunt, quam horam omnes ad uenerem aptissimam posuere. Ad hæc quòd non prius congressus fiat, quàm uesica aluoq; exoneratis, sed maximè uesica. Nam ea intenta (quod *4. problemat. problema. 20* Aristoteles tradit) parum probè concubitus procedit. Nec uerò mihi in præsens controuersia ea ac disceptatio quæ inter magni nominis uiros incidit, de concubitus hora silentio transmittenda est: ut ea probè cognita, salubrior horæ delectus ab ijs, qui concubituri sunt, sumi possit. Galenus siquidem secundo de Tuenda ualetudine, illam Hippocratis sententiam explicans, Labor, cibus, potio, somnus, uenus, omnia mediocria: modum singulorum ea sententia definiuisse Hippocratem, (addito ad finem dictionis epitheto, mediocria) & tempus quoq; quo singula perfici habeant, ipso sermonis ordine designasse doctissimè affirmat. Quippe (inquit Galenus) sanitatis tutela à labore est auspicanda: quem excipere debent cibus, potio, deinde somnus, mox uenus, in his uidelicet, quibus uenere est utendum. Et in arte medicinali, tempus ueneri opportunum esse ait, cùm in excessuum omnium mediocritate corpus fuerit constitutum: cùm scilicet neq; supra modum plenum, neq; uacuum extiterit. Ex quibus sanè tum Hippocratis, tum Galeni locis, euidentissimè constat, à somno ueneri indulgendum: quod uerborum illorum ordo (uel autore Galeno) innuit, cùm dicitur Labor, cibus, potio, somnus, uenus: post somnum enim Hippocrates ueneri locum esse uoluit, quòd à somno scilicet uegetior reddita corporis rectrix facultas, ueneri obeundæ accõmodatior fiat, minusq; inde noxæ corpus sentiat: à cibo utique, potione, ac somno fotum ac sustentatum. Cùm contra Paulus atq; Aëtius sentiant: hic libro III. cap. VIII. ille libro I. cap. XXXV, de re uenerea. Volunt enim à cibo, & ante somnum ueneris usum commodiorem fore. Veneris utiq; opportunior occasio (inquit Paulus) à cibo & ante somnum existit. Protinus enim à coitu somnum capienti lassitudo relaxatur: Adde quod id temporis liberis procreandis longè cæteris accommodatius est,

est, cùm aliis sanè nominibus, tum quòd mulier somnum capiens semen genitale melius retinet. Et paulò antè, Multò (ait) satius fuerit post exercitationes, balneas, atq; cibum mediocrem in uenerem congredi. Sic enim tum ad corporis robur, tum aduersus ingruentes frigoris iniurias, plurimum habet momenti. Aëtius uerò quo citauimus loco, Optimum inquit est concumbere uolentem, post cibum commisceri: qui tamen ad satietatem non sit ingestus. Id enim ad robur confert, & frigiditas, quæ fieri assolet, minus fit. Quòd si quis à prandio prurire inceperit, hoc est in uenerem ferri cupiat, cessare tantisper oportet, quoad alimentum constiterit: si uero à cœna, paululum prædormire oportet. Hactenus Aëtius. Verùm si quis mentem adhibeat, facilè conciliari pugnantes ex tantorum autorum sententiæ possunt. Cùm enim à cibo Paulus & Aëtius concumbendum esse affirmant, postea dormiendum, noxæ quam afferre concubitus solet prospexisse sunt uisi. Si enim aut pleno, aut uacuo uentre concumbendum sit, præstat profectò pleno quàm uacuo concumbere: quod & Celsus conceptis uerbis testatus est. Nam & minor sequitur uirium resolutio: & si qua facta sit, somno ea confestim insequente resarcitur. Hippocrates uerò & Galenus rectum concumbendi ordinem prænarratis sententiis tradiderunt, cùm post somnum uenerem exercendam affirmarunt. Ego uerò ita de tota re statuo, ut salubrius, cõmodiusq; existimem, etiam si non ad satietatẽ ingestus sit cibus, non à cibo quidem, & ante somnum, sed post concoctum ferè iam, & in ima delapsum post somnum, ut Hippocrates & Galenus iubent, ueneri indulgere. Nam qui quæso si ura duabus'ue à cœna horis quis concumbat, etiam si mediocrem cibum, non uberiorẽ ingesserit, non peruertatur eo motu & ualido agitatu, in uentre concoctio? quanquã enim insequens somnus ac quies, uires plurimũ à congressu reficiant: resarcire tamen cibi in uentriculo cruditatẽ minimè possunt. Itaq; ne & cruditatẽ & lassitudinem intẽpestiua uenus pariat, censeo non protinus ut quis lectum dormiturus sub noctẽ ingreditur (quod fermè uulgaribus omnibus est in more positum) ueneri det operam: sed ubi aliquantũ prius somni accesserit, & leuiorem uentriculũ perceperit, tum securus concumbat: iterumq; quod reliquũ est noctis redormiat, quietiq; totum se det. Sic enim nec cruditas noxam afferet, nec lassitudo languorem, Quæ docta tum Galeni præcitato loco, tum Aëtii sententia fuit, inquientis. Si à cœna cõcumbere quis uelit paululum prædormire oportet. Hæc tuta ad prolem generandam concumbendi ratio, quam qui exactè seruauerit, minimè dubium, quin si alioqui bene constituto ac sano corpore fuerit, paremq; coniugem nactus, prolificam uenerem experiatur. Omitto uolens ac sciens, quæ demortuam uenerem blandimenta ac lenocinia excitare queunt, lusus cum coniuge amœnos, attrectationes, oscula, amplexus, cùm & huiusmodi talia nec sine pudore quodam à uerecundo homine dici, nec explicari decoro seruato queunt. Quæ uerò à concubitu mulieri obseruanda, id omittendum minimè duxerim. Stet mulier à congressu supino corpore, sublatis iunctisq; cruribus: secundum quem situm si à congressu dormierit, præstantissimum esse omnes prædicant. Mulierem

*Conciliatio pugnantiũ locorum.*

rem uerò prolis gratia congredientem neq; saphirum, neq; smaragdum plerìq; ex nostris gestare uolunt. Nam smaragdus (ut Marbodeus autor uetustissimus tradit) fertur motus lasciuos compescere: de quo item Albertus cognomento Magnus, hoc refert, coitus immundiciem smaragdum ferre non posse. Regiq; Pannoniæ insignem quem gestabat in digito smaragdum, cum uxore concumbenti frustillatim dissectum esse, exemplo confirmat. Saphirum uerò castitatis amatorem esse idem Marbodeus ac præter eum Isidorus testatur: itaq; concubitus hora gestanda non erunt. Quæ uerò in uniuersum ad prolem gignendam probè faciant, ea ueluti in tabula expressa Aëtius in hunc modum tradidit: Qui re uenerea (inquit) uti cupiunt, infernas corporis partes exerceant, inguinaq; & femora confricent: & si ignaua hæc membra habeant, unguentis & oleis calidis ungant. Dormiant in mollibus lectis, legantq; quæ ad coitum cohortātur: lectionibus item ac spectaculis huiusmodi assideāt. Cæterùm edulia & pharmaca ipsis conueniunt calfacientia & inflantia, ueluti sunt cicer, fabæ, pastinacæ radix, & semen, nuces pineæ, erucæ tum folia tum semen: rapæ, amygdalæ dulces, anesum, & perdicis oua, & gallinacei testes, quæ ambo coitum probè excitant. Semen uerò augent (subdit) omnia bono succo prædita. Hæc ille: nam implentibus corpus tum semen augeri, tum corpus ad uenerem expeditius fieri in confesso est. Implent autē, Cornelio teste, modica exercitatio, hoc est, non laboriosa, frequentior quies, contracta aluus, modicum frigus hyeme, somnus & plenus & non nimis longus, molle cubile, animi securitas, assumpta per cibos & potiones maximè dulcia & pinguia, cibus quantus plenissimus potest concoqui. Quod si præfata methodo nequicquam profectum sit, tum ad medicamenta transeundum consulo: utendumq; his quæ uenerem sopitam accēdunt, inter quæ Aëtius uulpinos testes exsiccatos & in puluerem redactos cochlearij mensura, id est drachmæ unius pondere, innocuam & minimè uanam tentiginem facere ait. Item & cerui pudēdum aridum, ad drachmam unam ex uino meraciore potatum, experimento se probasse testatur. Auicenna autem in de sterilitatis curatione, eboris scobem, præsentaneum esse ad id remedium confitetur, semenq; seseleos si ex alterutro, uel ambobus simul, ad pondus aurei unius ante congressum horis duabus sumatur. Viscum autem quercinum Plinius asserit, si secum mulieres congredientes habeant, conceptus iuuare. Ex compositis hæc ceu tutissima laudo. Pudendi cerui exsiccati seselis, scobis eboris, seminis baucię ana. ʒ. unam interioris cinamomi electi, calami odorati, erucæ seminis ana. ʒ. ß. nucleorum pini delibratorū, & rosacea aqua madefactorum. ℥. unam, zinziberis conditi. ʒ. duas ex sirupo conseruationis eiusdem confectio paretur. Cuius drachmæ duæ aut tres ante congressum, horis duabus præpurgato ut mox dicetur corpore assumantur. Quòd si his peractis conceptus non sequatur, experiundum utrius uitio id contingat: mulieris'ne an uiri. Idipsum autem multis indicijs deprehendi uolunt: sed appositissima tantum subijciam, & præsertim quæ ab Hippocrate prodita sunt, inquiente, Si mulier non concipit, scire autē uelis si conceptura sit: pannis

*Lib. de Gemmis. cap. 54.*

*Cap. 53.*

*Sermone 11. cap. 35.*

*Lib. 1. cap. 3.*

*Fen 21. tertij cap. 10.*

*Lib. 24. nat. histo. cap. 4.*

*5. Aphorism. textu 59.*

pannis circuntectam desubter suffias: & si odor uideatur per corpus ire ad nares & os, scito quod ipsa non ex seipsa sterilis est. Itaq; ex olibano, myrrha, styrace & mastice, aptis ad id odoramentis, ut tradit Galenus, suffitus ad mulieris pudenda fiat, aromatis super prunas accensis, & uapore per rectum syphonem recta in matricem delapso: sic enim recte indicium fieri poterit: nempe si odorem naribus percipiat, indicio est permeabile esse corpus, nec obstructioni obnoxium, nec uterum densitate affici, atq; ob id conceptioni aptum. Si uero odor ferri sursum prohibeatur, durum ac densum uteri corpus indicat, ac cõceptui parum idoneum: Consuluerim autem eo casu leuiter purgandum esse, quicquid excrementosum conceptionem moratur, idq; hac methodo, ut primum per sex continuos dies, sirupi ad id peculiares sumantur: æquandis humoribus appositissimi: dein leue solutum sequatur, post matricem ab excrementis purgantia, dein leuiter adstringentia, & ad continendum semen præparantia exhibeantur, assumptis interea quæ uterum ad prolem disponunt. Horum omnium hæc sit ratio.

*In comment. præfati aphorismi.*

Primum ad totius plenitudinem uacuandam, quoniam bono corporis habitu esse coniugem tuam lectissimam fœminam audio, præstiterit leuiter secta in cubito interna uena sanguinem mittere ad uncias circiter sex aut octo, ut præsenti medico uisum fuerit, uirium semper habita ratione præcedentiq; leui enemate si aluus adstricta fuerit: Dein diebus interpositis aliquot, e malleolo sanguinem detraxisse profuerit, si non satis menses fluant: si uero pro ratione prodeant, nihil hac repetita sanguinis missione opus erit: postea sirupi in hunc modum sumantur. Arthemisiæ, calaminthæ, pulegij, hyssopi, adianti, cichorij, & intybi latioris, ana. manip. ß. uuarum passarum exacinatarum. ℥. una ß. glycyrrizæ. ℥. ß. seminum anesi, bauciæ, seseleos & erucæ, ana. ʒ. una seminum melonum mundatorum. ʒ. ij. incoquantur omnia fontana aqua, adiectis floribus uiolarum & buglossi cuiusq; pug. ß. cinnami selecti, scobis eboris, chariophilarum, ana. ʒ. una. fiat apozema cui adijciatur sirupus ex artemisia uel oxymel: sumatur per sex continuos dies. Solutiuum sit hoc, Radicis barbaræ selectissimæ, uino albo irroratæ donec mollescat. ℈. iiij. agarici in pastillos conformati & rosaceo melle excepti. ʒ. unã post horum conuenientem expressionem adde oxiphenici confectionis, & benedictæ cuiusq; drachmam unam, ex decocto passularum florum cordialium & cinnamomi electi potio paretur in aurora sumenda: & post sex horas sumat capi iusculum cum zaccaro: interpositaq; hora una, prandeat leuiter. In crastinum uero sumat mitridati. ʒ. unam, zaccari rosacei. ʒ. ij. misceantur, & abstineat horis septem. Matricem foueat & purget pessis adhibitis præsertim ex mercuriali contrita, quam Hippocrates miris laudibus extulit, & Plinius tantopere commendauit, ut eius succum potatum mire conceptus adiuuare asseueret: uel si eadem ex oleo & sale sumatur, uel illius item decoctum: quin & ad prolem masculam si mas sumatur: fœminam, si fœmella, facere idem testatur. Item pessi ex bdelio & melle uel rosaceo confecti & appositi, mire adiuuant & matricem absque læsione purgant.

*Lib. de Fœminarum morbis: & de fœminea natu. et de nõ perferentibus.*
*Lib. 25. natu. histor. cap. 5.*

purgant. Quæ uero à mundificato utero exhiberi debent, adſtringentia ſint oportet, moderatè calida, odorata, & à proprietate conceptum iuuantia. Hoc autem præſtant ſubditi peſsi ex chariophillis, cinnamomo, maſtice, ſtyrace calamita, nuce cupreſsi, ligno aloë, & coagulo leporis atque eboris ſcobe, ſi ex melle uel aromatico uino excipiantur, & uuluæ ſubdantur. Item & hoc, quod mirè ad hanc rem facit: thuris, maſtiches, ladani, aloë, myrrhæ, nucis cupreſsi xyloaloës, zeduariæ, nucis myriſticæ, aluminis, cupularum glandium, ſumas ana. ℥. unam, coaguli leporis. ℈. iiij. ex melle exceptis fiant peſsi, & filo legati ſubdantur: & ſint longitudinis digiti medij, teneantur per noctem, & hora concubitus deponantur. Interea ex præſcripto antidoto de ſeſeleos, utetur ieiuno ſtomacho eo quo ſuprà dictum eſt modo & ſpero unicè prodeſſe. Ad conceptum autem, poſt totius purgationes mirè entatiſmata laudant: hoc eſt lotiones ſeu inſeſſus ad umbilicum uſque, ex decocto herbarum ad id uires habentium, quales ſunt mercurialis, ſabina, arthemiſia, calamentum, pulegium, hyſſopum, ſampſucus, ſeſelos, aneſum, & eius generis, quæ meatus aperiendo, ſuccos attenuando, aluum calfaciendo, prompte ad cõceptum diſponunt. Suffitus item ad id mirè ualere dicuntur, ſi ex aromaticis matrix ſuffiatur; quod fieri maximè probo.

Hæc de re propoſita ut in calamum uenerunt, ex probatiſsimorum autorum promptuario ad te uir clariſsime atque ornatiſsime mittenda curaui. Deus autem optimus maximus, omnia pro nutu ac uoluntate tua ſecundare dignetur.

*Ad antiquam è cerebro ad oculos fluxionem arcendam, eandemque curandam, ad Ioannem Philippum Aerarij Mediolanenſis præſidem, uirum præſtantiſsimum.*

## ENARRATIO V.



CVM in cæteris morbis omnibus, qui quidem medicorum arte & opera curari poſſunt, & ſedulitate maxima, & recto conſilio atque iudicio opus ſit, tum in ijs maximè earum partium morbis, quæ ad uſum uitæ & dulcedinem, actionesque humanas plurimum momenti habent: quas inter quum oculi ipſi, uel Ariſtotelis & Celſi ſententia, primas teneant, (ut quorum uſu multæ rerum nobis differentiæ atque ſpecies pateant: inque diſciplinis adipiſcendis omnibus, autorumque monumentis perlegendis, ſummũ nobis uſum præbeant) quantum ſit cuique in eorum bona conſtitutione ſeruanda, & aduerſa propulſanda enitẽdum, hinc perſpicuè patere arbitror. Quamobrem meritò ſummo tu ſtudio atque contentione de nobis poſtulaſſe es uiſus, ut quæ in rem tuam medica methodo maximè facere uiderentur, ea ad te literis præſcripta, qua maxima fide & integritate poſſem mitterem. Præſtamus id quidem & ſedulò & accuratè, ac tua etiam cauſa peramanter. Sed quando neque curari affectus quiſpiam poteſt, aut idem futurus prouideri non ipſo prius exactè cognito (quum principium methodi

*1. Meta. Celſus lib. 6. cap. eodem.*

thodi medendi autore Galeno morbi sit cognitio: & morbi speciem inprimis attendendam esse uetustissimus medicorum Hippocrates prodiderit) nonulla prius quàm de curatione & prouidentia dicamus, de ipsius affectus natura & causis sumus dicturi. Illud in primis, affectum hunc nõn tam per proprietatẽ in oculis, quàm etiã per cõsensum à cerebro constare. Quod hinc uel apertissimè monstrari potest, quòd non perpetuò, sed uarijs & statis temporum interuallis affectus hic recurrere, & recurrens certo etiam tempore finiri soleat: quod minimè accideret, si per proprietatem omnino hic proueniret affectus. Nam qui huiusmodi sunt, uti semper præsentem quidem causam habent, sic certè quam diu ea permanet, molestare affectam partem solent. Itaque affirmãdum partim per consensum à cerebro fluxionem ad oculos mittente: partim per proprietatem, oculis nimirum longa iam fluxione tentatis, imbecillioribus factis, & noxam inde non leuem sentientibus, hunc nasci affectum: quod sæpe fieri solere Galenus tum I. de Locis affectis, tum VII. Methodi medendi, & pluries alibi ingenuè est professus: quòd, ut ille ait, ex uitiata fluxione in membrum quodpiam procumbente, noxam eius membri substantia sentiat. Hæc igitur totius futuræ narrationis sit radix, sine cuius animaduersione nec affectus natura cognosci, nec methodus curatiua adhiberi, ulla ratione potest. Est porrò affectus is quem Latini omnes Lippitudinem: Græci ὀφθαλμίαν nominant. Nec obstat quòd neque inflammatio, neque tumor in oculo, aut ingens rubor appareat: quæ in omni ophthalmia adesse oportere docti plerique omnes uolunt. Nam etsi hæc in ea quæ uerissima & exquisita ophthalmia dicitur, necessariò eueniant: in non uera tamẽ euenire minimè necesse est, quam & ipsam oculi conturbationem seu uacillationem nuncupant. Nec me illud mouet, quod ab Auicenna dicitur, tum esse conturbationem, cùm à causa quapiam præincipiente, ut sole, fumo, puluere, uento, ictu, huiusmodi prouenerit affectus: cùm fieri item possit, ut ab interna causa, sed leui & minimè multa, nec malæ omnino qualitatis, idem quod ab externa eueniat, ut sufficiat quidem oculum & humore & aliquanto rubore perfundere, inflammationem uerò inferre minimè possit (ut est Pauli lib. III. cap. XXI. sententia) cuiusmodi esse mihi uidetur quæ te nunc malè habet affectio: quæ prorsus nihil est aliud, quàm humiditas quædam leui cum rubore & calore præter naturam nata oculique membranas conuictiuam præsertim afficiens. Hæc breuiter de morbi essentia. De causis quidem illud, externas uocatas, ad inferendos sæpenumero internos affectus plurimum momenti habere, quæ docta est Galeni & Auicennæ sententia. Quamobrem cùm frequens capitis & diuturna ex calida perfusione lotio, & rariorem capitis substantiam (eoque ad suscipiendas iniurias proniorem efficere habeat) & oculos ad fluxionem excipiendam paratiores reddere, nihil mirum si ex huiusmodi crebra perfusione, noxam oculi senserint: reseratis utique tum externis tum internis ad oculos excrementa deferentibus meatibus, tum ab perfusionis caliditate eliquatis & attenuatis succis: his nempe rationibus frequens calentis aquæ balneum nostris oculis ualdè

*2. Meth.* *1. de Rat. uic. acut.* *Fen 3. tertij. cap. proprio.* *2. de morb. cau. Fen 3. tertij. tract. 1. cap. 6.*

nocere putant. Omitto externas reliquas omnes causas, cùm hæc mihi omnium potissima sit uisa. si modò huic etiam alteram adiunxero, illi in inferendo morbo aut parem, aut certè etiam meo iudicio superiorem: crebram uidelicet & nimium multam, minutorum characterum lectionem, & scriptionem: in quod munus cùm ob eam quam durissimam sustines in rationibus tuis conficiendis prouinciam, nimius & penè assiduus semper sis: fieri certè non potuit, quin magna sit inde oculis illata iniuria. Nam ut modica minutarum literarum lectio oculos probè exercet: sic *Vbi supra.* immodica (si quid Auicennæ creditur) ualdè afficit.

Ex corporeis uerò causis, duæ potissimæ omnium sunt æstimandæ: ipsa scilicet oculorum imbecillitas, cuius causa promptè quidem missam à cerebro fluxionem suscipiunt oculi: & cerebri intemperies cum substantiæ uitiosæ affluxu. Nam quum interdum uitioso omni excremento careant oculi, interdum uerò abundent, alicunde eò mitti alienum humorem iure censendum est. Mittitur autem potissimum (ut Galenus sentit) à capite inquiente eodem II. de Febrium diff. & XIII. Methodi à capite in oculos fluxionem crebrò decumbere solere. Nec iniuria, cùm principes partes in sibi subditas & proximas, naturæ suæ ui excrementa regerere soleant. quare nisi ualido robore constent, repellere à se excrementa non poterunt. Ea igitur causa est, cur capite laborante, fluxione sæpe oculi tententur: quod missa ad se excrementa imbecillitate nimia repellere nequeant. Vnde consistentes in ipsis succi cum eorum substantiam uicient, & nimia mora deteriores fiant, fit ut noxam ualdè multam meritò *2. de morb. caus.* oculis inferant, dicente Galeno, tum in parte quapiam uitium augeri, cùm infixa in ea excrementa aut putrescunt, aut tempore deteriora fiunt: ita ut affluentem postea humorem uel utilem simul corrumpant. Est autem excrementi genus hoc quod influit, (quantum quidem noscere datur) uitiosus humor ex bili & pituita mixtus. superante tamen pituita, quod ex leui aut nullo dolore percepto, ex modico rubore, morbi longitudine, & difficultate, lacrymis minimè multis, nec calidis fluentibus, lippitudinis modo (quæ ipsa & satis multa est & abundè tenax) perspici perfacilè potest. Atque inde etiam quid de toto hoc morbo iudicandum ei qui probè rei naturam tenuerit, minimè operosum. Siquidem quæ lippitudo minimè cum dolore est, si in ea & tumor modicus, & pituitæ plusculum adfuerint: & alterum tantum oculum afficiat, ut longior ea esse *Cap. eodem.* solet, ita sine periculo: quæ Celsi lib. VI. est sententia.

Cæterùm quod ad methodum curatiuam pertinet, non tam curatione quàm præuisione & prouidentia egere maximè mihi uidetur: nimirum ut qui parte sui facta, & iam lædente haud magnopere afficiat: parte futura, hoc est, crebro affectionis ob partis laborantis intemperiem & imbecillitatem reditu, maiorem molestiam inferat. in illam maximè (ne recurrat morbus) intendendum. Atque horum sanè morborum exacta præcau*In Arte medicinali.*tio autore Galeno est prohibere ne fiant: quod quoniam in ocularibus morbis, perfici nequicquam potest, ni & ipsi oculi ab excrementis tuti seruentur: & quæ in ipsis subest intemperies, cuius causa eorum functio

labefact

labefactatur, ipsis excrementis redundant, omnis amoueatur: roboreque parti addito, ad uitium omne repellendum aptos reddamus. Id inquam unum nobis maximopere erit curandum.

Tuti autem ab excrementis oculi esse non possunt, ni simul & caput, & totum denique corpus purum maneat. Omnis itaque adhibenda cautio erit, ut & congrua uictus ratione, & nonnullis in eam rem bene facientibus medicamentis, id quod quærimus assequamur. Consistit autẽ in hoc maximè iusta uictus ratio ut non solùm in quantitate ac qualitate, delectu & ordine ciborum ac potuum: sed & in omnibus his quæ uelimus nolimus nobis occurrunt, modus adhibeatur: nempe aëri, somno, uigilijs, motionibus, quieti, excretis à corpore, & detentis, animique affectibus. Sic enim Hippocrates iubet inquiens, Labor, cibus, potus, somnus, uenus, omnia mediocria. Quæ igitur ad cibos potusque pertinent, breui narratione complectar: cùm illud omnibus euidentissimum sit, maligna cibaria, ac uaria, & præpostero aut malo ordine sumpta, cruditatemque, & crapulam, maximum & corporibus & animis afferre nocumentum.

Deligendi itaque cibi ij erunt, qui & excrementosi minimè sint, & facilè concoquantur, & bonum in corpore succum pariant: ad hæc qui affinitate quadam, & uirium naturæ proprietate oculis conferant. Quales habentur panis ex optimo tritico probè subactus, molliter coctus, salis & fermenti quantum sat est recipiens: cui dum subigitur, optimũ ducerem semina aliquot feniculi, aceto prius scyllitico per diem macerata inspergi: sic enim ocularis maximè efficitur: eritque tutior eius panis hyeme & uere, quàm æstate usus. Ex uolatilibus pulli cortales, capi iuuenes, & in uniuersum quicunque molliore carne præditi, libero in aëre & nemoribus degunt, appositi sunt. Palustres aues omnes fugiẽdæ: inter quadrupedes uitulo, hœdoque potissimùm utendum. Piscium rarus sit usus: & qui ex ijs conferunt, sunt qui uel in libero mari, uel in saxosis fluminibus degunt, & squamis nitent plurimis, carneque fragili præditi sunt: quales habentur inter maritimos buglossus, aurata, mullus: inter fluuiales trotta, umbra, & pisculi saxatiles dicti. Conueniunt autem uel aceto saleque & aqua modicoque feniculo elixi: uel craticula assati, & aceto rosaceo imbuti. Ouorum gallinaceorum recẽtium, molliterque in aqua amota testa coctorum, salutaris est usus. Holera penè uitentur omnia, maximè uerò lactuca, & brassica: quæ ambo si quid aliud unicè oculis nocent uel omnium autorum testimonio. Ferculorum ea tantum, quæ ex ordeo probè parato, aut amydo, aut pane loto fiunt conuenire uidentur. Fructuum usus, crudorum maximè, fugiendus: inter hos tamen prunis exactè maturis ad aluum subducendam: & uuis quoque ac ficubus congruens poterit esse locus. Lacticinia penè omnia, uti & legumina uitanda: ut quæ uapore suo & caput impleant, & substantiæ suæ crassicie obstructiones gignere soleant. Bellaria à cibo & tragemata quæ ex struteis malis, feniculo, coriandro, piro cocto, bene faciunt. Vinum sit tenue, clarum, odoratum, minimè potens, colore uel album, uel flauum moderatè dilutum, & modicè sumptum. Somnus nocturnus septem ad summum horarũ spatium

non

non superet. Huic se non protinus, sed duabus horis à cibo credere oportet: capite bene alto paulò duriore puluino, præsertim æstate: nam quæ plumea sunt, ceruicem caputq́ calfaciendo, & humores attenuando, defluxionis causa sæpenumero esse solent. Exercitium matutinum fit, excretis prius uesicæ aluiq́ excrementis, hyeme quidem sub tecto, & paulò ualentius: uere & æstate remissius, & sub dio: conuenientq́ ex ambulationes maximè, quæ uel uirentibus in locis, in quibus herbescens ipsa uiriditas oculos recreet, uel propè nitentes, & leui murmure incedentes aquas, molli gressu perficientur. Illud tamen cautè obseruandum, ut dum te exercitationi committes, probè temperatus sit aër, nec flatibus expositus, nec nubibus obductus. Nam horum utrumuis fuerit, oculis plus nocere, quàm exercitatio conferre potest: quæ tamen ipsa inferiorum partium potius quàm superiorum magis conuenit. Quies à cibo tum ani- *Lib. primo.* mi tum corporis, summè salutaris habetur: unde illud rectè Celsus: Si lucubrandum fit, non id post cibum, sed eo concocto facere oportere. Ego in te illud dicam, si conficiendæ salis rationes sint, (nam hæc tua est lucubratio) non post cibum id statim, sed eo concocto effici à te debere. Nam cùm omnibus inutilis sit post cibum aut contentio, aut cogitatio animi: tum his præcipuè, quibus uel caput, uel quæ in capite sunt membra, infirmiora & fluxionibus obnoxia sunt. Quamobrem scribere, legere, aut grauius aliquid animo meditari, post cibum parum tutum uel Celsi testimonio habetur. Quòd si ad hæc (quod nimis ipse uereor ac metuo) munia cogaris, fiant à te quantum res ipsa patietur, leniter, neq; uehementer intento animo, & capite ad scriptionem minimè inclinato, sed erecto potius, & minimè in uarios positus circumacto. Curandum item ut excrementa corporis omnia, quotidie uacuentur: tam ea quæ certis & constitutis à natura meatibus exeunt, quàm quæ occultè effluunt. Nasus igitur manè bene mungendus, & quicquid sordium & mucci adhæsit expurgandum. Pectendum eburneo pectine caput, asperioreq́ panno leniter perfricandum. Os aqua abluendum, cui interdum aliquid aceti ad secandam pituitam misceri proderit. Abstergendi molli penicillo dentes, *Lib. primo.* & colluendi tam matutino tempore quàm cibo sumpto: sic enim Paulus iubet. Oculi & aures à suis item sordibus emundandi. Quin & illud probè etiam capiti atq; oculis conferet, si per æstatem bis singulo mense miti lixiuio caput abluatur, in quo chamæmeli & rosarum flores præbullierint. sed obeunda erit lotio manè, uacuo uentre ciboq́ hesterno exactè cōfecto: sereno & lucido cœlo, non nubibus aut imbribus turbato. Alui excrementa nisi sponte descendant, iuuanda erunt uel prunis non in aqua simplici, (ut fieri solet) sed aqua mulsa potius decoctis, & multo zaccaro respersis, uel iusculis ex atriplice, borragine, beta, mercuriali'ue, & maluæ summitatibus cōfectis: uel quod præstātius esse duco, senefolijs pulli iure incoctis, quæ uniuersa (dum oportunus eorum usus uidebitur) morula pauca ante omnem cibum sumenda, dein prandendum. A toto corpore sordes, & commodo exercitio, & moderata frictione tollentur. Animi motus omnes moderandi, aliqui etiam prorsus uitandi, ut ira, mœror,

maioresq́

maioresꝗ curæ, & cogitationes. Hæc in totum fugienda, nimia lux. Solis & Lunæ radij, ignis, fumus, uentus, puluis, & immodica uenus, cùm ne modica quidem satis tuta sit, aut potius oculis nocentissima. Ab austrino & boreali flatu cauendum, nam hic teste Hippocrate oculos mordicat, ille caput implet. *3. Aphorism.* Et hæc quidem de congrua uictus ratione seruanda. Ad præuisiuam methodum accedendo id in primis cum Galeno statuo, in oculorum auriumꝗ fluxionibus, fonti unde morbus emanat (nempè capiti) præcipuè prospiciendum, cùm ab ea potissimùm parte excrementa in ipsa descendere soleant. *6. de Sanitate tuend. & 13. Methodi.* Huic uerò ut prospiciatur, & uacuanda erunt quæ in ipso excrementa consistunt, ne amplius ad oculos ea transmittat: & robur parti addendum, natiuaꝗ temperies seruanda. Laudarem igitur semel in anno uenam humerariam, cephalicam dictam, è brachio oculo affecto respondente, secari: extrahiꝗ tantum sanguinis uncias quatuor. Nam oculorum doloribus hæc uenæ sectio ab Hippocrate miris laudibus commendatur. Quod si ea, occasione aliqua fieri minimè possit, illius loco scapulis cucurbitulæ duæ admouendæ erunt, leuiterꝗ incidendæ, ut tum reuellatur, tum ad proxima deriuetur, qui ad oculos influit humor. Sunt enim cucurbitulæ in eum præcipuè usum repertæ, (ut ait Galenus) ut influentem humorem ad se reuocent. *3. de Loc. affect. cap. 4.* Quod sanè auxilij genus, quantũ in oculi fluxionibus leuandis conferat, maximè ijs quæ iam constiterunt, ille Galeni locus declarat, quo affirmat, cucurbitulam occipiti admotam ad oculorum fluxiones præsentaneum esse remedium. *13. Metho.* Quamobrem è re tua esse ducerem, non semel modo in anno, sed per singulos menses post pleniluuium has admoueri quo ad finita uideretur quæ ad oculos ruit fluxio. Vere & autumno post missum sanguinem, uel admotas cucurbitulas, purgandum quicquid uitiosi in toto redundat excrementi: paratis tamen prius sequenti potione humoribus. Præparatio ad uer accipit. Herbæ feniculi, eufrasiæ, sampsuci, betonicæ, cuiusꝗ manipulum: rosarum rubr. pugillum unum, uuarum passarum pinguium unciam unam: granorum feniculi drach. unam, florum stecadis uiolarum & buglossi, cuiusque pugillum unum: omnia arte incoquantur fontana aqua, ad lib. unam & dimidiam: decocti unciæ quinꝗ manè sumantur, adiectis sirupis ex stecade & oxymelite ad uncias duas.

Sumpta potione per sex continuos dies, purgatio catapotijs sequentibus molienda erit: quæ accipit pillularum sine quibus, & lucis maiorum ana. ʒ. ß. agarici in pastillos redacti ℈. unum, nucis myristicæ grana tria, diagridij granum unum ex sirupo rosaceo infusionis rosarum pillulæ conficiantur, quas sumat in aurora, congrua adhibita uictus ratione. Postridie sumat mitridati electi conseruæ rosarum ana. ʒ. unam ex zaccaro conficiãtur. Reliquo intermedio tempore à uere ad autumnum, nisi quando æstus magnitudo impediet, hisce catapotijs utendum consulo. Aloës selecti, & aqua feniculi temperati, uel eiusdem succo drach. duas: rhabarbari electi, & uino albo macerati drach. unam, agarici in trochiscos formati scrup. quatuor. corticis myrabolanorum citrinorum & chebulorum, cum oleo amygdalarum dulcium confricatorum, cuiusꝗ drachmæ dimid

dimidium: seminum feniculi aceto rosaceo temperatorum, scrupulum: rosarum, mastiches, cuiusq; dimidium scrupulum: ex succo rosarum fiat massa, ex qua formentur sex pro drachma. sumantur tres hora decubitus longè à cibo quatuor horis. Quæ enim catapotia ad capitis fluxiones *In Aphorismis.* dantur, ea à cibo & sub noctem sumpsisse uel Rasis testimonio præstat magis. Autumno hæc sumenda potio ante uacuationem. Cichorij borraginis, intybi latioris, omniũ cum radicibus, cuiusq; manipuli dimidium: herbæ feniculi & uerbenæ, tantundem: folliculorum sene mundatorum unciæ dimidium, fiat ex arte decoctum adiectis floribus communibus: & anesi semine, sumantur ex decocto unciæ sex, cum uiolaceo syrupo, uel eo qui capillorum dicitur. Quo quidem diebus aliquot assumpto, sumat pilularum aurearum, & cochlearũ ana drachmæ dimidium, formentur ex rosaceo syrupo. Post congruam humorum à capite euacuationem myrabolanorum emblicorum zaccaro conditorum usus maximoperè mihi probatur. Nec illud tibi mirum uideri debet, si tot uacuantibus auxilijs occurrendum censui: quòd diuturni affectus, ex fluxione præsertim ge- *13. Meth.* niti, non nisi similibus auxilijs tolli prorsus soleant, inquiente Galeno, diutinas oculorum fluxiones, dimissis quidem oculis, & ad capitis curationem conuerso, uarijs uacuationum generibus curasse. Quod si te ab huiusmodi uacuationibus deterius habere, nec quicquam proficere affirmes: uti nobis planè sæpius confirmasti, testatus inde magis fluxionem excitari. Dicendum id quidem sæpe fieri, attenuato & ad motum ducto humore, qui per medicamentum agitatur: sed tamen non ob id à leuiter soluentibus medicamentis cessandum: quinimo ubi id acciderit, reassumenda censeo quæ quicquid commotum est citra uirium deiectionem auferre possint. Nam quod à tali causa in oculum defluxit, parcitate, quiete, somno & leni fomẽto ex aqua decoctionis fœnigræci discutitur. *Vbi suprà.* Siquidem Galenus fortes etiam & diutinas ad oculos fluxiones, ualida se quandoq; purgatione uno die curasse scribit.

Addam modo ea quæ oculis accommodata, ne fluxionem suscipiant prohibere, & robur parti addere possunt: inter quæ confert post præfatas purgationes, frontem & faciem totam manè aceto rosaceo, & aqua abluere, idq; æstate: hyeme uino crassiore ex aqua. Item & hoc linimentum defluxionem si quid aliud cohibere poterit, olibani drachmam, spicænardi drach. dimidium luti armenici ritè parati, sanguinis draconis, mastiches cuiusq; scrupulum. excipiantur oui albore, & fronti atq; temporibus post uniuersales purgationes admoueantur diebus sex aut octo continuis: post quos foueatur locus aqua tepida decoctionis chamemeli & fœnigræci, ne obstruantur externi meatus. Hyeme oculi manè uino ita parato abluendi. uini albi acerbi non ualdè potentis lib. unam herbæ feniculi si haberi possit, manipulũ: sin minus seminis eius. ℥. unam sampsuci manipuli dimidium, tutiæ ex urina pueri præparatæ, unciæ dimidium: bulliant omnia simul unico feruore, postea rudi laneo panno stillent, & liquor in uase uitreo bene obturato ad usum seruetur. Aestate aqua sit parata, rosarum rubearum recentium partes tres: herbæ feniculi partem

partem unam, incidantur & probè misceantur, & destilletur aqua non ad solitum seplasiariis modum, sed uel in solo uapore aquæ, in uase bullientis, supra posito scilicet uase eo in quo præfatæ herbæ recipiuntur, uel in balneo mariæ uocato: sed ita, ut in recipiente aquam uase pugillus earundem herbarum imponatur, adiectis auri tenuissimis foliis numero XII. ut supra id totum stillæ cadant quæ ex uase manabunt. Prodest & hic puluis mirificè per hyemem præsertim & uer à cibo sumendus: qui accipit cinamomi electi. ℥. unam, macis. ℥. ß. eufrasiæ. ℥. iij. saccari electissimi. ℥. iiij. misce: præstantissimum id est ad uisus aciem roborandam. Quamobrem illius frequens esse poterit apud te usus. De laqueo, uesicationibus, & candenti ferro adhibendis, illud censeo, ni ab medicamētis his quæ in eam rem parata sunt, melius tibi esse agnosces: ut laqueum ad ceruicis initium imponi perita & docta manu iubeas, indeq; fluentes ichores, diu multumq; manare sinas: sic enim maximè in oculos fluens humor deriuabitur. Quòd si ne hac quidem ratione affectus curetur, tum candens capiti adhibendum ferrum, ea parte quæ bregma dicitur. Nam iuxta uetustissimi Hippocratis sensa, Quæ medicamentis non curantur mala, ferro & igne curare oportet. Deus autem optimus Maximus, qui solus languores sanat, adesse tibi bonitate sua dignetur.

*Aphorismo ulti. septimæ sectionis.*

*De scirroso tumore ex crassa pituita & atra bile inuicem mixtis, secundum imum uentrem ad ilium sinistrum in utero fixo: unà cum doloribus tensiuis, & acrimoniæ interdum sensum inferentibus: spirituq; plurimo flatuoso. Pro illustri quadam muliere.*

ENARRATIO VI.



INTER ea quæ ad medici munus pertinere omnes passim prædicant, præcipuum illud esse, & à medico omni cautione seruādum uetustissimus dixit Hippocrates: ut in rectè dignoscendis iis ad quos curandi causa accersitur morbis, curam omnem suam & cogitationem ponat: confirmatum id habens, quos rectè nouerit morbos probè eos à medico curatum iri. Quamobrem cùm grauissimus nobis sit propositus curandus affectus idq; in principe fœmina, moribus, candore, probitate, genere, imprimis uerò claris & præcellentibus animi dotibus: pietate, fide, religioneq; insigni. In eo nobis ratio omnis ponenda erit, affectum ut ipsum notis peculiaribus quàm fieri poterit exactissimè pernoscamus: cognitumq; qua dabitur diligentia ac methodo curare tentemus. Notionis porrò morbi initium, ab ipsa ægrotantis natura seu temperie, uictu, consuetudine que petendum erit: quòd uel Galeni testimonio. Quæ præter naturam sunt, cognosci plenè non possint, his quæ secundum naturam sunt prætermissis. Ex his igitur quæ rationis indagatione, & sensuum fide apparent, constat præstantem hanc fœminam, à iusto temperamenti modo ad calidum & humidum labi: humiditate tamen uincente, quod ex totius habitu paulò pleniore succulentioreq;, ex mollicie tactu percepta, coloris suauitate, uenarum amplitudine, sanguinis copia, se-

*Lib. de Arte, & 2. de Rat. uic. acut. textu 38.*

*Lib. de Constit. artis. & 2. Meth.*

xu, educatione molliore, ocio multo, uictu lautiore, cæterisq; notis id apertè monstrantibus colligi facillimè potest. Quæ sanè cuncta, si Galeno creditur & Auicennæ, calidam & humidam totius temperaturam demonstrant. Quæ etsi nunc indicia in ea non appareant omnia, quòd in pallidum mutatus sit faciei & totius corporis color, mutata pulsus ratio, nec idem qui antea carnosus habitus, non ob id tamen à præfata sententia discedendum. Quippe natiuum habitum euertere possunt animi curæ, mœrores, perturbationesq; uariæ, corporis graues affectus, quibus sanè omnibus cùm diu & multum lectissima hæc fœmina fuerit agitata, penéq; obruta, nimirum si in alienum ab eo quo diximus habitum deductio facta sit. Itaque cùm ob perpessos multos animi angores, quos sibi filiorum immaturæ mortes, uiri præstantissimi atq; nobilissimi in ætatis flore inopinatus decessus, lites contentionesq; cum suis uariæ peperere, in quartanam febrim incidisset, tandemq; in lienis tumorem, ut ferè semper ab huiusmodi febri fieri solet, atrabilarij copiam succi ipsam collegisse iure censendum est. Cuius sanè succi redundantis testimonium, excrementa aluo uteróq; reiecta, abundè præstant: ut in quibus & crassis & nigris, multa eius humoris sese prodat admistio. Quin & illud animaduersione dignissimum, menses in hac præstanti fœmina non secundum stata naturæ tempora, nec tanta in copia, quanta per bonam ualetudinem prodire solere, ipsamq; & continentissimam, & pudicissimam pro uiduarum more uixisse. unde factum fuisse putandum est, ut uterus uaria maláq; intra se excrementa collegerit, quibus facultatis excretoriæ imbecillitate sensim congestis, uterum malè affici consequens certè fuit. Siquidem mensium in mulieribus paucitas, uel inordinatus cursus, plenitudinis in utero morbos creare solent, uti Galeno & Auicennæ uisum. Nec omittendum, quòd præter atrabilarij succi in hac laborante copiam, multum etiam crudorum succorum flatuumq; est inuenire, crassæ præsertim lentæq; pituitæ. quorum sanè generatio natiui caloris imbecillitatem, uentriculiq; à suo munere defectionem sequi consueuit, uel Galeni, & omnium denique medicorum testimonio. Talia uerò in corpore subesse, excreta per clysteres excrementa demonstrant, quæ crassiciem miram, lentorem & uiscidi-tatem habent: ut prorsus eius generis pituita uideri posit, quam Praxagoras uitream (quòd liquato uitro similis esset) nuncupauit. Mirum autem nemini uideri debet, pituitosa modò, qualia mox diximus, atrabilaria interdum eijci excrementa. Nam cùm quæ secundum uentrem & intestina consistunt excrementa, expelluntur, ea quidem cruda & pituitosa uideri necesse est, uentriculo scilicet parum suo munere functo. Cùm uerò in penitioribus uasis contenta, ea pro sui generis natura, crassiora & atræ bilis speciem referentia apparere consentaneum certè uidetur: facit enim inæqualis & uaria in diuersis huius dominæ partibus intemperies, ut alia atq; alia excrementa gignantur. Quorum quidem excrementorum aliqua lienis, & iocinoris, & uteri intemperiê, alia uentriculi & reliquarum partium sequuntur. Eò autem in hunc de humorum redundantia sermonem incidimus, ut perspecta omni succorum quibus hæc domina abundat

*In Arte medic. cap. 57. Fen. 2. primi. dec. 3. cap. 3.*

*6. de Locis affec. Fen 21. tertij. tract. 4. cap. 25.*

*6. de Sympt. cau.*

dat natura, propiùs morbi enarrandi essentiam pernoscamus. Nam ut belle Hippocrates ait, nisi quibus primò constemus, quidq; in corpore nigeat, probè nouerimus: quæ conferant, quæq; morbum propulsent, methodo adhibere minimè poterimus. [*Lib.1.de Victus ratione seu de diæta.*] Adde quòd cùm ab huiusmodi succis in corpore redundantibus, morbi qui à plenitate sunt omnes originem ducant, eorumq; (si Hippocrati creditur) causæ statuantur, fieri non posse putaui, ut eius exacta morbi notio habeatur, cuius non fuerint præcognitæ causæ. [*Lib. de Morbis 1.*] unde natum illud Galeni (ab Aristotele, ut puto, profectum) arbitror, Methodicos medicos morborum causas assignare & inquirere inde præsidiorum copiam coniectantes. [*2.Method.*] At uerò cùm uel eiusdem testimonio, principium methodi medendi morbi sit cognitio, enarranda nobis plenius omnis morbi natura erit: à rei ipsius essentia initio sumpto. [*2. Meth.*] (Sic enim decet eos qui cum demonstratione quidpiam sunt dicturi). Noscuntur porrò interni affectus (si Galeno creditur) ex operationum læsionibus, accidentibus, excrementorũ qualitate, tum à tumoribus præter naturam, dolorum specie, coloris uitio, sede affecta, & cæteris huiusmodi. [*Galen.5. de Sympto. cau. & 2. de Placitis Hipp. et Plat. In Arte med. cap.75. & 1. & 2. de Locis affec.*] Est itaq; præcipuus in præstanti hac domina affectus, tumor quidam scirrosus, admodum durus, cum tensione ualida atq; renixu: quem sanè tumorem flatus plurimi, doloresq;, modò tensim, modò pungentes, & acrimoniæ sensum inferentes comitantur. [*Affectus huius mulieris.*] Subest autem duricies ea secundum imum uentrem parte suminis sinistra, inter inguen & umbilicum, qua parte sensui conspicuus sese prodit tumor. [*Sedes affecta*] Vnde illud constare arbitror, muliebres locos, in hac præstanti domina affectos præcipuè esse, idipsum enim loci affecti positus indicat. Sita enim est matrix inter uesicam rectumq; intestinũ, cui ferè toti incumbit: uesicam autem iuxta umbilicum, ubi fundum ipsius est, magna ex parte superat, uti à uesica secundum ceruicem ipsius superatur. [*Vteri Anatome ex Gale. 14. & 15. de Vsu part. & lib. de dissect. uuluæ.*] Habet autem uterus & ceruicem & fundum: hoc quidem in umbilicum, illa in pudendum accedit. Sinus item duos, in dextrum & sinistrum protensos, atq; ab utraq; fundi parte ex lateribus testes instar masculorũ duos habet, à quibus paulò inferius utrinque processus apparent mamillares, ad ilia inclinantes quæ cornua uocant. Quamobrem cùm pars ea suminis, quæ inter inguen est & umbilicum, tota turgida sit, dura, & tensa: censendum secundum fundum matricis, sinu sinistro, duriciei huius magnam partem consistere. Quod notis euidentissimis probari potest, [*Notæ morbi*] quarum quidem certissimæ ex sensu tactus desumuntur, qui duriciem ipsam secundum quam diximus partem apprehendit: tum & urinæ reddendæ difficultas, crurum infirmitas, & extenuatio, atq; subinde totius corporis uentris imi tumor, pectinis, coxendicum, dorsi, & inguinum læsio, præfati affectus in utero consistentis non dubia signa præbent. Quibus si crassorum humorum uti antea diximus in hac domina copiam, uteriq; facultatum (expultricis præsertim) infirmitatem adiunxerimus, non est quòd certiora ad morbum inuestigandum indicia requiramus. Nec ita uelim hæc accipi, quasi exquisitum scirrhum affectum hunc esse statuam: cùm sit is, uel teste Galeno durus quispiam & sine dolore tumor: [*14. Meth.*] quod huic conuenire minimè potest, qui

& magnis & clamoſis doloribus loca ſubinde uaria obſidentibus coniungatur, flatu nimirum plurimo & craſſo exitum per anguſta uaſa petente. unde tenſiuos gigni dolores conſequens certè eſt: quæ Galeni 11. de Locis affec. eſt ſententia. Quod & ipſum declarat flatus plurimi ore facta reiectatio: (ructum uocant) quæ cùm fit, ſuſcitatis ab eo doloribus alleuationem non minimam præſtat. Quanquam & in hac doloris cuiuſpiam alterius ſenſus appareat, roſionis ſcilicet & mordicationis ſpeciem referens: cuius ego doloris cauſam, acrem & craſſum ſuccum uehementer impactum eſſe cum Galeno & Auicenna exiſtimo. Atq; his notis non tam affectum ipſum, quàm ſedem affectam plenè cognoſci poſſe confido.

*2. de Loc. aff. Fen 2. primi. doc. 2. ca. 20.*

Sed quando non ſolùm hæc, uerùm etiam cauſam ipſam noxam inferentem, ad rectam morbi curationem conſiderare oportet, ita tradente Galeno: cùm uel eiuſdem teſtimonio, curatio poſt effectricis cauſæ cognitionem ſtatim ſe exhibeat, reddēdæ nobis propius affectus huius cauſæ erunt, quò facilior ſit medendi methodus. Fuerunt igitur externæ & præincipientes affectuum horum cauſæ, iniuſta & incauta uictus ratio: in qua non in qualitate modò, & delectu ciborum, ſed & ordine, præpoſtero uſu, tempore, & menſura peccatum eſt: error etiam in cætera omni uita, ut neq; potionis aut exercitationis opportunæ, nec inanitionis aut plenitatis, nec ſomni aut uigiliarum, congruens ſeruandæ ualetudini habita ſit ratio. Vnde factum putandum eſt, ut multis in corpore congeſtis ſuccis, crudis his quidem atq; lentis, morbo huic anſam præbuerint. Siquidem omnium morborum ueluti radix (ſi quid Galeno & Auicennæ creditur) cruditas ipſa cenſenda eſt. Accedunt præterea longi antea perpeſsi ab hac præſtanti domina morbi, quartana febris, lienis & uiſcerum tumores, animi graues perturbationes, luctus, mœrores, curæ, quæ cuncta tum ſanguinem adurendo, tum uires labefactando, ſymptomatis his quibus nunc non leuiter premitur, occaſionem ſanè maximam præſtitere. Itaq; corporearum cauſarum præcipuæ erunt, membrorum horum intemperaturæ, nempe uentriculi, lienis, uteri, item & atrabilariorum ſuccorum cum crudis redundantia atq; commixtio, quod & excrementa utriuſq; humoris ſpeciem referentia, & ipſe turgidi loci color plumbeus cum albedine quadam indicat. Atque hæc de cauſis breuiter. unde illud conſtare puto quàm ſit huius affectus curatio difficilis: ut cuius origo à craſsis ſit & atrabilarijs ſuccis, locuſq; affectus in penitioribus corporis reconditus, excrementorum ad ſe tranſmiſſorum redundantiam facilè excipiens. Cuius item affectus curandi difficultatem augent, dolores percepti, qui cùm punctionis ſenſum adferant, cancrum tandem futurum minari uidentur uel Auicennæ ſententia: tum & ægrotantis ipſius parum obſequens medicorum conſilijs natura grauiorem in curando affectionem non parum reddet. Nec dubitandum, quin ſi perſtent dolores, uel in cancrum, uel in hydropem tandem ſiccam morbus hic deſinat: dicente id in Aphoriſmis Hippocrate: quæ tamen & ipſa ſi quæ debetur morbo præcautio diligens adhibeatur, uitari ſanè poterunt, & laborans ipſa in meliorem habitum reſtitui: fiet autem id, ſi & doctis medicorum conſilijs

*2. de Loc. aff. & 7. Meth.*

*Cauſæ morbi*

*Lib. de Conſtit. artis. Fen 13. tertij. cap. de debilitate ſtomachi.*

*Præſagium.*

*Fen 21. tertij. trac. 2. ca. 14.*

*4. Aphoriſm. textu 11.*

liis stabit, & iustam uictus rationem ad unguem seruauerit: tum & si ea perscribetur à medico curandi methodus, quæ morbo esse quàm appositissima uideatur. Erit autem saluberrima quæ mox subscribetur. Principiò quoniam uictus ratio siue in secunda ualetudine seruanda, siue in propulsando morbo plurimum momenti habet, ut Galeno pluribus in locis uisum, ea instituenda erit, quæ & quantitate, & qualitate, & modo usus, morbo conueniat, siquidem instituendæ uictus rationis ii tres præcipui scopi à Galeno proponuntur. Quod ad quantitatem igitur pertinet, ea cautio habeatur, ut quoad curatus sit morbus parum quidem alimenti, sed sæpius probeque nutrientis adferatur. Siquidem ubi laborantis uires debiles fuerint, & ea quæ in corpore est dispositio, uel ex corruptione humorum, uel defectu fuerit, parum alimenti quod probè conficiatur, sed sæpius exhibere oportet, ex Galeni in Aphorismis sententia. Quòd cùm in nostra hac ægrotante usu ueniat, (quæ & morbi longitudine, & medicamentorum copia, & doloribus multis, & uigiliis, ciborumque auersione diu grauata fuit multumque deiecta) pauco quidem cibo & utili, sed crebrius dato reficienda erit. Sit autem qualitas quæ cum morbo suis qualitatibus & substantiæ modo pugnet. Quamobrem cùm ex lentis & crassis, tum & atrabilariis succis morbus constet, deligendus is uictus erit, qui & secandi, & attenuandi, tum & discutiendi facultatem habeat. Præstant id ex cerealibus, panis ex purissimo tritico probè paratus, molliter ac summa diligentia coctus, cui & salis & fermenti plusculum, anesi uerò seminum aliquantum sit admixtum: utetur uerò eo dum recens est, unius tantum aut duorum dierum, idque sublata crusta, quæ crassum & atrabilarium succũ parit. Ex quadrupedũ carnibus, uituli hœdique imprimis conueniunt. Inter esculentas aues, capi iuuenes, gallinacei pulli, nondum coëuntes: præsertim si pinguiusculi sint: perdicum item ac columborum, probè conueniunt. Adhæc phasiani, turtures, turdi, ficedulæ, & cæteræ quæ in terrenis & saltuosis pascunt: parum enim hæc recrementi in se habent, facillimè concoquuntur, benè alunt, probum sanguinem generant. Quamobrem optimè conuenire uidentur. Oua gallinacea recentia, sorbilia præsertim, aqua diffracta, boni succi esse probeque alere ab omnibus est receptum. Piscium nullus certè quidem (si morbum spectes) usus conuenit: sed quando ægri naturæ & consuetudini aliquid, ut uult Hippocrates condonandum est, ea in eorum usu ratio habenda erit, ut quàm optimi optimeque parati, siue è pelago siue fluminibus sumantur raro in cibum ueniant. Ex maritimis probantur asellus, buglossus, aurata, mullus: sed aurata præcipuè, de qua illud rectè quidam prodidit, eam inter pisces peculiari quadam dote singularem & saporis simul & salubritatis gratiam obtinere: qui eas nimirum in ratione alendorum ægrorum leuioris nutrimenti existimauit. Ex fluuialibus conueniunt trotta, lucius, & saxatiles omnes, tum & qui Leo apud Plinium, cammarus apud nos dicitur. Pisces omnes salubritatis causa iubet Galenus in craticula subditis mitioribus prunis, oleo, sale acetoque conspergi quò facilius concoquantur. Ex leguminibus nullum propè conuenit. Cicerum tamen rubeorum

*Curatio.*

*2. de diff. feb. cap. ulti.*

*1. Aphorism. commen. 29.*

*1. Aphorism. commen. 17.*

*1. Aphorism. textu 17.*

*Lib. 9. Natu. histo. cap. 31. et lib. 32. cap. ulti.*

*3. de Alimen. fac. cap. 29.*

decoctum, ex adiectis petroselini folijs, uel hyssopi, salutariter exhiberi potest. Fercula, quæ ex ptisana, aut pane ex iure carnis excepto parantur, utilia erunt: borragine, menta, hyssopo, petroselino, ex oleribus uti quandoq; poterit. Fructus horarij crudi præsertim, uitandi omnes illi erunt: ex his tamen uoluptatis causa modicè æstate media prunis, quas pertigonias uocamus, olim ut uult Aëtius iberica dicta, tum & damascenis atq; onychinis, quas prunidactyla in nostro orbe appellare solemus, uti poterit, adhæc ficubus uuisq; exactè maturis, pyris, coctanisq; in secũda mensa uti, si molliter cocta sint, & zaccaro uel anesi semine zaccarato respersa nihil prohibet. Inter tragemata tamen & bellaria quæ secundis mensis apponi solent, cotoneorum conditura, coriandrorum & anesi præcipuè conueniunt. Aromatum quæ mitiora placent, utatur itaque cinamomo, croco, chariophillis ad robur uentriculo addendum, pituitamq; dissecandam, idq; hyeme. Vinum sit odoratum, tenue, mediocriter uinosum, non tamen acutum, dulce, aut crassum: hyeme modicè, æstate liberius dilutum. Hæc in uniuersum quæ in ratione ciborum potionisq; conueniunt. Fugiat plenitatem omnem ciborum in eadem mensa, copiam, uarietatem, apparatum, cupedias, repetitas uoluptatis causa à cœna compotationes: Crassa, glutinosa uiscida, dura, assata, salsa, acria, flatuosa uitet. Quæ ex lacte & arte pistoria parantur uitet omnia. Cibum labor, hoc est corporis congrua exercitatio præcedat, si per ualetudinem id illi liceat: sin minus, frictione matutina exercitij loco utatur. A cibo nullis se aut animi aut corporis defatiget laboribus, uentrem ad satietatem nunquam impleat: cruditatem quoad eius fieri maximè poterit ne admittat: quæ si quãdoq; enascatur, inedia, clysmate, aut uomitu leuare eam omni nixu contendat. Somnus sit nocturnus septem ad summum horarum: interdiu uigilet: frigido aëri, nubibus obducto, imbreq; madenti, austrino & aquilonaribus flatibus ne temerè se exponat: iram, mœrorem, metum, graues animi curas omnibus uiribus uitare studeat. Atque hæc de uictus ratione.

*Libro 1.*

Quod ad medicamenta pertinet, illud in primis animaduertendum, tumores duros quocunq; consistant, sine totius corporis ab atris seu crassis succis uacuatione curari minimè posse. Nam in omnibus omnino morbis, in quibus effectrix causa adhuc manet, ab ea inchoari curatio debet, nempe quòd semper causam, si Galeno creditur, abscindere prius oporteat. Quamobrem cùm ab uitioso succo tumores huiusmodi proueniant, ut libro de Tumo. præter natu. is autem medicamento educendum se esse indicet, ut IIII. Methodi à Galeno proditum, consequens certè est, ut ab ea indicatione, quam morbus suggerit, curationem omnem auspicemur: cùm ex Galeni sententia, uniuerso prius corpori, quàm affectæ parti sit prospiciendũ. Vnde illud rectè ab Auicenna dictum arbitror, Apostema inquit durum (de uteri apostemate loquens) oportet ut medicetur & euacuetur cum eo corpus, humoribus crassis & melancholicis. Quam sententiam idem rursus, dum durorum apostematum rationem ex professo tractat, expressit. Sed quãdo & uires ipsæ corporis longo iam morbo &

*Gal. 4. Meth. & in Arte medicinali.*

*4. de Composit. medi. secũdum locos. et 4. & 14. Method.*

*Fen 21. tertij tract. 4. cap. 15. & Fen 3. quarti. tract. 2. cap. 12.*

bo & graui labefactatæ, & humoris crassicies atq; copia, multam aut subitam fieri uacuationem prohibeant: adhibenda ea in uacuando cautio erit, ut sensim & modicè, leuibusq; medicamentis per certa & stata tempora assumptis perficiatur: sic enim libro de Locis in homine iubet Hippocrates: præsertim cùm laborans ipsa suapte natura ad excretionem facilis sit, & à leuissimo etiam medicamento ducatur. Nam cùm uires deijciant uacuantia præsidia cuncta, uel Galeni testimonio, sicq; in morbis *9. Meth.* omnibus præcipuè longis quæ de uiribus sumitur indicatio omnium prima atq; potissima: præcustodienda uirium substantia erit, ne crebris aut magnis uacuationibus dissoluatur. Quamobrem ex Hippocratis libro de insania consilio, remissionem potius & ueluti cessationem quandam ad tempus concedendam esse statuo: quàm ut crebris potionibus in eam ægrum ducamus debilitatem, ut à medicamentis concidat. Appetente igitur uere consentientibus uiribus, mittatur huic præstanti dominæ sanguis: ex sinistri cubiti uena media, si morbus adhuc in principio sit: sin iam inueterauerit, consulerem uel è poplitibus, uel saphena cruris sinistri mittendum. Nam siue retrahere, siue deriuare à loco affecto uelimus: per coniuncta locis affectis uasa facere id expedit, ut est Galeni sen- *2. ad Glauco. cap. 13.* tentia. eoq; è sinistra semper parte sanguinem (si opus sit) detrahere oportebit, quòd tumor eam partem obsideat. Sed quando iam plusculum temporis morbus hic processit, præstiterit arbitror magis, è malleolo quàm è cubito misisse. Mittatur autem pro uirium tenore ad uncias ad summum octo: cui tamen sanguinis missioni, nisi aluus sponte fluat, præmittatur mollis clyster, ex decocto maluarum altheæ, acanthi, betæ, linozostis, furfurum, florum cameli, anesi, & aneti seminum, adiecta siliqua ægyptia & cōfectione oxyphænici & oleo uiolaceo. Post missum sanguinem fluxile reddere corpus, & uacuationi idoneum sequentibus potionibus paret. Accipe quinq; radicum communium, corticum radicum capparorum, & myricæ, omnium mundatarum, & in aceto per noctem temperatarum, cuiusq; unciā unam: buglossi, intybi latioris, & cichorij omnium cum radicibus cuiusq; manipulum, summitatum hyssopi, artemisiæ, feniculi, melissæ, matricariæ, cæterac, adianti, cuiusq; manipuli dimidium: uuarum passarum pinguium exacinatarum, uncias duas: medullæ cartami unciam unam, seminum anesi, careos, maratri, cuiusq; drachmas duas: thymi epithymi cuiusq; drachmam, florum uiolarum & buglossi ana pugillum unum: lento igne coquantur ad tertias & adiectis serapijs ex radicibus, bizantino, & ex scolopendria, potio paretur, quam sumat continuos sex dies ieiuno uentre. Post hæc potio detur ex rhacomatis diluto, ad drachmas duas: agarico trochiscato ad drachmam unam, confectione hamec ad drachmas duas: excipiantur decocto sene & modico epithymi & florum communium. Nec ego ad ualentiora transcenderem, quòd sciam istæc leuiora commodè & sine molestia ducere. à ualentioribus medicamentis terreri ægram, & in praua symptomata, uiriumq; defectionem duci. In crastinum medicamenti sumendum, theriaces antidotum ad drachmam unam ex condito buglossi.

Bis mense singulo accipiat decoctum hoc: folliculorum sene mundatorum, & expressorum ex aqua buglossi unciæ dimidium: anesi seminis drachmam unam, medullæ cnici sesquidrachmam: sirupi ex infusione rosarum unciam unam, potio paretur bis in singulos menses sumenda: uel si catapotia malit, sumat ex pillulis de hiera cum puluere sene, modico agarico, epithymo, & zinzibere additis. Sed quādo à medicamentis per os assumptis, cuius ea cunq; generis sint, malè eam affici plena fide cognouimus, horum loco suadeo, ut si commodè posśit, uomitum sibi procuret, accepta post cœnam aqua decoctionis raphani tepida, cum modico serapij acidi, quod uacuationis genus in hoc affectus genere ad reuulsionem commodisśimum existimo: uel si minus id posśit, clysmate mollitiuo semel per hebdomadam aut bis utatur, ut antea præscriptum est. Ad uentriculi & uiscerum intemperiem amouendam, utatur sequenti conditura, quæ accipit, Triferæ sarracenicæ uncias tres: confectionis alchermes Mesuei, unciæ dimidium, confectionis de hiancrito Auicēnæ drachmas tres: pulueris pliris, & diamoschi dulcis, & diambræ, ana drachmam unam: pulueris ex margaritis, quem diamargariton nostri uocant, scrupulos quatuor, ex sirupo corticis citrij, uel melle emblicorum, aut sirupo de buglossa confectio paretur: cuius dosis sit aureorum duorum ter in hebdomada.

*Gale. 14. Method. & 2. ad Glau. Paulus lib. 3. cap. 68. Aëtius lib. 15. cap. 3. & lib. 16. cap. 86.*

Iam uerò ad locum affectum propius accedendo, quoniam tumor omnis ademptionem sui postulat: id nobis in hoc scyrroso tumore per emollientia & discutientia tentandum erit: id enim scyrrosus tumor (si Galeno, Paulo, & Aëtio creditur) indicat. Sed ad rectam tumoris duri huius curationem ea habenda cautio erit, ne aut nimium emollientibus, aut fortiter discutientibus prorsus utamur: siquidem illa nihil discutiunt: hæc tenuem humorem omnem absumūt, & quod reliquum est incrassant & indurant. Itaq; iuxta prædictorum autorum sensa, molliatur primum durus tumor dies aliquot, dein medicamentis appositis discutiatur, ex ijs quæ non ualidè trahunt aut digerunt, sed quæ discutiendo molliant: & modicè excalfaciant. Quamobrem meritò Auicenna id dixisse est uisus,

*Fen 3. quarti. trac. 2. ca. 12.*

Et oportet (inquit) ut ponantur curationi eius (de scyrroso apostemate loquens) duæ reuolutiones, reuolutio resolutionis cum lenitate, cum eo quod non exiccat plurimum. Quæ uerba à Galeno II. ad Glaucon. & XIIII. Meth. mutuasse uidetur. Foueatur igitur locus oleo aneti & liliorum in quibus ebisci radix incocta sit, & spongia filtro'ue calenti leuiter'que expresso, fotus fiat; à quo mox ungatur durus tumor sequenti cataplasmate.

*2. ad Glauc. cap. 19.*

Accipe radicis alteæ in oleo liliorum abiecto interiore ligno incoctæ lib. unā, muccaginis seminis lini & fœnigræci ana. ℥. ij. medullæ ceruinæ si haberi posśit, ut quæ omnium in hac re uel teste Galeno præstantisśima sit, uel loco illius uitulinæ ℥. iij. axungiæ anseris & gallinæ ana. ℥. unam, misce & à fotu utere. seruetur hic ordo dies totos quinq;: post quos apponatur quod sequitur digerens medicamentum ex Galeno sumptum. Ammoniaci pinguioris. ℥. ij. dissoluatur in aceto albo & additis styrace & bdellio

bdellio molliore ana. ℥.unam, extendatur in corio tenui, & tumori admoueatur biduum totum, sufficietq; semel tantum in die mutasse, postea denuo redeat ad fotum priorem: & à fotu ad cataplasma, ab eo ad emplastrum hoc. Complet item hanc ipsam intentionem, integrè molliendi atq; discutiendi, emplastrum hoc quod accipit Ammoniaci, galbani, bdellij humidioris, cuiusq; ℥.unam, dissoluantur diligenter in mortario cum oleo aneti modicoq; aceti acuti, postea adde muccaginis fœnigræci & seminis lini, cuiusq; unciam: caricarum pinguium numero XII. pistentur accuratè & incorporentur simul. Vterus pessis etiam subditis molliatur, & purgetur, ad quod præstantissimus est Auicennæ pessus ad *Lib.5. tract. 6. ad finem.* duritiem matricis inscriptus, in hunc modum: Diaquilonis.℥.ij.medullæ cerui & uituli, axungiæ tauri, gallinæ, & anatis, ana.℥.unam, stercoris ouilli, styracis utriusq;, myrrhæ ana.℥.ß.croci.ʒ.ij.olei nardini.℥.unam, liquatis adipibus cum oleo & omnibus ritè subactis, misceantur & ex serico rubro excipiantur fiantq; pessi longitudinis digiti longioris, quos sibi subdat filo ad crus appenso. Hanc ego ex medicorum melioris notæ doctrina, huius morbi methodum curatiuam (si qua sit curandi uia) esse puto: quam Deus optimus maximus in ægrotantis salutem perficiat.

*Ad uirium ex diuturno grauiq; morbo infirmitatem reparandam, crurumq; ad motum impotentiam pro spectabili uiro Ioanne Baptista Bernardino ciue Lucensi.*

## ENARRATIO VII.

Ex his quæ nobis de affectu, uarijsque symptomatis præstãtis uiri Ioannis Baptistæ Bernardini, de scripto medica narratione cognita sunt, illud imprimis constat, spectabilem hunc uirum, diuturna febri, multisq; abscessibus menses aliquot laborasse: cuius equidem ægrotantis, & si minimè nobis aut ætas, aut temperamentum, totiusq; corporis natiua habitudo, uitæ modus ac ratio, perspecta sunt: à quibus sanè curandi indicationes post eam quæ ab affectu sumitur capere uel Galeni testimonio oportet: *1. de Medica. secundũ locos* quantum tamen artificiosa uocata coniectura assequi licet, ritè illud æstimare possumus, natiuum huius uiri partium robur, natiuamq; constitutionem longè ab ea quæ secundum naturam, esse debere, idq; tam ualidi diuturniq; morbi iniuria desciuisse. Est enim grauis diuturniq; morbi proprium, uires corporis uniuersas statumq; corporis omnem labefactare. Quamobrem cùm & morbi longitudo & atrocitas, & curationis grauitas ferro, igne, sectionibus multis constans, plurimum boni humoris ac spirituum hauserint: à quibus uirium robur in partibus omnibus consistere solet, meritò existimandum, dissolutionem earum maximam factam esse. Vnde minimè mirum uideri debet, crura secundum sua ipsorum munia infirma atq; suo muneri obeundo inepta (uti ad nos perscribitur) esse. Quippè & uiciatorum humorum influxu (qui ad eas partes ob earum positum pronus ac facilis esse solet) & dolorum magnitudine,

qui

qui & ipsi tum unitatis solutione, tum intemperaturæ uehementia, atque humoris uel copia, uel uitio, ingentes excitari solent: & temporis mora, consequens fuit, partes has plurimum affici, eoq; non leuem subire noxam, dicente Galeno, Partes ipsas secundum excrementorum in ipsis degentium naturam uariè affici solere: ipsaq; excrementa longitudine moræ deteriora fieri. Vnde cùm abscessus plurimos, idq; uarijs in partibus corporis, hic uir perpessus sit, (uti ad nos scribitur) & uirium infirmitatem per morbi decursum notabilem adfuisse, & qui abscessus creabant humores, frigidos, crassos, ac lentos secũdum crura plurimum extitisse, atq; in eas partes ceu ignobiles ui propultricis facultatis decubuisse, colligere promptum est: dicente nimirum Hippocrate, In ijs febribus quæ prorogantur, si decretoria non probè decernant, abscessus expectandos fore. Natura utiq; quod molestat per excretionem minimè finire potente: quæ docta etiam Galeni est sentẽtia. Sed cùm iam ab ijs omnibus quæ ægrum malè habebant tum morbis, tum symptomatis medica methodo curatus esse æger dicatur: solumq; ad uirium robur tum corporis uniuersi, tum maximè crurum firmandum, consilium de nobis exigatur: præscribemus breuibus, quæ in eam rem profutura speramus: doctrinæ ac probitati eorum, qui prius præstantem hunc uirum curarunt, confisi: quorum nos iudicio nostra hæc proponimus exactius limanda, atq; perpendenda. In primis utatur aëre libero, perflato, lucido: uitet triste cœlum, nubibus obductum, caliginosum: omnem aëris excessum, siue ad calidum siue ad frigidum, fugiendum maximè putet: nam ab altero dissolutionẽ uirium nimiam, ab altero neruosarum partium læsionem expectare oportet. Sit itaq; per æstatem hanc futuram, cubiculum illius amplum, patentibus fenestris ad orientem solem septentrionem'ue expositis: cuius cubiculi solum, lectusq; odoratis floribus, folijsq; rosarum, uiolarum, iasmeni, uethonicæ coronariæ, quam uulgus florem guaryophilatum uocat, atque similium sternantur. Austrinum flatum summopere deuitandum iure existimet. Manè experrectus, membra omnia leuiter confricanda curet: idq; lineo panniculo tenui, quoad rubeant confricata membra, tumq; à frictione cesset: sed prius aluum uesicamq; exoneret: quæ ubi perfecta fuerint, ambulationibus lenibus, si ingredi poterit: sin minus, lectica, gradario'ue equo, per amœna atq; uirentia loca ante cibum se exereeat: domumq; reuersus aliquantum temporis intermittat: quoad se conceptus à motione calor remiserit, tumq; cibum sumat leuem, facilem, boni succi. Sit autem cibus qui citra obstructionem impleat, humectet, celeriter permeet, facilè conficiatur: uti panis recens molliter studioseq; coctus, sale atq; fermento modico respersus. Sit uitulina caro in usu, hœdina, pullorum, perdicum, capi iuuenculi, & paruarum auium nemoralium: utatur cremore ptisanæ, amylo ritè parato, pane loto ex iure pulli excepto, simila, & eius generis ferculis. In iuribus autem incoquantur decorticatum ordeum, agni hœdi'ue pedes, cochlearum terrestrium caro maximè à nobis laudatur, item earum iusculum, uel aqua eliquatione earum in uase duplici extracta: oua sorbilia, mollia, recentia ex usu sunt: cancri fluuiatiles,

*7. Meth.*

*4. Aphorism. textu 44.*

*3. de Crisibus et pluries alibi.*

les, trotta, umbra ex piscibus: item buglossus, (quem soleam uulgus uocat) pagrus, asellus, mullus, ex maritimis conueniunt. Vinum sit tenue, fuluum, odoratum, iucundi saporis, olygophoron uocatum, non potens aut uinosum: bellaria, & quæ secundis mensis apponuntur tragemata, sint nuclei pinei aqua rosacea & zaccaro respersi: citrij caro & cortex, & quæ ex cotoneis conficitur conditura. Quoniam uerò imbecilla uentriculi uirtus est, nec multum cibum conficere potens: partiendus cibus erit, ut non uniuersus affatim, sed modicus dispertitis uicibus assumatur. Motio omnis præsertim quæ citata est, à cibo ualde noxia esse creditur: non corporis modo, uerùm multò amplius animi. Quamobrem à cibo neq; scriptionem, neq; lectionẽ, neq; ualidam aliquam animi ad rem aliquam contentionẽ probo: sed quietem potius, atq; tranquillitatẽ: idq; omne tempus, his cum amicis confabulationibus transigendũ puto, quæ in conuiuijs haberi solitæ sunt. Sit tamen inter hæc uenter mollis, nec excrementis grauis: quòd si spontè talis non sit, arte fluxilis fiat, mollibus iusculis decoctionis mercurialis, betæ, borraginis, prunorũ in iulebo uiolato madefactorũ, & aqua multa & zaccaro incoctorũ, atq; præassumptorum crebro usu, item & pinguiũ uuarum passarũ. Quòd si hæc non satis sint: & subductione maiore indigere æger uideatur, subducatur aluus rosaceo sirupo ex infusione rosarũ, uel rhacomate & siliqua ægyptia, quam cassiam hodiè fistularẽ nostri uocant, uel aëreo melle, manna uocato. Quin interdum conferre censemus folliculorũ senę ex iure pulli decoctũ, ad drachmas sex uel unciam unã. Medicamentorum omniũ usum ab his proximè narratis reformidet. Quòd si occasione aliqua ad hæc transire oporteat, sint eius generis quæ conuellere uires iam defectas minimè possint, excrementa leniter mouere queant, quale est hiera uocata Galeni, quæ ex octo rebus cõstat: & quæ ex hac catapotia cõponuntur, uel quæ elephanguiæ cum rhachomate uocantur. Laudamus etiã in id molles clysteres mordacitatis nihil habentes, quales ex decocto capitis uel uiscerum castrati uel pulli fieri solent, adiectis lini, fœnigræci, & melonum seminibus, modico ordeo & furfuribus: in quibus tandem dissoluantur uitellorum ouorum numero II. zaccari rubei. ℥. ij. olei uiolati unciæ tres. Ex confectionibus renutritorijs, utatur confectione ad reges & prælatos nuncupata descriptione Mesuei. Item ea quæ ex capi uel perdicis molliter coctæ pectoribus exenteratis, cum uuis passis, amygdalis delibratis, pistacijs, nucleis pineis, confici solet: adiectis cinamomi electi, sandali citrini, margaritarum, cuiusq; drachma: ex zaccaro optimo & aqua rosacea exceptis: mirificè enim attenuatas à diuturno morbo uires reficit, substantiam corporis auget, alimoniã bonam præstat, colorem uiuidum florentemq; facit, atq; demortuam appetentiam excitat. Crura uerò præfatis firmanda ad munus suum erunt, tum maximè lotionibus ex chamemeli floribus, rosarum, stecadis, libanotidis, ex uino & aqua paratis atq; inunctionibus ex unguento resumptiuo uocato, oleo rosaceo omphacino adiecto. Quæ nos in præsens curationi huius præstantis uiri sufficere posse speramus, aut potius præcautioni ne à nouo occupetur morbo. Quæ nos omnia

omnia magna fide ex probatissimis autoribus attulimus. Deus autem optimus maximus, huic ægro salutari sua ope atque clementia opitulari dignetur.

*De tussi diuturna à pituita aquosa, sed lenta, pro Archidiacono Aedis uirginis sacræ Auenionensis, uiro præstantiss.*

## ENARRATIO VIII.



VETVSTISSIMVS medicorum Hippocrates nihil æquè quicquam medico curandum, atque omni mentis intentione prouidendum iure statuit, quàm ut ægri ipsius, eius'que quem methodo medica summouendum assumpsit morbi, naturam omnem, uires, causasque exactè omnes consideret: cùm sine horum diligenti animaduersione curari nequicquam affectus possit. Itaque breui complectar quæ mihi de affectione hac tua, nempe tussi, cuius causa me consulendum duxisti, sentiam. Hinc facto initio, naturæ certos quosdam inesse motus, statosque quosdam impetus, quibus se excrementis noxijs leuare contendat. Vnde sternutationem ad id ualere rectè Galenus asseruit, ut quæ in cerebro hæserunt, eo impetu foras pellantur, uti quæ in uentriculo uomitu, sic sanè cùm & in pectus atque pulmones non rarò ea delabantur, quæ noxam illapsa faciunt: ualidum quendam excogitauit natura motum, quo quæ lædunt noxia excrementa, explodat. Vnde illud ab eodem Galeno rectissimè dictum est, Tussim uehementissimam quandam esse efflationem, qua plurimus spiritus foras erumpens impetu suo extrahit, exploditque excrementa meatum ipsius obstruentia. Et alio loco, Contingit, inquit, ad tussim impetum cieri inæqualitate quadam in gutture præter naturam proueniente. Quippe cùm spiritus per puram leuemque ferri uiam consuetus, si quando in eminentia quædam impingat, tumultum quendam ac ueluti inæqualem concussionem in gutture efficit, atque ita ad tussim animal prouocat. Quum uerò pathema hoc uaria in se habeat discrimina atque species, quæ exequi in præsens minimè est operæpretium: existimo tamen ego, eius in te initium ex cerebri intemperie promanasse: quod ipsum quum & suapte natura imbecillum sit atque frigidum, & excrementis redundet, facilè in subditas atque fluxioni paratas partes superuacua mittit: unde primùm hanc tussim per consensum à cerebro mittente, nunc uerò per propriam etiam partiũ thoracis & pulmonũ intemperiem fieri (quam Græci πρωτοπάθειαν: sicuti alteram illam συμπάθειαν uocant) censeo: membris iam illis aliquantum à diutina fluxione imbecillioribus factis. Quamobrem cùm alimentum ad se transmissum non satis exactè conficere ipsæ possint: laboremque etiam coangustatione quadam, seu natiua, seu à morbo aduentitia, quo minus impacta in ijs excrementa facilè pelli queant: necessum inquam est ualidum hunc excitari motum, quem tussim esse dicimus, ad ea ualido impetu explodenda, quæ intus hæserunt. Quantum autem ex notis perspicere arte licet, uidentur aquosa, insipida, sed tamen aliquantum lenta & uiscida

2. de Rat. uic. acut. & lib. 1. de Morbis.

Ex Gal. 5. de Sympto. cau.

5. de Sympt. cau.

uiscida esse quæ intus continentur excrementa: quæ cùm interdum lentore suo hæreant, interdum aquositate sua imbibita uehementer sint, tussim interdum siccam, interdum cum excreatu, facilem nonnũquam, aliàs uerò difficilem & molestam faciunt: prout expultrix earum partium facultas, foras pellenda ualido uel imbecillo agitatu mouet: prout item excreandorum substantia ab introcluso spiritu uel eliditur, uel dissipatur, & in suos meatus regeritur, uel ipsa lentore suo & crassicie impacta, uehementer thoracis aut pulmonum cauitatibus & bronchijs hærent: quæ docta est Galeni, Pauli, Aëtij, & Auicennæ sententia. Atq; hæc breuiter de morbo & illius causis. Vnde præsagire illud licet, cùm neq; acris ac mordens, neq; salsa aut uitiosa sit quæ morbum parit pituita, sed aquosa potius, & insipida, nihil subesse à morbo periculi: cùm neq; tussis ipsa in præsens saltem, aut appetentiam, aut somnum tollat, aut difficilem spirationem, quam Græci δυσπνοίαν uocant.

*Galenus 5. de Sympto.cau. Pau.lib.3. ca. 28. Aëti.Ser. 8. capite 54. Auic.Fen 10. tertij.tract.3. cap.1.*

*Curatio.*

Porrò curationis uia in congrua uictus ratione posita esse omnis, mihi quidem uidetur. Aër itaque frigidus summoperè uitandus, ut qui uel Hippocratis testimonio pectori atq; tussi ualde sit inimicus, proinde aquilonaris flatus, qui in hac tota cauorũ ora uehemẽtissimus esse, per hyemem potissimum solet, omni cura fugiẽdus erit: fumum item, puluerem, & quæcunq; guttur ac fauces exasperare possunt cauere oportebit. Ab acidis præterea, salsis, acutis, frixis, flatuosis, glutinosis ac lentis, abstinendum perpetuò erit. Sit autem cibus tenuis, facilis, concoqui minimè contumax: boni succi, grati saporis, præsertim dulcis: nam dulcia pectori conferunt: & qui pituitæ & obstructioni meatuum plurimum renitatur, careat crassitie, lentore, & mala omni qualitate: sit in eo modus, non satietas & impletio, sed famis cohibitio: & collabentis naturæ hoc ueluti præsidio alleuatio. Parcitas perpetuò utilis, satietas nunquam non molesta & grauis. Potus sit quidem exiguus, sed optimo atq; electissimo uino constans: æstate quidem copiosius, sed dilutius, hyeme parcius, sed meracius bibendum. Exercitatio blanda & mollis, hoc æstatis præsertim matutino temporius facta, exoneratis prius uesica & aluo, probè conuenit, maximè uerò uectatio gradata & stataria. Hyeme concitatior & longior utilis perhibetur. Clara item lectio, uocis moderata intensio, manè facta pulmones atq; stomachum mirè iuuare creduntur. A cibo quiescendum, nec motione ulla fatigandum corpus, concoctionem enim impedit. Quin & animi acris ad aliquid unum intentio uehementer esse à cibo noxia perhibetur. Quamobrem ut Celsus ait, legere, scribere, uoce contendere, meditari à cibo minimè licet, sed post concoctionem id facere. Somnus sit nocturnus septem circiter horarum, capite probè ad puluinar eleuato: primum in sinistrum latus, mox in dextrum inclinato corpore: sic enim imbecillo uentriculo tuo ut concoquat melius consultum erit. A somno experrectus leuiter membra fricet, pectat caput, sordes ab auribus, ab oculis, manibus, à reliquo corpore per secessum & urinam excrementa mouere tentet: sicq; in leuem ambulationem, aut uectationem perueniat. Diurnus somnus à cibo omnium sententia medicorum

*5. Aphorism. textu 24.*

*Lib.1. cap.2. & 3.*

*Ex Auic.Fen 13.tertij.trac. 3.cap.5.*

damnatur; fluxiones enim excitat, & cibum corrumpit. Ab animi curis quoad eius fieri maximè poterit abstinendum.

Quod ad medicamenta pertinet, quoniam nec grauis est morbus, & præsens temporis constitutio ab horum usu dehortari uidetur, est enim æstas media eaq; grauis & æstuosa, neq; etiam temperies ipsa tua & habitus corporis, atque uitæ modus hæc expetunt, breui absoluemus. Id tantum admonentes, leuibus & naturæ maximè familiaribus, ut rectè Galenus docet, rem omnem esse transigendam. Itaq; mollibus clysteribus uenter ducatur semel per hebdomadem acceptis: nam acres infirmæ naturæ non sustinent. Fiant igitur in hunc modum: Accipe quatuor herbarum mollitiuarum, cuiusq; manipulum, seminum melonum cum cortice contusorum unciam, anesi seminis drach. duas, caricarum pingulum paria sex ordei, furfuris cuiusq; pugillum unum; incoquantur omnia in iure capitis castrati uel omasorum, & facta colatura adijciatur catholici medicamenti drach. decem, zaccari uncia una, olei è uiolis unciæ tres: fiat clyster manè ante cibum sumendus. Si autem hos non lubens sumat, utatur decocto prunorum ex zaccaro uel pinguium uuarum passarum exacinatarum & multo zaccaro, & serapio rosato infusionis rosarum, uel mercurialis ex iure pulli decocto. Galenus uerò siccas ficus ex medulla cnici, id est cartami, & modica resina terebinthina senibus & tussiculosis propinabat. hæc omnia leuiter aluum mouent, nec naturæ negotium faciunt. Poterit etiam si maior urgeat uacuandi necessitas rosaceo sirupo ad uncias tres, ex decocto folliculorum sene, hyssopi, & passularum quandoq; uti, idq; in aurora. Nec ego ad grandiora aut acutiora pharmaca progredi auderem, ob uirium tuarum imbecillitatem, & habitus corporis raritatem. Autumno uerò paulò amplior metu aduentantis hyemis, uacuatio ex usu esse poterit, sed quæ simplicissimis & maximè appositis fiat medicamentis, nempè agarico, ex rosaceo melle excepto, qui unicè pectoris morbis conferre creditur: rhabarbaro ex decocto pinguiũ uuarum, glycyrrhizę, hyssopi, & ordei. Ad expurgandum uero pulmones & pectus, eglecenata nostris uocata, hoc est linctus dulcium maximè prodest: in quo primas tenere creditur, qui ex hyssopo paratur sirupus, & qui ex glycyrrhiza conficitur, adiecto præsertim pauxillo oxymellis ritè confecti item omniũ maximè, butyrum ex despumato melle, si ad butyri unciam duæ mellis adijciantur, ieiunoq; deuoretur. Esse autem oportet butyrum recens, pingue: non salsum, acutum'ue. Nonnullis in usu est buccellam panis leuiter tostam hoc incrustare, sicq; panem ipsum butyro & melle incrustatum deuorant: quod & ego maximè probo. Inter cætera uerò hoc esse præstantissimum, ac naturæ maximè gratum inueni: Accipe caudarum cancrorum fluuialium ritè coctorum. ℥. iiij. nucleorum pini recentium, ex aqua hyssopi lotorum & exsiccatarum. ℥. ij. amygdalarum dulcium delibratarum. ℥. unam fisticorum. ℥. unam ß. carnium passarum pinguium mundatarum. ℥. ij. pistentur omnia fortiter in mortario marmoreo, & per cribrum setaceum ex aqua decoctionis hyssopi & passularum transmittantur, postea adde radicis iris. ℥. ß. pulueris electuarij resumpti-

ui rec

*4. Meth.*

*6. de Sanitate tuenda.*

ui recenter facti. ʒ.iij. penidiarum. ʒ.sex, amyli. ʒ.unam ß. cinnamomi electi. ʒ.ij. fiat confectio ad linctum. Hæc in præsens sufficere mihi sunt uisa. Deus autem Optimus Maximus horum usum sua bonitate felicitare dignetur.

*De Morbo regio ex calida iocinoris atque totius intemperie calida, cum redundantia bilis plurimæ, & imbecillitate facultatis discretiuæ hepatis, pro spectabili uiro Cuilielmo Bruneto, prætore urbano Arelatæ, ad Laurentium Brunetum illius fratrem.*

## ENARRATIO IX.



CVM perspectum illud haberem Laurenti uir præstantissime, nihil me quicquam tibi gratius efficere posse, quàm si eam à me de fratre tuo prætore urbano rationem esse habitam declararẽ, quæ haberi ab eo debet, qui se erga utrunque uestrum quàm gratissimum atque officiosissimum probare uelit. Quod quidem meum officium erga prætorem fratrem tuum, cæteraque mea studia, cùm tibi homini gratissimo grata fore cognoscerem, nihil antiquius habui, quàm ut huius meæ in te fratremque tuum uoluntatis testificationem tibi aliquam darem, ex qua tu cognoscere plenè posses fratris tui ualetudinem maiori mihi in dies curæ esse. Qua de re tota, deque illius rationibus cogitans, constitui quæ in rem fore illius sum arbitratus, ad te uirum magna eruditione, excellenti ingenio, omnique cumulata uirtute ornatum perscribere: ut tu qui in fratrem tuum omnes pias propinquitates, officijs, amore, omnia necessitudinum uincula superas: qua es in illum charitate atque amore, saluti suæ prospicere, & fraterna monitione ad ea quæ illi salutaria sunt futura, hortari, urgereque summo studio atque beneuolentia possis. Itaque quod mearum partium fore putaui, morbi naturam omnem, illius causas, indicia præsagia, methodum denique curatiuam accuratè præscribere, summa id ego cura atque studio præstabo: ab ipsius ægri explicanda natura exorsus, quòd quæ præter naturam sunt dignosci minimè possint, ignotis ijs, quæ secundum naturam, ita tradente Galeno. Quippe citra naturam corporis cui medemur exactè inuentam, *1. et 2. Meth. & Hippo. 2. de Rati. uic. acut. text. 38.* fieri nequit ut uel de morborum differentia quicquam inueniamus: uel auxiliorum conuenientium copiæ compotes simus. Ex ijs itaque quæ ab eodem autore in arte medicinali traduntur, constat natiuam fratris tui temperiem, ad calidum & siccum inclinare: ut cui principes partes, cor presertim & iecur, talem secundum naturam sint temperiem nactæ: quòd uenarum in eo conspicua latitudo, percepta ad tactum caliditas, pulsuum citatus motus, flauæ bilis redundantia, actionum celeritas, lotij pallor accensus, excrementorumque alui ad eundem colorem inclinatio, cæteraque huius generis omnia indicant. Quumque uel Aristotelis testimonio in congeneos cuiusque temperamenti morbos, facilis sit transitus, nihil mirum uideri debet, si in arquatum morbum quem regium uocamus (ἴκτερον uero Græci) hic tuus frater inciderit, qui sanè affectus, definiente Paulo ni- *Lib. 3. ca. 50.*

hil planè est aliud, quàm bilis per uniuersum corpus suffusio. Quamobrem cùm auruginosus secundum corporis summa appareat color in fratre tuo, ipsum arquato corripi certissimum esse debet. At cùm affectus huiusmodi uaria habeantur discrimina, differentiæ multò plurimæ, à quibus longè diuersæ medendi rationes petuntur: ad quamnam eius differentiam reduci affectus hic debeat, nobis exactius contemplandum: cùm speciem morbi omnium primum esse inuestigandam (si rectè curare uolumus) medicorum uetustissimus Hippocrates tradiderit. Est porrò icteritia quædam quæ iudicatoria nuncupatur, per quam morborum aliqui iudicantur, quæ nihil dum noxæ sentiente iocinore contingit, prioreq; morbo hominem liberat, effusa in cutem pallida bili. Quo de genere dixisse Hippocratem legimus: Quibus in febribus morbus regius septimo, nono, undecimo, uel decimoquarto superuenerit, bonum. Est & altera quædam quæ à feris mordentibus sanguinemq; eo colore commaculantibus, euenit, ut in Cæsaris uenatore accidisse Galenus testatur. Tertia illa est quæ (referente Galeno) ab ipsa iocinoris natiua temperie mutata ad calidum præsertim & siccum, citra etiam obstructionem, inflammationem, aut scirrhum prouenit. Quarta ab ipsius uisceris obstructione, uiriumq; eius imbecillitate (discretiuæ præsertim uel expultricis) accidit: interdum uerò ipsius fellis uitio, lienisq; hanc euenire omnium testimonio constat. Quoniam uerò medendi methodus citra morbi speciem perfici non potest, arte nobis dijudicandum, ad quam harum differentiarum referri fratris tui morbus debeat. Ex notis uerò euidentissimè constat, ad tertiam icteritiæ speciem hanc ipsam, quæ fratrem tuum torquet, esse referendam: ad eam scilicet, quæ ex iocinoris calidiore præter naturam intemperie, cum imbecillitate facultatis eius discretiuæ, citra obstructionem prouenit: quod multis, ijsq; certissimis signis declaratur. Siquidem, autore Paulo, quum regius morbus è calido solidorum corporum atque adeò iocinoris distemperamento nascitur, (quo in bilem quicquid eius alimenti ratione offertur, degenerat) tum non uno impetu & confertim, sed sensim & pedetentim gignitur. Adest præterea feruor ueluti quidam in uniuerso corpore, hoc est, caliditas quædam supra iustum naturæ modum percepta ad tactum: nulla uerò in hypochondrio dextro grauitas, nullus tumoris sensus: præterea lotia coloratiora, & multa bile suffusa: sic etiam alui excremēta, quæ ob admistam bilim flauescunt, contrà quàm in ea quæ ab obstructione fit, accidere consueuit: ut in qua bili ipsa ad intestina ferri prohibita, alba fiunt quæ emittuntur. Appetentiæ etiam deiectio, morbi diuturnitas atq; constantia, pruritus in uniuerso perceptus, citatus uenarum motus, & ipsarum ad tactum caliditas, sitis, & quædam ueluti corporis arefactio: nulla in iocinore percepta aut tensio, aut duricies, aut grauitas, apertissimè indicant affectum hunc non solùm ab ipsa iocinoris intemperatura supra iustum calidiore, sed à totius distemperamento cum uirtutis hepatis discretiuæ imbecillitate prouenire. Quæ omnia ex Galeno V. de Locis affec. Paulo lib. 3. Auicenna Fen XV. tertij, & Rasi IX. ad Almansorem colligi possunt. Quibus si eam quæ à uictu

præced

*2. de Rat. uic. acut. text. 38.*

*4. Aphorism. textu 64.*

*5. de Loc. aff. cap. 7.*

*Lib. 3. ca. 50.*

præcedente sumitur indicationem adieceris, exactam nancisceris morbi rationem. Cùm enim in omni uictus ratione (ut à te ipso accepi) incautus fuerit frater tuus, ac sine delectu omni ciborũ genere (salsorum præsertim) usus, mirum non fuerit ab hac praua uictus ratione uitiatos fuisse humores: ipsumq́ hepar à natiuo sui temperamento plurimum desciuisse. Prauus enim uictus (ut testatur Galenus) ægrotandi occasionem sanis adfert. Quamobrem rectissimè idem consulit, ut omnibus praui succi cibis consultò abstineamus: ne longa dierum serie prauus in uenis succus collectus, negotium corpori, immedicabilesq́ morbos creet. *2. de Febr. diff.* *2. de Alimen. fac. cap. 7.*

Hæc de morbi natura demonstratiuisq́ signis. De causis nunc dicendum: quum curari affectus nequicquam possit, nisi sublata quæ ipsum excitauit causa VII. Metho. auferri uerò minimè potest, non ipsa prius cognita. Itaq́ ab externis incipiendo, praua, quam modo dixi uictus ratio, calidis & salsis cibis constans, multam bilem gignentibus, magnam morbo pręstitisse occasionem, non generationis suæ modò, sed & diuturnioris consistentiæ, iure optimo censendum est. Ex corporeis uerò ipsa totius corporis atque iocinoris intemperatura, iusto calidior, per quam multa bilis copia genita est, primas partes tenere credenda, quæ & ipsa plurimum iuuatur à facultatis discretiuæ iocinoris imbecillitate. Quum enim hæc facultas ob bilis in uasis redundantiam, minimè suo munere fungi possit: efficitur, ut sanguis plurima bile suffusus maneat, sicq́ commaculatus in totum corpus feratur, unde auruginosus color proueniat. Cùm uerò morbus diuturnitate sua altas iam radices egisse uideatur, curatu contumacem esse concludere est necesse. Vnde rectissimè illud Auicenna dixit, Et cùm icteritiæ non curatur neq́ discutitur materia, timor in ea est, & pluribus eorum accidit repentina mors. *Fen 15. tertij. tract. 1. cap. 3.* Quamobrem omni erit illi conatu uiribusq́ omnibus prouidendum, ut ex arte sumptis præsidijs morbum curare studeat: quod ut commodius facere possit, ea conscribam, quæ & præsentem percurare affectum, & futuri noxam prohibere efficacissimè possint. Curatiua autẽ methodus duobus potissimùm perfici scopis debet, quorum alter causæ effectrici prospicit, alter quod effectum est curat: hoc est, auruginem in uniuerso corporis habitu consistentem tollit: quæ docta Pauli & Auicennæ est sententia. *Curatio morbi.* Causa uerò effectrix, cùm intemperatura iocinoris atq́ adeo totius corporis ad calidum nobis posita sit, unà cum bilis redundantia, uacuanda bilis, atq́ intemperies emendanda: post hæc discutiendus qui ab hac creatus est color. *Paul. libro 3. cap. 30. Auic. Fen 15. tertij. tract. 1. cap. 6.* Quoniam uerò intemperatura iocinoris, bilis redundantiæ atq́ generationis causa est, ea primum auferenda: idq́ congrua uictus ratione perfrigerante, atq́ citra obstructionem humectante, dein etiam leui sanguinis missione, quæ perfrigerare commodè, uires autem conuellere minimè possit: tum uerò uacuanda modicè bilis, atq́ aliò reuellenda: postremò aurugo ipsa tollenda. Itaque præmisso leui enæmate ex decocto maluarum, betæ, acanthi, uiolariæ, & linozostis, atq́ pugillo ordei, in quo dissoluatur medullæ siliquæ ægyptiæ. ℥. x. olei uiolacei unciæ tres secetur illi uena cubiti dextri interna (id enim iubet Auicenna) exhauriantur q́ san- *Vbi suprà.*

guinis unciæ tantum sex, ne uirtus quæ iam à morbi grauitate & longitudine fathiscit, lædatur. A misso sanguine, sumat potionem quinque aut sex continuis diebus in hunc modũ paratam. Quæ accipit, intybi utriusque, buglossi, fumariæ, lupi salictarij, singulorum manipulum: absinthij comæ manipuli dimidium, uuarum passarum pinguium exacinatarum uncias duas, prassij uiridis comæ, modicum, seminum frigidorum maiorum mundatorum, singulorum drach. unam, florum cichorij, borraginis, uiolarum, ana, pugillum unum: decoquantur ex aqua fontana ad tertias, & colentur colaturæ: adde serapij ex cichorio cum rhabarbaro, uncias quatuor: sirupi de bizantijs uncias tres, oxymellis simplicis uncias duas, cinnamomi selecti, santali citrini, cuiusque drachmæ dimidium: conficiatur apozema. quo quidẽ apozemate finito, sumat sequentem potionem: quæ accipit, seri caprini uncias quatuor, in quo infundatur cnici. ʒ. ij. foliorum raphani numero. ij. summitatum fumariæ, manipuli dimidium: incoquantur simul, & colentur colaturæ: adde rhabarbari in eodem sero caprino præinfusi. ʒ. unam ß. electuarij rosati. ℈. iiij. sirupi de cichorio. ℥. ij. fiat potio. est enim hæc ad id morbi appositissima, ut sumi potest ex Auicennæ sententia. Fen X V. tertij. tract. I. cap. V I. Euacuata bile, remoueatur intemperatura iocinoris, partim ebibitis, partim cataplasmatis modo impositis. Bibat itaque per hebdomaden succi cichorij. ℥. iiij. uini albi optimi. ℥. ij. misceantur & ieiuno uentre deuoret. Aut electuarij ex sandalis confecti frusta duo, in dies singulos capiat. foris uero hepati admoueatur sandalini cerati. ℥. iiij. cui adijciantur absinthij comæ pugillus, spicæ indicæ drachmæ duæ: olei de absinthio quantum sat est. Vbi hæc peracta fuerint, uideaturque abunde bilis uacuata, balneo se credat ad auruginis iam genitæ submotionem. Sit autem balneum tepentis & dulcis aquæ, in quam adianthi, & apij, item betæ, hyperici, & rubiæ folia inijciantur: nec multam in eo moram faciat, ne uirtus lædatur: in quo dum degit, bibat radiculæ cremoris, id est succi foliorũ raphani, cyathos duos: uini albi cyathum unum, hoc est cremoris uncias quatuor: uini duas fermè, pendet enim cyathus autore Paulo drach. xij. ℈. iiij. uini, cuius autoris testimonio præfatum antidotum summopere ad arquati morbi discussionem ualere accepimus, idem etiam confirmante Auicẽna Arabe. Sudet autem si possit in balneo, & naribus attrahat succi radicis betæ quantum sat est: uel elaterij ex lacte muliebri temperati, modicũ, id enim præstantissimum esse cùm Paulus, tum Aëtius testantur. Qui quidem autor omnium ad id fortissimum esse ait sutorium attramentum, id est uitriolum ex lacte muliebri temperatum & attractum: uerùm poscam in ore continere tum maximè opus est. Confert etiam plurimum tota sui substantia uermes terrenos in tenuissimum pollinem ustione deductos, ex uino mulso ieiunis dedisse, ad fabæ magnitudinem: idque triduo continuo, uti Aëtius monet: qui miram huic antidoto uirtutem tribuit, quod prius libro de theriaca ad Pisonem fecit Galenus. Vnde & Aëtium & Auicennam huius auxilij tantopere laudati uires sumpsisse credendum est. Quod si hæc profecerint, uti prodesse meritò existimandum est, rectè se

*Tractatu de Ponderibus.*

*Paul. lib. 3. capite 30.*

*Aëti. Ser. 10. cap. 14.*

*Vbi suprà.*

res habebit: sin minus, sumat radicis rumicis, id est oxalidis, decoctum ad tertias redactum, ut Aëtius & Auicenna monent: id enim efficacissimum est auxilium. *Vbi suprà.* uel quod Nicolaus & Guilielmus Placentinus mirificè laudant, experimento à se probatum. Sumatur prassij uiridis libra: pistetur, & in uini albi lib. vij. incoquatur, ad tertias, & percoletur: de qua colatura unciæ quatuor in aurora, uesperi uerò tres sumantur. Ad præuisionem uerò sumat catapotia hęc omni hebdomade. ℈.ij. Pulueris hieræ Galeni. ʒ.ij. agarici trochiscati. ℈.iiij. rhabarbari electi & subtilissimè puluerisati & uino albo irrorati. ʒ. unam, seminum cuscutæ, anesi, & apij ana. ℈. unum, formentur ex succo cichorij.

In primis uerò quod ad uictus rationem pertinet cautum eum maximè esse oportet, ne incongrua uictus ratione morbum grauiorem reddat: quod facere sæpe solet praua uictus ratio, uti Galenus pulcherrimè II. de Febrium diff. capite ultimo docet. Aër itaque æstuosus, calidus, austrino flatu turbatus, item & ualdè frigidus, borealis, uitandi. Hic enim meatus coarctat, ille fluxiones excitat, & bilim auget, temperato utendum. Cibi, ut Aëtius monet, sint incidendi facultate præditi, omnes attenuatorij, qui facilè transmittantur, & temperatos succos gignant: quod præstant ex cerealibus panis ex puro frumento probè subactus, cui ordei ad detersionem tertia pars sit adiecta: fermenti & salis quantum sat est habens, moderato igne coctus, ne crustam concipiat: quæ ægro maximè uitanda est. Auiculæ sint, pulli gallinacei cohortales, pręcipuè capi iuuenculi, perdices, & montanæ omnes. Ex piscibus qui saxatiles dicuntur, & in libero mari capiuntur, quorum sunt squamæ plurimæ, fragilis, pura, & tenuis caro. Inter olera primas tenent omnia intyborum genera, asparagi, smyrnium, & huius generis talia: oua recentia tremula in aqua elixa, testa amota & ex oxalidis succo sumpta, probè faciunt, iure cicerum rubeorum & brassicæ uti quãdoq; potest. Ex fructibus uuæ passæ præstantissimæ sunt habendæ, item amygdalæ delibratæ, si modicè sumantur. bellariorum rarus sit usus, præsertim mellitorum, citonij tamen conditura ex zaccaro, item & citrij caro condita, utilia esse perhibentur: ieiuni autem (ut Aëtius uult) citrium repurgatum sumant, qui ictero laborant. Vinum conuenit album, uel fuluum subastringens, non uetustum. Sit autem in omni uictu summa parcitas, ne uel obstructio, uel cruditas ex nimia plenitate nascatur. Somno utatur paulò longiore, atq; quiete.

Qui enim arquatum patiuntur ex calida intemperie, motum, uigiliam, iram (ut Paulus & Auicenna monent) uitare debent. *Vbi suprà.* sed in primis iram, tanquam lethale uenenum, quæ id efficit, ut efferuescat bilis, & extra feratur. Atque per hæc non solùm curari: sed & à deteriore lapsu prohiberi diuina fauente gratia poterit.

*De castanearum natura quid senserit Galenus, & pugnantium ea de re apud eundem autorem locorum conciliatio.*

## ENARRATIO X.



ALIMENTORVM omnium naturam tractãs ex professo Galenus, compendio quodã omnium censuram fecisse, eo libro, qui περὶ εὐχυμίας καὶ κακοχυμίας inscribitur, planè est uisus, quod cum sine alimentis ne uiuere quidem nobis, neq; in secunda, neq; in aduersa ualetudine liceat: magni autem intersit quibus quisq; ad corporis salubritatem utatur cibis: operæpretium facturum se est arbitratus, si omnium ex æquo uires, naturam, effectionesq;, quas efficere pro sua quisq; natura apti sunt, arte quadam traderet: ut quibus utendum nobis esset, à quibus cauendum, cunctorum quidem ueluti in tabula expressa natura, planum faceret atq; perspectum. Itaque eo ipso libro cerealium & eorum quæ ex animantibus sumuntur prius pertractatis uiribus, ad arborum fructus deflexa tandem oratione, qui eorum boni succi, qui mali sint exactè monstrat. De castaneis uerò sermonem instituens, eas quidem crassi succi esse æquè ac reliquæ glandes, at nullatenus praui conceptis etiam uerbis explicauit.

Ἀλλὰ ὅσον γε τῶν βαλάνων αἱ ἄκυλοι στρυφνότεραι, τοσοῦτον τῶν καστανείων αἱ βάλανοι. πάνυ γὰρ ἀσθενῆ ταύτην τὴν στύψιν ἔχει ποιότητα, τῶν παχυχύμων ἐδεσμάτων ὄντα ταῖς ἄλλαις βαλάνοις ὡσαύτως. ἀλλ' ἧττον τε στεγνοῖ τὴν γαστέρα, καὶ μᾶλλον ἐκείνων πέττεται, καὶ οὐδόλως ἐστὶ κακόχυμα. φυλάττεσθαι δὲ δηλονότι χρὴ καὶ τούτων τὸ πλῆθος, οὐ μόνον ὅτι παχύχυμόν ἐστι πολλοῖς τῶν εἰρημένων ὡσαύτως, ἀλλ' ὅτι καὶ στεγνωτικὰ τῆς κοιλίας καὶ δύσπεπτα καὶ φυσώδη.

Sed quantò (inquit) acyli inter cæteras glandes, ualentiore astringendi facultate sunt: tantò hac in re ab ipsis glandibus castaneæ superantur. In his enim astringendi facultas ualdè imbecillis est, quamuis æquè ac reliquæ glandes inter crassi succi cibos annumerentur. commodius tamen concoquantur ac nullatenus praui succi, & astringendæ aluo minore efficacia sunt. Sed harum usu uberiore abstinendum, non ea tantum de causa, quòd sicuti multa quæ diximus crassi succi habeantur, sed quòd ægrè concoqui, aluumq; astringere, & inflationes excitare posśint. Rursus paulò pòst,

Εἰσὶ δ' οἱ μὲν ἀπὸ δένδρων ὀλίγου δεῖν ἅπαντες κακόχυμοι πλὴν τῶν καστανείων ὀνομαζομένων βαλάνων. αὗται δὲ πεφθεῖσαι καλῶς ἐν τῇ γαστρὶ τρόφιμοι μέν εἰσι καὶ παχύχυμοι, κακόχυμοι δ' οὐδαμῶς.

De fructibus deinceps agendum est: nanq; quos arbores ferũt, omnes ferè (ut ita dixerim) mali succi sunt: his tamen exceptis balanis, quas castaneas uocant, quæ si in uentriculo concoquantur, efficaciter nutriunt: atq; eæ crassi quidem, nunquam autem mali succi sunt.

Hinc certè Galeni de castanearum natura mens quæ fuerit, perspici planisśimè potest: uult enim inter arborum fructus castaneas, si modo probè in uentriculo concoquantur, (ægrè enim ob soliditatem substantiæ confici, diutiusq; hærere, nec facilè permeare queunt) etsi crassi eæ succi sunt,

ci sunt, minimè tamen improbi esse, efficaciterqꝫ alere corpus: præbent enim alimentum tum crassum, tum dissolui maximè contumax. Ab uberiore tamen earum usu eò abstinendum cõsulit, non solùm quòd crassum gignant in corpore succum: sed quòd ægrè concoqui, aluum cohibere atqꝫ adstringere, inflationes excitare suapte natura soleant. Atqꝫ hæc quidem libro de Boni & mali succi cibis. Libro uerò de Attenuante uictus ratione, quasi sui immemor, oblitusqꝫ eorum quæ ea de re eodem ipso de Boni & mali succi libro dixerat, pugnantia planeqꝫ diuersissima dixit, (Græca apponere cùm is liber in Græcè impressis Germaniæ uoluminibus non habeatur, minimè potui: Latina tantum apponam) Castaneæ, inquit, siue elixentur, siue assentur, siue denique frigantur, semper sunt prauæ, & multò magis si crudæ mandantur. Verùm si quis cum Galeno rationem ineat, an non fidei illum suæ meritò postulet, & causam pro se dicere cogat? Si enim castaneas crassi quidem, nunquam autem improbi succi esse libro ante citato bis pronuntiauit. Quomodo hic eas ipsas quouis modo paratas, perpetuò prauas esse affirmauit? Nũquam enim quicquam prauum esse, & idem semper prauum esse, non'ne opposita esse dicemus? Cùm itaque altero loco Galenus semper prauas esse castaneas dixerit, (nempe libro de Attenuante uictus ratione) altero uerò nunquam praui esse succi, & si crassi sunt, (libro inquam de Boni & mali succi cibis) nunquid & sui oblitum, & sibi pugnantia dixisse Galenum uerò affirmare poterimus? Nisi hac una tantum ratione à proditæ ueritatis nota asserere eum, ac uindicare ualeamus: quòd cùm perpetuò prauas esse castaneas astruxit, non ad succi quem in corpore gignunt prauitatem, id referendum censuerit, (non enim prauum gignunt in corpore succum, sed innoxium & probè ualentem) sed magis ad id quòd ægrè ac difficulter conficiãtur: quòd aluum adstringant, quòd inflationes excitent: quæ omnia, quouis ipsæ modo parentur, sed multò magis si crudæ sumantur, inferre natæ sunt. quorum meritò prauas semper existere, iure dixisse est uisus: non ad succi ab ipsis geniti naturam intuens, sed magis ad ea quæ inferre nata sunt symptomata. Ea igitur ratione prauas semper esse castaneas meritò Galenus existimauit, quòd crassi succi cùm sint, pro more reliquorum omnium quæ crasso succo constant, & perspirationem difficilem, & obstructiones facere aptæ natæ sint. Quæ enim crassicie sua internos meatus obducere, & infarctu implere soliditate suæ eorum substantiæ possunt, uentremqꝫ adstringere, & flatu etiam distendere, (quod facere castaneæ reuera queunt, & à Galeno uerissimè est pronuntiatum) an non prauas perpetuò esse iure optimo dicemus? id ut intelligamus, cibi prauitatem, non tam ob succi quem in corpore gignit naturam, attendendam esse, quàm ob mala quæ in corpus inferre possunt symptomata, cruditatem inquam, aut flatum, aut quid simile. Pleraqꝫ enim ciborum talia sunt, ut cùm malum succum non gignant: si quis tamen plusculum ijs utatur, ob succi eorum crassiciem, & coctionis difficultatem noxam inferre nata sunt: quæ tamen ipsa praui succi dici non possunt, cùm re uera mala sint. Tubera Galenus, non improbi succi esse, crassi

*Conciliatio pugnantiũ locorũ Galeni.*

*Cibi prauitas penes qđ attendenda.*

*Lib. de Boni & mali succi cibis.*

craſsi tamen quum affirmarit, quis ea tamen in ordinem boni alimenti reponenda ſtatuat? Sic capita muſculorum animalium, quæ in cibos ueniunt, tendones, ligamenta, pedes, cum ſolidum & ualens præbeant corporibus alimentum, in genere tamen improborum habenda ea ſunt. Itaque ut ad inſtitutum redeat oratio, illud de caſtaneis ſemel ſtatuendum, improbas eas eſſe, nec niſi ijs conuenire qui & ualentiore concoquendi ui à natura præditi ſunt, & calore natiuo multo abundant, & fortioribus ſe laboribus atque exercitijs dedunt: imbecillis & delicatulis, non conuenire: ut quæ & uentriculo negotium faciant, & ægrè deſcendant, & flatu uiſcera impleant, obſtructionesq; ſuæ ſoliditate ſubſtantiæ pariant. Quarum ego uſu abſtinendū conſulo ijs qui plenitatem & obſtructiones uitare cupiunt. Quòd ſi in menſas eæ quandoq; uenturæ ſint, rarus ſit earum ac modicus uſus, nec niſi igni aſſæ ac ualdè coctæ (ut omnis qui in illis ſubeſt flatus, ignium ui abſumatur) & pipere conſperſæ ſumantur: ſic enim minus noxias experiri quis eas poterit, ſi præſertim ut antea dictum eſt, & modicè & non ſæpe in uſum uenerint.

*Quinti libri Enarrationum medicinalium finis.*

# FRANCISCI VALLERIOLAE MEDICI ENARRATIONVM MEDICINALIVM LIBER SEXTVS.



*De causa continente, ex Galeni sententia, ad Leonardum Fuchsium medicum præstantissimum.*

## ENARRATIO PRIMA.



VM annotationes tuas, sanè doctas illas quidem, quas in libros Galeni de Sanitate tuenda dudum antea post editos à me in Galeni libros de Morbis & symptomatis commentarios, magno omnium commodo in lucem dederas, perlegissem: in ijsq; crebram de me, atq; honorificam fieri à te mentionem perspexissem: magna quidem ea ex re lætitia affectus sum. Nam & si summos illos docti hominis, eruditi, uariæ multæq; lectionis titulos, quos tu mihi humanitate tua magis quàm ullis meis meritis inductus amantissimè tribuis, neq; agnosco nec mihi arrogo, sed reijcio potius: tamen si ullius unquam honestæ rei, actionis'ue iucundissimum fructum mihi capere uisus sum, hæc profectò ea fuit, qua me abs te laudatissimo homine, tantopere laudari sensi. In qua quidem ratione honestandi mei atq; laudandi, adeò rationes omnes patefecisti, ut summi cuiusdam uiri effigiem ac tui simillimi, uerbis expressisse tuis atq; ornasse sis uisus. Facis tu id quidem naturæ tuæ bonitate, ut si quid paulò diligentius meditatum, exprompt um ab aliquo sit: continuò id, qualecunq; sit, summis laudibus efferas. Ego autem mi Fuchsi, ad eam quam tu mihi tribuis doctrinæ laudem, nihil adhuc (ut uerum fatear) attuli præter exiguum quiddam, uix inchoatum ac planè rude, quod tu qui uberrimis exercitationibus grauiorum artium atq; disciplinarum locupletissimis præsidijs memoria nostra id assecutus es, quod uel paucis, uel potius nemini huius quidem ætatis medicorum contigisse uidemus, oratione tua adeò illustrasti, eò ut me redigas, ut nonnihil existimationis accepisse tuo hoc præclarissimo testimonio non negem. Est igitur cur meis studijs, ac editis à me commentarijs gratias agam, debeamq; plurimum: ut quorum fauore tanta sit à te de me excitata opinio, tantaq; profecta laus. Non tam enim profectò uerecundi esse hominis iudico, & ipsa moderatione animi temperati: quàm & insulsi & stupidi, talis uiri approbatione & testimonio, qualis tu es, non delectari. Cui sanè tuæ de me opinioni, & si nihil

si nihil tale habeo ut illi cumulatè responderi possit: enitar ipse tamen, ac omni meo labore studióq; contendam, ne omnino falsus ea in re fuisse uideare. Sed ijs prætermissis, ad ea uenio, quæ & nostris studijs propriora, & susceptæ meæ de rebus medicis tractationi accommodatiora esse uidentur. Legi in annotationibus illis tuis, omni doctrina ac cultu refertissimis, quæ tu de causa continente & copiosè & acutè scripsisti: non tam (ut puto) aduersandi mihi studio, quàm tuendi tui, ut constanter illud affirmasse tuis in Paradoxorum libris uiderere, Duo tantum esse causarum genera, nec tertium illud continentium causarum in morbis de Galeni sententia posse dari. Quam ego mentem tuam cùm perspexissem, multumq; & diu ea in re cogitanda & expendenda fuissem, quid ea de re tota sentirem, in meis ad Galenum commentarijs exprimere uolui, cùm se eius loci tractandi opportuna occasio oblata esset, ac quibus potui rationibus, non omnino (ut mea mens est) infirmis, monstrare nixus sum: eam etiam causam in morbis excogitasse Galenum. Quod quando tibi non probari id uideo, denuoq; conaris & tu omnibus adductis machinis, me de statione deijcere: in animum induxi pleniore tractatione & accuratiore, ea de re tecum, mi Fuchsi, agere. Non tam profectò, ut semel conceptam à me opinionem, ullo contentionis aut peruicaciæ studio mordicus tenere uelim: sed ut ueritati ea in re suppetias feram: ostendamq; uel certissima fide, id plerisq; in locis, conceptis etiam uerbis sensisse Galenum. Quod ubi præstitero, rationibus firmissimis aliquot id item sum ostensurus. Demum uerò rationibus tuis responsurus, sic enim & res ipsa cōmodè tractari tota, & ueritas elici poterit. Quæ ut tu omnia Fuchsi in bonam partē accipias, te ualde rogo ac quæso. Primū omnium, quoniam de causa continente mihi tecum contentio ueri indagandi causa est, in ipsius rei essentia conueniamus oportet: quod ex nullo opportunius, quàm ex illius definitione totam rei essentiam explicante nanciscemur. *Causæ continentis definitio.* Hanc itaq; causæ continentis notionem esse omnes uolunt, ut qua præsente adsit quoq; morbus, sublata auferatur: sic enim Galenus libro qui Medicus inscribitur:

Συνεκτικὸν δὲ αἴτιόν ἐστιν, ὃ παρόντος, πάρεστι καὶ τὸ νόσημα, καὶ ἐξαιρεθέντος, λύεται.

Continentes, inquit, causæ sunt, quæ cùm adsunt præsens est morbus: cùm tolluntur, soluitur morbus.

Nec est quòd causari quisquam possit, non à Galeno hanc causæ continentis notionem datam esse: quòd liber is Galeni non sit. Ego enim & legitimum Galeni iure optimo esse iudico: siue rerum in eo contentarum magnitudinem & dignitatem, siue artificij & tractationis rationem expendas: & ei tanquam Galeni fœturæ fidem habendam, si quid tanti autoris fides sit ualitura. Nam & is liber non inter spurios & subdititios, sed inter Isagogicos & legitimos cōstituitur. Ea deniq; rursus definitio tum libro de Historia Philosophica, tum in definitionibus medicis traditur. Quin primo Locorū affectorum (quem quidem librū Galeni legitimum esse tum omnium approbatione, tum ipsiusmet Galeni fide, cōmentario de libris à se editis constat) eius ipsius causæ notio ijs uerbis explicatur:

οὗ γὰρ

οὗ γὰρ προσψαύοντος μὲν ἡμῶν γίνεται τὸ δέ τι τὸ πάθος, ἀποχωρήσαντος δὲ, παραχρῆμα παύεται, τοῦτ' αἴτιον εἶναι πεπιστεύκασι πάντες ἄνθρωποι.

Id, inquit, quo tangente gignitur in nobis passio, & separato statim quiescit, id causam esse omnes homines arbitrantur?

An non hic causam definiuisse continentem Galenus planè uidetur, dum id communi hominum fide causam esse statuit, quo tangente affici nos contingit, & separato quiescere quod in nobis genitum erat? Non enim profectò aut præincipienti & externæ causæ, aut internæ & corporeæ, quæ modò coniuncta non sit, conuenire ea causæ notio potest. Separatis enim ijs, neutiquam quiescit affectus, ut omnibus in confesso est. Non enim si à solis ardore febris, aut à plenitate humorum nata sit, aut sublata plenitate sole'ue agere desinente, statim soluetur febris: sed tum, cùm quæ illam continet causa, eiq; perpetuò inhæret sublata fuerit. Quæ uerò huiusmodi in febribus causa sit, paulò pòst dicetur. Constans itaq; inter nos maneat id, Continentem causam esse, quod nullatenus ab eo quem continet affectu diuelli uspiam possit: ut quo cum perpetuò hæreat: cuius rei merito eam uidetur nomenclaturam adepta. *Causa continens cur sit dicta.*

Nunc uerò hanc ipsam causam speciatim à Galeno positam, & inter causarum genera iure collocatam esse (quod me tibi Fuchsi optime atq; doctissime facturum recepi) uel amplissimis eiusdem autoris testimonijs sum ostēsurus. Quibus ego te pro tua integritate ultrò manus daturum, & spero & certè confido. Is igitur commentario I I I. ad sextum Epidemiorum Hippocratis, Aphorismum uigesimum eius libri enarrans, tria nominatim constituit morbificarum causarum genera: præincipientes, antegressas, & continentes.

Σκεψώμεθα οὖν ἅπαντα τὰ κατὰ μέρος, ἀναμιμνήσκοντες μὲν ὅσα δι' ἄλλων ἤδη πλέον διειργασάμεθα, προστιθέντες δ' αὐτοῖς εἴ τι λείποι. τὸ μὲν οὖν ἐπίστασθαι τὴν ἐκ τῆς πρώτης γενέσεως ἑκάστου τῶν θεραπευομένων φύσιν, εἴρηται καὶ δέδεικται πολλάκις ὅπως ἄν τις κάλλιστα πράττῃ. δέδεικται δ' οὐδὲν ἧττον ἃ χρὴ περί τε τῶν πεπονθότων τόπων, καὶ τῶν συμπαθούντων αὐτοῖς, ἐπίστασθαί τε καὶ διαγινώσκειν ἀκριβῶς ἐπὶ τῶν νοσούντων, ὥσπερ γε καὶ περὶ τῶν αἰτίων ὅσα γε προκατάρχοντα καλοῦσι, καὶ ὅσα προηγούμενα, καὶ ὅσα συνεκτικά.

Quod est: Omnia contemplemur particulatim ea, quæ uberius alijs uoluminibus pertractauimus: in memoriam reuocantes, & ipsis si quid desit adijcientes. Eius itaq;, qui curatur, naturam à primo ortu scire deberi præcepimus, sæpiusq; ut id optimè quis faciat ostendimus. Ostensum est autem non minus, quæ de primario affectis locis, & per consensum læsis, scire & exquisitè dignoscere in ægris oporteat: quemadmodum & de causis, quas anteincipientes uocant, & quas antegressas, & quas contentiuas seu continentes.

Hac quidem serie Galenus scopos omnes rectæ curationis tractans, inter eos causarum omnis generis considerationem summa ratione reposuit: quòd sine harum diligenti inquisitione, & animaduersione, curari nequicquā affectus ullus possit. Vnde est illud eiusdem autoris I I. Meth. med. Methodici medici morborum causas assignant, & inuestigant, inde præsidiorum copiam coniectantes. At uerò Galenus hic, non duo tātum

causarum genera consideranda à medico esse, sed tria, conceptis etiam uerbis astruxit: nempe Præcedentes, seu procatarcticas: Antegressas, quas nos antecedentes uocamus: & tertio loco Continentes, seu contentiuas. Hæc porrò tria genera ijs uocibus à Galeno hoc loco, ut uides, explicantur, προκατάρχοντα, προηγούμενα, καὶ συνεκτικά. An non hic tria explicatissimè statuit causarum, non duo tantum, ut tu putas, genera? Nec est quod tergiuersari possis, non de morbificis causis, sed de symptomatum esse hoc loco locutum Galenum. Nam cùm hoc commentario omnes curationis scopos ab Hippocrate traditos, eo quem interpretatur aphorismo collegerit: curatio autem soli morbo debeatur, ut II. & IIII. Meth. & pluries alibi testatur Galenus: consequens quidem est, ipsum de causis morborum, non de symptomatum causis sermonem hunc protulisse. Quod & tu ipse in eius partis commentario abundè confirmas. Est autem aphorismus is decimus octauus, particulæ tertiæ sexti libri Epidemiorū Hippocratis, qui idem in Græco uigesimus est, ne quid in numero fallamur, cuius series Latina ex uersione tua hæc est:

Summa curationis ex natiuitate, causa, multis sermonibus, exq; paulisper cognitis, conciliando ac perdiscendo, si similia aut dissimilia inter se sint, ut ex dissimilitudine fiat similitudo una. Sic utiq; uia, sic rectè se habentium exploratio, & non rectè se habentium probatio.

Hæc Hippocrates Latinè per te loquens. Quam tu partem doctè, & accuratè interpretans, Hippocratem hac sententia breuiter admodum caput ac summam curationis complexum esse affirmas: & à quibus ea petenda sit, locupletissimè doces: nempe iuxta Hippocratis mentem, à natiuitate, seu natura, à causa, ab ægri sermonibus, & ex paulisper iam cognitis, perdiscendo quæ naturæ ægroti similia, quæ dissimilia, quæ parum, quæ multum similia aut dissimilia sint. Hæc tua Fuchsi uerba eo in commentario recognoscis opinor. Quæ quidem te de morborum curatione intellexisse, unà cum Hippocrate, quem eo in loco interpretaris, nemini cuiquam dubium esse potest. Itaq; abundè ex hoc Galeni loco probasse, ac potius demonstrasse me arbitror, tria esse ab eo posita morbificarum causarum genera. Alios nunc item eiusdem autoris locos, ne uno quidem prætermisso, adferamus. Libro de procatarcticis causis, primam & proximā statuit Galenus causam aduersus Erasistratios inquiens: Ei enim qui cōcedit primam & proximam eius quod factum est causam, & hac superiorem aliam quærit, & illa aliam: ad infinitum processus fiet. An non hic primæ & proximæ causæ nomine, continentem intellexisse est uisus? Inter enim causarum genera, contentiua seu continente nulla prior, nulla proximior excogitari usquam potest: cùm ita ei quod factum est hæreat, ut ab eo diuelli nullatenus possit: ut in Clytemnestræ morte ab Oreste patrata causarum efficientium enarratione atq; deductione, eodem ipso libro de procatarcticis causis bellissimè aduersus Erasistratios nos docet Galenus. Nam mortis eius remotissimam causam Orestis electionem, Erasistratij faciebant: ab hac, manus ad infligendum uulnus motionem; dein, ensis ictum; post, uenarum colli sectionem;

omnium postremò, sanguinis profusionem, quæ & ipsa prima & proxima erat Clytemnestræ mortis causa: quam (ut uult Galenus) assignasse neglectis reliquis satis erat. An non quæso prima hęc causa continens meritò dici poterit? cùm ea posita, continuò ponatur quod ab ea efficitur, cessante desinat? non enim prius mors Clytemnestræ accidit, quàm ingens è uulnere sanguinis profusio facta fuerit, qua præsente confestim secuta mors est: uti absente, uitata. Sed rursus libro aduersus Iulianum scripto, eò ipsum Galenus arguit, quòd & si nomen quidem continentium causarum usurpet, quo ipsæ tamen ab antecedentibus distent minimè intellexit.

Enimuero (inquit) non solum oportuit Iulianum causarum differentiæ conuenientia proferre uocabula, sed etiam eorum obseruare significata. Nunc autem (hoc enim habet methodicorum omnium stoliditas commune) ad nomenclaturas usque continentium causarum progreditur ille quidem: at quo ab antecedentibus modo differant, non intelligit.

An non hic, te quæso mi Fuchsi, in eo approbasse continentes causas Galenus uidetur, quòd & si nomine rectè usus fuisse Iulianus dicatur, quò tamen ab antecedentibus ipsæ distarent non intellexerit? Itaque & ponendas quidem esse continentes causas, & haud paruo interuallo ab antecedentibus differre (quam quidem earum ab inuicem differentiam Iulianus ignorarit) conceptis etiam uerbis affirmat hoc loco Galenus. Qui & ipse eodem rursus libro aduersus Asclepiadem, relicto Iuliano, sermonem instituens (qui quidem nunquam causam esse continentem astruebat) disputationis gratia, plenitudinem interdum in ijs morbis, qui ab ipsa nascuntur, talem esse causam statuit: Supponatur (inquit) causam morborum continentem interdum esse plenitudinem. Quæ quidem & si statui reuera perpetuoque continens causa non queat, (ut qua neque præsente adesse semper morbum oporteat, neque sublata auferri: cùm fieri sæpè uideamus, ut factis nonnunquam largis inter morbi initia euacuationibus, non solùm non depellatur, sed multò etiam quàm antea augeatur affectus) interdum tamen morborum quorundam ipsam continentem esse causam idem ipse Galenus ijs uerbis affirmare non ueretur: Ostensum (inquit) à nobis est in his commentarijs, in quibus symptomatum causas enarrauimus, atque ubi tumores præter naturam tractauimus, conuulsionem interdum tremoremque, ac in uniuersum Phlegmonē, & Erysipelas, idque quod à recentioribus medicis œdema uocatur, aliosque præterea affectus, plenitudinis inniti hypothesi, tum si plenitudinem euacuet quis, ad naturalem quamprimum statum redire membrū. Hactenus aduersus Asclepiadem Galenus: qui & ipse plenitudinem interdum morborum quorundam, atque etiam symptomatum causam esse continentem (& si non omnium) pro constanti affirmauit. Conuulsionis enim eius quæ à plenitudine est, plenitas ipsa in causa esse statuenda est, uti tremoris ipsa uirium imbecillitas: sic enim commentario I. in III. de Popularibus morbis Hippocratis tradit Galenus. Sed quando hæc symptomata morborum sunt, in quibus tu continentem causam non aspernaris, ad morbos deducenda oratio

nostra est. Phlegmone, Erysipelas, oedemaque morbi cùm sint, partis tamen in qua subsunt plenitatem, cõtinentem illorum esse causam uult hoc loco Galenus. cùm & hos morbos plenitudinis inniti hypothesi, & plenitudinem eam quae affectae parti incubuit, si quis auferat, ad naturalem statum quamprimum rediturum membrum affirmarit. An non huic plenitudini rectè continentis causae ratio quadrabit? Si enim in una quapiam parte sanguinis confluxus constiterit, qui à natura non regatur, Phlegmonem profectò mox concitabit: Sublata autem plenitate ea atque confluxu, (aufertur autem partim repellentibus, partim discutientibus medicamentis, ut XIII. Meth. medendi uult Galenus: nonnunquam etiam uerò, suppurato tumore atque aperto, detergentibus & siccantibus) confestim curata phlegmone, in naturalem habitum membrum restituetur. Quod enim hoc loco Galenus ait, in ijs affectibus si plenitudinem euacuet quis, ad naturalem quamprimum statum redire membrum, non de alia quàm partis affectae plenitudine intelligi dictum potest: non enim de uasorum aut totius corporis plenitudine, uerùm id esse possumus affirmare, cùm ea, uenae sectione per morbi initia uacuata, nequicquam tamen auferatur phlegmone, membrumque ipsum ad naturalem confestim statum non deducatur: tum enim primum in hunc naturalem statum membrum conuertitur, cùm quae affectam partem plenitas occupabat, adempta, uel repellentibus, uel discutientibus, uel detergentibus & exiccantibus fuerit. Sed rursus idem autor libro de Sectis, an non eos intentè & ualidè arguit, qui continentes morborum causas tanquam superuacaneas arbitrantes, illas respuebant? Eius opinor uerba recognosces, cùm enim longa serie methodicorum aduersus rationales & empiricos traditiones enarrasset: ostendissetque, iuxta eorum placita, causarum non euidentium solùm, sed ne continentium quidem ullam esse in morborum curationibus rationem habendam: sic eos arguens disserit.

*Loci Galeni explicatio.*

ὁμοῖος δὲ ὁ λόγος τοῖς μεθοδικοῖς ἐστὶ περὶ τῶν ἀδήλων καὶ συνεκτικῶν ὀνομαζομένων αἰτίων. καὶ γὰρ ἐκεῖνα περιττὰ φασιν εἶναι.

Simili (inquit) ratione ijdem methodici de obscuris causis & continentibus uocatis loquuntur: eas nanque superuacuas esse dicunt.

Hac sanè ratione methodicorum placita recensens Galenus, eos arguit, quòd non solùm euidentium causarum in curandis morbis considerationem, sed & continentium uocatarum, superuacaneam esse dixerint: cùm tamen à nullo alio magis quàm à causa (ubi primum ab affectu ipso qui curandus nobis proponitur indicationem sumpseris) curandi rationem sumere oporteat; ut qua neglecta curari nequicquam affectus ullus unquam possit. dicente utique eodem Galeno, in uniuscuiusque curatione affectus, rescindendam prius esse quae morbum efficit causam, cùm curari is nequeat, manente quae ipsum excitauit causa. Ac proinde id uoluisse hoc loco Galenum euidentissimum est, non euidentium solùm causarum considerationem, sed multò magis continentium, ad rectam morborum considerationem necessariam quidem esse: quod paulò post historia duorum aegrotantium, rabiosi canis morsu affectorum, enarratione manifestum

*In Arte medicinali, et 7. Meth. & lib. aduersus Iulianum.*

stum facit: Magnam inquam abditæ causæ rationem curanti medico esse habendam, qui enim uulneri rabiosi canis nulla habita causæ ratione, medicamenta tantum ulcus curantia admouisset: is ægrum planè paucis diebus perdidit: quòd nullam ab abdita causa, & continenti (nempe ueneno so halitu rabiosi canis, unde uulnus inflictum fuerat) indicationem sumpsisset: cùm interea medicus ille alter, qui ulceri ab eodem rabioso cane inflicto, non ulcus siccantia & agglutinantia, sed contrà acribus impositis, ulcus amplius reddere, potiones medicatas ad id compescendum & frangendum ueneni, quod intrò à morsu illabi potuerat, dare, summa certè ratione iussit: quòd scilicet magnam sibi à latente & abdita causa indicationem esse sumendam proposuisset: ac proinde confestim ægrum pristinæ sanitati restituit. Tantum ualet causæ, non solùm euidentis, atque externæ: sed latentis, continentis, atque internæ consideratio. Quam quidem ipsam de Galeni mente esse statuendam, ille eiusdem autoris locus, qui ad initium libri secundi de Natura hominis scriptus est, planum facit. Hippocratis enim seriem illam explicans, Quos repletio parit morbos, uacuatio his medetur, sic ait:

*οὐ ταὐτόν ἐστι φάναι συνεκτικὸν αἴτιον νόσων εἶναι πλησμονήν τε καὶ κένωσιν, ἑκάστην τε καὶ τῶν ἐφεξῆς εἰρημένων, τῷ γίγνεσθαί τι διὰ πλησμονήν, ἤ τι τῶν ἄλλων. ἀληθὲς μὲν γάρ, τὸ γίγνεσθαι τινὰ νοσήματα διὰ πλησμονήν, ἢ ὑπὸ πλησμονῆς, οὐδὲν γὰρ διήνεγκεν οὕτως ἢ ἐκείνως εἰπεῖν, οὐκ ἀληθὲς δὲ συνεκτικὸν αἴτιον εἶναι νοσήματος πλησμονήν.*

Non idem est dicere (inquit) plenitudinem morborum esse continentem causam: item & uacuationem singulaque insequentia: atque ex repletione oriri aut alio quopiam. Verum nanque est, quosdam morbos ex repletione gigni, uel à repletione (nihil enim interest, hoc an illo modo loquare) at uerum non est, repletionem morbi esse continentem causam. Hac quidem Hippocratici loci enarratione Galenus, apertissimè causam esse continentem quandam in morbis confiteri uidetur: dum illud affirmat, idem non esse, si plenitudinem morborum esse contentiuam causam dicas, aut ex plenitudine morbos oriri. Id enim hoc loco insinuare nobis uult Galenus, Esse quidem in morbis unam quampiam causam, quæ illius continens sit: at eam ipsam tamen, repletionem aut euacuationem constitui nullo pacto posse. Alioqui si nullam sit in morbis talem ponere causam, quomodò hic Galenus differre hæc plurimum inter se dixisset, Paria non esse, plenitatem continentem morborum causam statuere, & ab ea morbos nasci? Quomodo enim distare hæc à seinuicem iure statuemus, si eorum alterum desit? inter quæ enim comparatio fit, ea ambo esse oportet: cùm id quod non est, ei quod est conferri nullatenus possit. Itaque unam aliquam morborum esse continentem causam oportet, quæ ita illius essentiam contineat, ut separari ab ea nequicquam possit. Cuiusmodi cùm non semper repletio sit, (cùm neque præsente ipsa adesse perpetuò morbum oporteat, neque sublata auferri) efficitur profectò, ut uerum sit quod hic à Galeno dicitur, Repletionem morborum non esse continentem causam, etsi ab ea maximè morbi nascuntur. Non enim id omne, à quo quippiam oritur, illius continens causa statui confestim debet; sed

*Loci Galeni explicatio.*

id, quod auelli nusquam ab eo quod continet posſit. Itaque ſumma in præſens ratione dixiſſe Galenus uidetur, non idem eſſe, Plenitudinem morborum continentem eſſe cauſam, & ab ea morbos naſci: ut enim poſtremum hoc uerisſimum eſt, ita ſanè & illud minimè uerum.

Sed rurſus propoſitum perſequamur, idem ipſe Galenus, in omnibus quæ generationis cauſam habent, hanc ipſam, quæ continens dicitur, ceu primam atque præcipuam, & cui uni adſcribi quod effectum eſt debeat, ponit. Eius porrò ea de re lib. I. de Pulſuum cauſis hæc ſunt uerba:

τῶν οὖν σφυγμοὺς τρεπόντων αἰτίων, τὰ μὲν τῆς γενέσεως αὐτῶν ἐστιν αἴτια, τὰ δὲ, τῆς ἀλλοιώσεως μόνον. τῆς γενέσεως μὲν ἥτε χρεία δι' ἣν γίνονται, καὶ ἡ δύναμις ὑφ' ἧς, καὶ τὰ ὄργανα δι' ὧν διατείνονται. τῆς δ' ἀλλοιώσεως τὰ λοιπὰ πάντα, τά τε προηγούμενα καλούμενα, καὶ τὰ τούτων ἔτι τὰ προκατάρχοντα. τρίτον γὰρ δὴ τὸ γένος τῶν αἰτίων, οὐκ ἐν σφυγμοῖς μόνον, ἀλλὰ κἀν τοῖς ἄλλοις ἅπασιν, ἓν μὲν τὸ πρῶτόν τε καὶ κυριώτατον. ὃ δὴ καὶ συνεκτικὸν καλοῦσιν, ἐκ τοῦ συνέχειν αὐτῶν τὴν οὐσίαν ὀνομασμένων, ὅπερ ὡς ἔμπροσθεν ἐρρέθη γενέσεως αἴτιον.

Permutationis pulſuum (inquit) cauſæ partim generationis eorum ſunt, partim tantum alterationis. Generationis, tum uſus cuius gratia fiunt, tum & facultas abs qua, tum inſtrumenta per quæ diſtenduntur. Alterationis cæteræ omnes, & quæ præcedentes appellantur, & quæ externæ. Nam tertium quidem eſt cauſarum genus, non in pulſibus modò, ſed & in aliis omnibus, unum quod primum eſt, & præcipuum, quod quidem continens appellant: cuius inde appellatio deducta eſt, quod illorum eſſentiam contineat, quæ ut modò diximus generationis eſt cauſa.

An non hic conceptis etiam uerbis Galenus, in iis quæ generationis ſuæ cauſas habent, tria cauſarum genera ſtatuit? cùm non ſolùm alterationis pulſuum, ſed & cunctarum rerum omnium, quorum fit generatio, uel alteratio ulla, tum præcedentes, tum externas, tum denique continentes eſſe cauſas dicat: atque tãtum huic generi tribuat, ut id unum primum atque præcipuum in iis, quæ generationis cauſas habent, (habent autem profectò quæcunque effectrices, aut etiam conſeruatrices ſui cauſas nacta ſunt, à quibus uel in fieri, uel conſeruari dependeant) eſſe meritò uelit. Ob id enim iure præcipuum primumque dici debet, quòd in effectu uel proferendo, uel conſeruando, nihil propius, nihil cohærentius (ut quod eius eſſentiam contineant) inueniri uſpiam poteſt: atque proinde cõtinentis ſeu cõtentiuæ cauſæ nomenclaturam ſortita eſt, ut cui effectum omne adſcribi debeat, & ab eo ſeparari nequit. Quanti uerò cauſæ huius continentis conſiderationem fecerit Galenus, paulò poſt iis explicat uerbis. Pars inquit exercitationis optima eſt, ut continentes cauſas quamobrem generare quæque pulſum poſsit, perpendas. Sic profectò ſe res habet, ut exacta continentis cuiuſque cauſæ cognitio & animaduerſio, effectionis quæ ab ipſa prouenit notitiam pariat.

Sed iam ipſe intimis ſenſibus perſpicere uideor, quid mihi hic à Fuchſio obiici posſit. Non hoc loco de morbifica cauſa locutum eſſe Galenum: ſed de ea quæ uitiatæ actionis, hoc eſt immutationis pulſuum, ſit cauſa. Quo in genere mihi planè eſt aſſenſurus Fuchſius, continentes cauſas dari: non ſic perinde in morbis, ut quorum natura omnis conſtans, permanens,

niens, fixaq́ꝫ sit, totaq́ꝫ facta, non in ipso fieri, transmutari & alterari, ueluti quod πάθος dicitur, cuius essentia in motu & actione omnis posita esse, omnium est approbatione assertum. Itaqꝫ cùm morbus factum quid esse uerè dicatur, causamq́ꝫ iam amplius quæ operetur non habeat: (cùm enim quieuerit alterans, alteratio permanens in re quæ perpessa est, eiusdem rei affectus esse censetur: ita asserente lib. de Symptomatum diff. Galeno) efficitur profectò, ut continentem habere causam morbus minimè queat. Quæ potissima Fuchsij ratio ad suam firmandam sententiam mihi esse uidetur. Cui sanè obiectioni ita responderi commodè posse contendo, ut dicamus, & si hîc de uitiatæ pulsuum motionis continente causa loquatur Galenus: non ob id tamen fieri, quin & eam ipsam in morbis sit statuere continentem causam: cùm de Galeni hoc loco sententia, non in pulsibus solùm, sed & in alijs omnibus (hæc enim Galeni uerba sunt) tertium statuendum est illud causarum genus, quod continens appellant: quod & ipsum primum præcipuumq́ꝫ habetur, eorum quæ producere quippiam nata sunt. Quamobrem cùm & morbus quiuis generationis suæ causas habeat: in ijs profectò una quæpiam erit, eadem ipsa prima, & potissima, quæ morbi essentiam continebit: ut ea præsente adesse morbum oporteat, & sublata auferri. Verùm quum permanens res morbus sit, ut rectè aduersarius obiecit, & iam causa agere desierit, quomodo continentem erit in morbis statuere causam? Respondeo, Duplicem de Galeni sententia morborum speciem inueniri: alteram in qua causa omnino agere desijt, nec amplius quicquam ipsa efficit, manente tantum quod effectum est: ut cùm à solis ardore inducta ephemera febris est, aut à frigore densante stipatio, aut à telo uulnus: in ijs enim morbis, agere profectò causa desijt, manente tantum affectu eo, qui ab tali causa excitatus fuerit.

*Ad Fuchsij rationem responsio.*

*4. & 7. Meth & in Arte medicinali.*

Altera uerò morborum species, causam effectricem secum comitem habet continuò operantem, morbumq́ꝫ ipsum aut adhuc gignentem, aut certè fouentem. Itaqꝫ prioris generis affectus, in quibus sanè causa iam agere desijt, nullam continentem causam habere possunt, imò ne causam quidem tum cùm facti sunt, ullius generis ullam habent: toti enim facti sunt, uti ephemera ab externa causa genita, item hectica uocata febris, & quicunqꝫ ab externis tantum causis ortum duxere: ij enim neqꝫ causam iam amplius habent, cuius actione cõstent, (agere nanqꝫ iam causa desijt) neque rei cuipiam hærent, quæ ipsorum essentiam contineat: ac proinde neque continentem causam nacti sunt. Quicunque uerò causam adhuc uel efficientem, uel fouentem habent, ij certè continentem habere causam iure dicendi sunt, à qua curandi indicationes, uel in primis sumere oporteat. Quod animaduertens Galenus IIII. Meth. medendi, æstimandum meritò censuit, num effectrix in morbis causa agere desierit, uel etiamnum adhuc agat. Auspicari (inquit) perpetuò curationem oportet, ab indicatione quæ ab affectu cui mederi paramus, accipitur. Aestimare uerò ac discernere, an causa quæ affectum excitauit, iam desierit: an nunc quoqꝫ ipsum tum augeat, tum faciat. Quorsum hæc? In id scilicet, ut si iam agere causa desijt, id tantum quod factum est curare studemus, de causa nihil

cogitantes: si uerò adhuc etiamnum agat, huic ne agere pergat intenti, affectum curamus: Siue enim ecchymosis (ait IIII. Meth. Galenus) siue ulcus, siue Erysipelas, siue putredo, seu phlegmone, in parte aliqua consistat, superuacuum est causam quæ horum quodlibet effecit inquirere, nisi iam etiam faciat. Sic enim simul quod iam factum est curabimus: simul quod adhuc facit, facere inhibebimus. Si uerò fecit illa quidem, cæterùm iam abijt: utiq; quod factum est curabimus, quod adhuc non est, nec si uelimus summouere id possumus, Quippe rei præsentis est curatio, eius autem quod futurum est, prouidentia. Quod & rursus VII. Meth. cõfirmasse, & in arte medicinali uidetur, cùm curari nequicquã affectus posse pronuntiauit, manente quæ ipsos excitauit causa, ac proinde hanc prius (si rectè curare affectum proposuimus) abscindendam iure in arte medicinali præcepit. Itaq; in quibus morbis nondum agere causa desijt, sed adhuc perstat, in ijs profectò causam erit continentem statuere: eam scilicet, quæ ita morbi essentiam continebit, ut quoad ipsa perstiterit, & perstare quoq; morbum oportebit: sublata, tolli: ut plenius sub enarrationis finem sumus dicturi. Atq; his ego & obiectionem dissolui, & Fuchsij rationi satisfieri abundè puto.

Nunc uerò rursus ad institutum redeuntes, Galeni ea de re pleniora testimonia adferamus. Is porrò magnum de se ipso testimonium præbet, dum commentario de libris à se editis, de continentibus causis librum se edidisse testatur. Quem profectò si fatorum benignitate seruatum, uti quæ extant reliqua eiusdem autoris monumenta haberemus, omnis profectò hac ipsa de re contentio sublata è medio foret. Nam uti quidem iure existimandum est, & eò loci mentem omnem de ea re suam explicauit Galenus: & unde tota eius argumenti tractatio orta sit, quibus in rebus eam sit constituere causam, & quatenus, explicasse ipsum censendum est. Verùm quando magna omnium nostrum iactura atq; incommodo ea censura caremus, ex alijs eiusdem autoris monumentis quid ipse senserit indagandum. Is porrò eam ipsam causam excogitasse, Aphorismorum V. commentario I. apertissimè est uisus: adolescentis illius historiam enarrans, qui æruginosi humoris in uentriculi ore contenti occasione, tum febrim, tum conuulsionem patiebatur. Nam eum ipsum humorem, tum febris tum conuulsionis continentem causam posuisse ex eo uidetur, quòd eo uacuato confestim & febrim & conuulsionem cessasse affirmat. Eius porrò uerba hæc sunt.

Καὶ ὅτι πυρετὸς αὐτῷ, καὶ ὁ σπασμὸς ἐπαύσατο παραχρῆμα κενωθέντος τοῦ ἰῶ.

Et febris (inquit) & conuulsio uacuata ærugine statim cessauit.

Itaq; cùm ad æruginosi huius humoris in uentriculo consistentiam mox & febris & conuulsio iuueni huic insecuta sint, & eo uomitu uacuato cõfestim tum febris tum cõuulsio cessarint: (uel ipsius Galeni assertione) iure dicemus: cùm huic ipsi cõtinentis causæ definitio suprà adducta maximè cõueniat? At rursus dictum illud Galeni Aphorismorum I I. cõmento X X I I. cùm ait, morbos unà cum causis ipsos efficientibus destrui; de quo nã alio, quàm continentiũ causarum genere assertum uideri potest?

potest? Non enim profectò de præcedentibus aut antegreſsis cauſis uerũ id eſſe poteſt: nam etſi eæ morbos interdum efficiant, non unà tamen cum ijs morbi deſtruuntur ac deſinunt: ſed tantum deſinentibus ijs efficientibus cauſis, quæ morborum eſſentiam contineant: ut in exemplo, uaſorum immodica à ſanguine plenitas, tum & plenior uictus, phlegmonem creare nata ſunt atq; efficere, ut Galeni & omnium concors eſt ſententia. At abeuntibus ijs cauſis, perſtare adhuc phlegmonem uidemus. Nam etſi genita phlegmone, tenuem uictum inſtituamus, uaſorumq; plenitatem ſecta uena tollamus, manet nihilo ſecius quæ in parte genita ab ijs phlegmone eſt: Sed ubi primum ſanguis in partem affectam illapſus, (quem ego quidem iure phlegmones continentem eſſe cauſam ſtatuo, cùm eo in parte conſiſtente mox naſcatur phlegmone: diſcuſſo, uel quomodocunq; aliter uacuato tollatur) cùm inquam ſublatus is congruis auxilijs fuerit, tum certè abactam phlegmonem atq; ſanatã meritò ſumus dicturi: quòd quæ phlegmones eſſentiam continebat materia, ea uel digeſtione, uel ſuppuratione, & deterſione omnis planè deleta ſit. Quamobrem appoſitiſsimè illud à Galeno dictum fuiſſe uidetur, Curari affectus non poſſe manente quæ ipſos excitauit cauſa. Omitto uerò in præſentia uolens & ſciens quæ idem Galenus ſparſim de ſymptomatum & uitiatarum actionum continente cauſa millies in mille locis aſtruxit: uti II. Meth. dum de uitiatæ coctionis uentriculi continente cauſa contra rationalium quoſdam diſputat: & lib. IIII. de Sympt. cauſ. dum dilatationis pupillæ rhagoidis tenſionem, continentem eſſe cauſam ſtatuit. Et Aphoriſmorum VII. commento XXX. dum ſpumoſæ pituitæ flatuoſum ſpiritum continentem cauſam eſſe uult. Et II. Præſagiorum commento XLIII. facilis & difficilis ſcreationis cauſas ex profeſſo tranctans, dum humorum craſsiciem aut tenuitatem, & uirium robur uel infirmitatem, continentes facilis difficilisúe ſcreationis cauſas ponit. Et item rurſus IIII. de Symp. cauſ. dum impeditæ famis calorem unam ex continentibus eſſe cauſis teſtatur. Et primo, item II. ac tertio de pulſuum cauſis, ubi ex profeſſo continentes omnes pulſuum immutatorũ cauſas enarrat. Vniuerſos inquam hos locos atq; teſtimonia prudens omitto, quòd & de ſymptomatũ & actionum uitiatarum contentiuis tantum cauſis ſint: in quibus tu cauſas iure aſsignari continentes non repugnas, & ego aſſentior: neq; in ijs de morbificis continentibus cauſis ulla mentio fiat. Sed omiſſo Galeno cuius iam omnes adduxiſſe locos in rem præſentem planè uideor, ad Celſum Hippocratis fidum interpretem ueniamus: is enim libro & capite primis, rationalium medicorum placita referens, de eorũ ſententia cauſam in morbis continentem conceptis etiam uerbis expreſsit. Igitur (ait) hi qui rationalem medicinam profitentur hæc neceſſaria eſſe proponunt: abditarum & morbos continentium cauſarum notitiam, deinde euidentium. Vides ut tantus autor quid curanti rationali medico expendendum ſit enarrans, abditarum in primis & morbos continentium cauſarum notitiam neceſſariam eſſe iure affirmauit? ut quibus incognitis neq; perpenſis, nec rectè dignoſci morbus, (ut qui ex cauſarum notione probè intel-

*13. Metho. & 2. ad Glauco. et lib. de Inæquali intẽperie: & lib. de Tumo. præter natur. & pluries alibi.*

*7. Meth.*

*1. de Phyſico auditu. & 2. Poſteriorum Fen 2. primi. cap. 1. Auer. 2. Phyſic. textu, cõment. 37. Halyabb. 6. Theoric. capite 4.*

ligatur: idq́; uel autore Ariſtotele ſciri iure dicatur, cùm idipſum per ſuas cauſas cognoſcimus) nec curari ullo pacto poſsit. Citarem & Arabum hac de re placita Auicennæ imprimis, Auerroys, Halyabbatis & reliquorum eius factionis hominum, niſi & illos abs te reijci, & te illis aduerſarium, minimè eorum ſenſa admiſſurum cognoſcerem. Recentiorum tamen aliquot, eorumq́; qui ſuæ doctrinæ & bene nauatę in re medica operæ præcipuam hoc tempore laudem merentur, ea de re recenſere placita non grauabor: quò tu non ueterum ſolùm aſſertionibus innixam hanc de continente cauſa diſſertationem: ſed ueluti nobis per manus traditam, penitius in recentiorum mentibus infixam fuiſſe perſpicere ipſe poſsis.

*Scholæ monſpeſullan. laus & commendatio.*

Omnis Nitiobrigum ſchola, quam uulgò Monſpeſulli uocant, percelebris illa quidem, & toto terrarum orbe digna famæ commendatione illuſtris, quæ ſiue hominum iudicio, ingenio, doctrina, uſuq́; rerum prædictorum dignatione, (qui quàm multi in ea florent ac uigent) ſiue bonarum literarum atq; artium (quæ magna omnes ibi cura atq; ſtudio edocentur) exercitatione ac cultu nemini reliquarum, quæ uſpiam habentur cedit: & cuius me quantus quantus ſum, & filium & alumnum iure eſſe glorior: ea inquam, cùm publicis diſſertationibus, tum & lectionibus, id ſentit, id prædicat atq; docet, in ijs morbis qui cauſam adhuc efficientem uel fouentem habent, quiq; nondum toti facti ſunt (quales ephemera, hectica, uulnus) cauſam etiam de Galeni ſententia continentem dari: Siccine mi Fuchſi publicus tantæ ſcholæ conſenſus, tantorum uirorum eadem de re concors approbatio atq; aſſenſio, contemnenda atq; pro nihilo ducenda erit? Legis ego atq; Senatus conſulti in re medica locum iure habere, quicquid publico tantorum patrum conſenſu, iudicioq́; ſancitum fuerit cenſeo. Pro lege enim id eſt (Galenus ait) quod homines putant & arbitrantur. Sed quid? Non'ne Martinus Achakia, Hieremias Triuerus, uiri doctiſsimi in ijs quos in artem medicinalẽ ediderunt commentarijs ſanè doctis, cõceptis explicatisq́; uerbis id ſenſere? Non'ne item Fernelius lib. de uacuandi ratione? Cauſa (inquit Triuerus Hieremias) in genere multiplex eſt, externa & interna, & de hac loquitur Galenus. Eſt autem & hæc duplex, antecedens & coniuncta: nihil enim nunc talem diuiſionem uereor. Hæc pagina 327. ſui commentarij paruula forma Lugduni excuſsi. Et rurſus pagina 372. Talis (inquit) cauſa duplex eſt antecedens, quæ nunc nullum quidem morbum euidenter facit, ſed minatur poſtea: alia eſt quæ nunc actu morbum ac paroxyſmum inuehit, ut humor qui nunc iam putreſcit ac caliditatem excitat. Sic in dolore capitis, altera eſt quæ ab uniuerſo corpore aſcendit, altera quæ nunc in capite impingit. Hanc cauſam ego nullo modo cum Auicenna & alijs uerebor coniunctam dicere. Et pagina 376. diariam & hecticam febres, nullas habere coniunctas cauſas meritò & uerè affirmat. Acakia uerò eam uerè & propriè cauſam eſſe intelligit, quæ per ſe ſit & proxima neceſſariaq́;: quæ profectò nulla quàm continens, quæ talis ſit, eſſe poteſt. Idipſum rurſus Argentarius uir ſanè doctus, niſi in conuellendo Galeno tam immodicus fuiſſet: is enim integrum de cauſa continente caput ſcripſit, quod

*Cõment. 1. ad lib. de Natur. hum. Hippo.*

*Cap. 8.*

eius

eius commentarij de causis ab eo inscripti nonum est. Sed iam uereor ne citandis autoribus nimius habear, in id enim de industria omnes quantum mihi uideor, & Galeni & Celsi: tum & recentiorum, quorum de doctrina præiudicata esset in omnium mentibus opinio, locos adferre uolui: ut ducum copia atq; præstantia pugnarem: illudq́; ostenderem, fieri non posse, ut in quo tot tamq́; excellentes uiri concordibus animis atque sententijs consenserint, alienum id à ueritate esset: tamq́; ij parum acutè perspexissent omnes, ut in quo seueram fecerint animaduersionem, in eo errasse dici possint.

Venio nunc ad eas rationes quibus demonstrari id, nedum doceri planissimè possit: quod me initio narrationis facturum recepi. Quarum ego cùm non parum multas commentarijs ad Galenum meis attexuerim, non est quod earum repetitione legenti molestiam inferam. Aliquot tamen in præsentia paulò firmiores adferre in animum induxi, quæ axiomatis quibusdam innixæ, demonstrationis uim habere queant. Sit itaq; hoc axioma primum, quod tum à Platone, tum à Galeno proditum est: Nihil sine causa fieri. Secundum illud, Quo tangente afficimur & separato cessat affectus, id cuiusq; causam esse. 1. de Locis affect. Tertium, Continentem eam esse causam, quæ cùm præsens est, adesse morbum oportet: cùm aufertur, desinere, ex Galeni libro aduersus Iulianum. His constitutis, ostendo in obstructione quæ à lentis, crasis'ue, aut multis succis oborta sit (quam quidem ego in præsens exempli causa mihi propono) causam continentem inesse. Nam cùm ex primo axiomate nihil sine causa gigni usquam possit: necessum quidem est, si genita sit obstructio, alicundè eam esse genitam. Atqui obstructionem, uel à multis, uel crasis, uel deniq; lentis succis fieri, uult cùm I X. tum X. & X I. Meth. & in Arte medicinali Galenus. Erunt itaq; ij succi aut copia redundantes, aut qualitate crasi ac lenti, obstructionis causæ: Quo enim tangente afficimur id omnino causam esse oportet, ex secundo axiomate à nobis posito. Quamobrem cùm succis ijs uasa, uiscus'ue aliquod implentibus, confestim nascatur obstructio, consequens quidem est eos ut obstructionis causas statuamus: & eius quidem generis, ut ad eorum præsentiam nasci cõfestim obstructionem oporteat: at ijs ipsis sublatis, mox & ipsa demitur obstructio: ubi enim probè uel abundantia uacuata, uel attenuata, dissecta detersaq́; fuerint quæ obstructionem faciunt, tandemq́; aut aluo, sudoribus, aut per urinas uacuata, (quæ docta Galeni X. & X I. Meth. & in Arte medicinali obstructionum curandarum ratio est) mox profectò causarum huiusmodi depulsione, sublatam erit cernere obstructionem. Erunt itaq; ij succi uel nimia copia redundantes, uel qualitate crasi ac lenti, obstructionum continentes causæ: ut efficacissimè hac ratione certissimis axiomatis septa atq; munita demonstrasse mihi uideor. Nec est quod hos succos uasis impactos, & opilantes obstructionis nomine digneris, adeoq; eos ipsos obstructionem esse censeas: quod tamen facere conceptis uerbis uideris, in tuis ad librum primum de causis morborum commentarijs, dum secundæ meæ rationi respondes: sic enim inquis,

*Plato in Philebo de Summo bono, & in Timæo.*
*Gal. 1. Meth.*
*Prima ratio.*
*Obiectionis remotio.*

Humores autem partibus laborantibus affixos & inhærentes, esse morbos, lib. XI. Thera. Meth. cap. X. obstructionis exemplo luculentissimè Galenus ostendit. Nam ibidem obstruentes humores, aut id quod ab illis factum est, morbum adeóq; obstructionem nominat.

Hæc tua uerba sunt, quæ tu folio 43. tuorum commentariorum ex Parisima excussione appinxisti. At eo ipso quem tu citas loco, nusquam obstruentes humores Galenus, obstructionis adeóq; morbi nomine est dignatus, sed id quod ab illis succis factum est: sic enim ait,

11. Meth. Ostensum est ipsius febris, prout febris est, aquam frigidam semper esse remedium: quod uerò ad alia spectat, non semper: ueluti cùm ex obstructione glutinosi & crassi humoris, putredo oritur. Ponatur uerò & cum hoc redundantiam in toto esse corpore, tum uirtutem non imbecillam. In eiusmodi nanq; complexionibus, cùm multa præter naturam in corpore sint, quædam eorum præcedentes causæ erunt, ueluti redundantia cum glutinosis & crassis humoribus, Horum enim uitio obstructio est orta, quæ morbus instrumentalis est eorum quæ obstructa sunt corporum.

Vides hic Galenum succorum uitio obstructionem oriri affirmãtem, non autem humores ipsos obstructionem esse? Et eadem ferè primo de Morb. diff. cap. VII. dum deprauatæ cauitatum corporis figuræ morbos enumerat. Multiplices (inquit) sunt huiusce morbi. Alij quia meatus coalescunt, alij quia ijdem à uiscidis crassisq; humoribus obstruantur, consistere solent. An non & hic rursus obstructionem meatuum à uiscidis & crassis oriri succis existimat? Quod paulò pòst planius explicat, dum obstructionem morbum quidem esse conceptis uerbis testatur: Non itaq; unquam obstruentes & affixos parti humores obstructionem esse, aut morbum dixit Galenus: sed id quod ab ijs genitum est, nempe impeditam cauitatem, quæ & obstructio est, & partis instrumentarius affectus ab ijs succis ortum trahens. Aliud nanq; obstructio, aliud obstruens humor: siquidem obstructio, affectæ partis dispositio quædam est, & obductio qua partis meatus qui antea reserati & aperti erant, stipati sunt & oppleti: humor uerò obstruens, id est cuius causa ac meritò talis in parte genita est oppilatio. Quin cùm obstructio reuera morbus sit instrumẽtarius partium, uel Galeni & omnium concordi medicorum consensu: morbus autem uiuentis corporis, non humorum proprius sit affectus, (non enim in humoribus subesse morbus, sed in corpore dicitur, cùm sit utiq; morbus, definiente Galeno, corporis præter naturam constitutio, non humorum) sequitur profectò, humores impactos & obstructionem efficientes, morbum minimè esse. Quod in simili probari perfacilè potest: si à multa pecuniæ ingestione ualde impleatur obducaturq; saccus: non'ne aliud tu implentem & obducentem pecuniam, aliud sacci distentionem oppletionemq; esse dices? Distentio enim & oppletio ad saccum non ad pecuniam propriè pertinet, (siquidem distendi & impleri pecunia nequit: distendere ipsa & implere sanè potest) pecunia uerò ingesta oppilationem certè talem ipsa efficit. Diuersissima igitur reuera sunt,

9. 10. & 11. Metho. & 1. de Morb. differ. & in Arte medicinali

sunt, res obstruens & oppilans, & ipsa oppilatio seu obstructio: differunt enim tanquam efficiens & effectum: siquidem obstructionem efficit humor: obstruentis uerò humoris effectum, ipsa est obstructio. Non itaq; dicere potes impactos parti humores morbos esse, nec id usquam Galenus XI. Meth. (quem tu tamen locum citas) nec uspiam alibi (quod bona tua uenia dictum uolo) unquam dixit. Ridiculum nanq; fuerit quod corporis proprium est, illiq; debetur, id humoribus tribuisse, quibus nulla ratione competere potest. Quomodo enim morbus corporis succis congruere potest, cùm uiuentis solum propria constitutio sit? ut ex illius definitione (quod & nos paulò antea diximus) abundè constat.

Sed & rursus propositum alia ratione firmemus. Tertianam febrim non dubium quin siue exquisita ea fuerit, seu notha, morbum esse omnes confiteri cogamur: atqui in hac ipsa continentem profectò inueniri causam luce meridiana clarius sumus ostensuri: erit itaq; in morbis causam hanc dari. Nam qui humor accessionem tertianæ motu ac putredine sua efficit, is sanè accessionis eius febrilis, causa nimirum continens erit: ut primum enim ad putredinem mouetur, mox certè accessionem parit: eo autem uomitu, aut secessu, sudoribus'ue copiosis soluto, mox & ipsa quoque accessio soluitur: quæ tum profectò (uel Galeni sententia) desinit, cùm bilis putrere desinens, sudoribus, uomitu, aut citata aluo educitur. An non itaq; bilim hanc accessionis tertianæ effectricem causam iure optimo continentem esse dicemus? cùm illa ad putredinem mota, confestim inuadat accessio: desinente & sudoribus soluta, euanescat, prorsusq; in totum soluatur? Hæc profectò continentis causæ ratio est, uel ex ipsius definitione: nec in sola tertiana, sed & in reliquis intermittentibus febribus: quæ solutis alicunde qui eas creant humoribus, solui & ipsæ quoq; solent: experiri id licet. Quandiu enim & quotidianæ, & quartanæ, effectrix humor ad putredinem mouetur, tandiu accessio perstat: illo desinente soluitur. Nec minus in ijs continuis febribus quarum ab initio ad finem una tantum est accessio, cernere id licet: Quarum quidem febrium humor intra uasa conditus atq; putrens, unam perpetuam ad crisin usq; accessionem facit, quæ tandiu perstat, quandiu humor in feruore & putredine constiterit: quo tandem naturæ ui atq; beneficio alicunde abacto, (quod cùm fit, tum maximè decretoria fieri solent) finiri & febrem quoq; ipsam extemplò uidemus: quæ docta Galeni tum IX. Meth. tum II. de Crisibus, & febrium diff. sententia est. Hinc fit, ut aliæ alijs citius tardius'ue finiantur, prout qui febres creat humor natura tenuis, exiguus, solutu facilis: facultas corporis rectrix ualida, florens ætas, cœli temperies, excretionem hanc nullo, aut leui negotio promouerint: uti tardius finiuntur, quæ contrarias causas habent: si quid Galeno locis præcitatis fides habenda. Rationes alias quæ penè in hanc rem innumeræ adduci possent, prudens sciensq; omitto: partim quòd bene multas iam in meis ad Galeni lib. de Morbis & symptomatis commentarijs contuli: partim quòd mihi in præsens id probasse uisus sum, in morbis qui ad instrumenta pertinent, nempe in obstructione, & in ijs item qui ad partium intemperaturam

*Secūda ratio Galenus 1. ad Glauc. Auicē. Fen 1. quarti. capite proprio de Tertiana. Paul. libro 2.*

*2. de diff. feb. cap. 3. & 2. de Crisib. & 9. Meth.*

ram cum affluxu substantię pertinent, uti in febribus humorum uitio ortis, causam dari continentē qui scopus mihi ab initio propositus fuerat). Non enim in omnibus talem est quærere causam: sed in ijs tantum, in quibus effectrix causa adhuc agere perseuerat, necdum agere desijt: in huiusmodi enim una quæpiam causa subest, quæ ita affectum continet, ut & simul cum eo oriatur, & unà item cum eo euanescat: ut exactè superioribus rationibus demonstrasse mihi uideor: & Galenus lib. I. de Sympt. caus. cap. I I. de pupillæ dilatatione loquens, confirmasse uidetur. Eo namque loco dilatationis pupillæ continentem causam rhagoidis tentionem facit. Atqui constat pupillæ dilatationem (quam Græci μυδρίασιν appellant) morbum esse, non pathema. Nam & oculorum affectus est, isq; permanens: & functionem lædens, uel Pauli & Auicennæ testimonio & illi curationem ceu morbo deberi præfati autores atq; cum ijs Aëtius & Rasius plenè testantur.

*Paul. libro 3. cap. 22. Auicē. Fen 3. tertij. trac. 4. cap. 12.*

*Dilutio rationū Fuchsij*

Nunc uerò quod mihi extremum faciundum propositum est, diluendæ rationes tuæ erunt, quibus tu innixus fulcitam abundè tuam de causa continente sentētiam putas. Nam quod ad eos Galeni locos attinet, quos tu tum secundi Paradoxorum cap. I. tum in commentarijs seu annotationibus tuis ad libros de Sanita. tuen. pro tuenda sententia tua citas, eis ego locis omnibus in meis ad Galenum commentarijs satisfecisse, eosq; & explicasse, & in meam sententiam pertraxisse uideor: pagina scilicet 183. ut opus mihi in præsens non sit, eadem repetere ad quem ego te locum remitto. Rationem illam tantum tuam fortissimam diluere conabor, qua tu palmam hac in re te reportaturum confidis. Ea porrò huiusmodi est:

Rerum permanentium non sunt causæ coniunctæ, morbi sunt res permanentes, non habent igitur causas coniunctas. Non esse autem rerum permanentium causas coniunctas, inde satis liquet, quòd non possunt simul cum suis causis auferre. Morbos autem esse res permanentes, docet Galenus. Morbi enim affectus sunt: affectus autem, ut ait Galenus lib. de Sympto. diff. constans & permanens est &c. Hæc tua potissima Fuchsi ratio. quam tu locis citatis tanquam demonstrationem affers. cui ut respondeam illud mihi te imprimis dare uolo, Rerum permanentium duo esse genera: alterum eorum quæ ita constant ac permanent, ut sublata ea à qua nata sunt causa nihilo secius persistant & ipsa: Alterum eorum quæ, etsi facta iam ipsa sunt: & permanentia, causam tamen secum comitem habent, quæ perpetuò generationis suæ partem aliquam, uel fouendo, uel efficiendo imperiat. Quæ & tu ut fateri unà mecum cogare, en Galenum affero testem: is primo Meth. (quem tu etiam locum in annotationibus ad primum de Sanitate tuenda tuis, appositissimè citas) id conceptis uerbis explanasse est uisus, inquiens:

*Duo rerum permanentiū genera.*

Eius affectus qui actionem impedit causæ, possunt quidem non etiam esse, possunt autem & adhuc manere. Et rursus I I I. Meth. Auspicari namq; perpetuò oportet ab indicatione quæ ab affectu, cui mederi paramus accipitur: æstimare uerò ac discernere, an causa quæ affectum excitauit iam desierit, an nunc quoq; ipsum tum augeat, tum faciat.

Vides

Vides hic Fuchsi doctiss. affectum (qui quidem res permanens est) interdum sine ea quæ ipsum excitauit causa manere posse, interdum uerò à sua causa tum augeri tum fieri (hæc enim Galeni uerba sunt.) Itaq; cùm ex his Galeni locis euidentissimum illud sit, affectus ipsos nonnunquam unà cum suis causis manere: haud difficilis fuerit ad tuam illam rationem responsio. Nam illius assumptum ut perpetuò uerum non est, ita neque omnifariam admittendum. Cùm enim ais, Rerum permanentium non sunt causæ coniunctæ: id sanè admittendum non est. Sunt enim res permanentes quædam, quæ unà cum suis causis simul & constant & tolluntur. Nam in accessione febrili cuiusuis intermittentis febris, (quam quidem tu accessionem permanentem esse affectum negare nec potes nec debes) qui illam creat humor, non'ne & simul cum ea constat, & sublato item humore, uomituq; aut sudore, aut quouis alio uacuationis genere soluto, non'ne confestim & ea soluitur accessio? Quod quoniam fateri necessariò cogeris uel experientiæ & sensuum fide, à qua demonstrationis omnis firmitas, uel Galeni testimonio, petenda est: confiteri illud item necesse habebis, quarundam permanẽtium rerum esse causas coniunctas. illæ solum permanentes res hac ipsa carent, in quibus agere iam causa desijt, & ipsa tota iam facta sunt, atq; ita constantia, ut causæ nullius egeant, qualia hectica, ephemera febris, uulnusq; habentur. isthæc enim eiusmodi sunt, ut eorum nihil in fieri, sed quicquid ad eorum essentiam pertinet id omne iam factum sit atque in eiusmodi affectibus, neque coniunctam ego causam neq; alterius generis ullam recognosco. Cùm enim constant tales affectus, iam ipsorum effectrix desijt agere causa. itaq; tum nullam prorsus habent, quanquam prius certè habuerint. quod axioma sit medicum, uel Galeni. 1. Meth. testimonio, nihil sine causa fieri. itaq; euersa tuæ demonstrationis assumptione, res inquam permanentes coniunctas causas non habere (cùm quarundam esse modo probauerimus) corruit profectò quicquid ex assumpto illo collectum erat. demonstratio enim uti scis, ex ueris ac necessarijs constare debet. Quamobrem cùm assumptum illud tuum, perpetuò uerum non esse indicauerimus, constat profectò demõstrationem illam tuam non procedere. Quæ sanè locum haberet ipsa, si assumptio illa perpetuò admittenda ueniret. Probationem illam autem tuam, qua assumptum ita probas, ut uelis liquere illud, quòd non possint res permanentes cum suis causis auferri: mihi sanè dictum hoc tuum non probatur: quod bona tua uenia dictum uelim. Nam ex rebus permanentibus quædam ita cum suis causis hærent, ut unà cum illis etiam tollantur: ut de accessione putrenteq; in ea humore ostendimus. Cùm nanq; accessio illa constans res sit, unà tamen cum effectrice sua causa & nascitur, & aboletur. Excitato enim ad putredinem humore, mox inuadit accessio: quæ, ubi solutus fuerit humor, confestim & ipsa soluitur: probatio itaq; tua locum mihi habere non uidetur. Tametsi ingenuè illud ego confiteor, tam esse res quasdam cõstantes & permanentes, ut etsi sublatæ sint earum causæ, auferri tamen ipsæ non queant: sed sine illis cõstanter perseuerent, ueluti paulò antè de hectica & ephemera febribus, atq; uulneribus ostensum

*Ad rationem Fuchsij respõsio.*

*11. de Simpl. fa. capite 35. & cap. ulti.*

ſum eſt. Non enim hæc unà cum ſuis productricibus cauſis auferuntur, ſed ipſa per ſe manent. Atq; per hæc rationi tuæ ſatisfactum eſſe uolo. Illud uerò magnam me in admirationem traxit, quod in annotationibus tuis ad librum quartū de Sanit. tuen. ſcripſiſti: Galenum in libro quem de Cauſa continente inſcripſit, multis argumentis oſtendere, nullam eſſe eiuſmodi in morbis cauſam. Cùm tamen illud omnibus in confeſſo ſit, nuſpiam eum Galeni librum inueniri. Ego quidem certè, etſi omnia Galeni tum Græcè ſcripta, tum Latinè uerſa habeo, in illiſq; euoluendis ac nocturna uerſandis manu, uerſandiſq; diurna, non minimum operæ atq; ſtudij poſuerim, ea de re conſcriptum à Galeno librum neq; in Græcè ſcriptis, neq; in Latinè uerſis, aut legi, aut uidi, unquā. Publico autem ueſtrorum typographorū teſtimonio, eum ipſum deſiderari librū, nec uſpiam haberi, fide certiſsima depræhendi. Sub finem enim libri de Procatarcticis cauſis Latinè uerſi, deſiderari alterum de cauſa continente, qui proximè ſecuturus illum erat (& quem ſe edidiſſe teſtatur in commentario de libris à ſe editis Galenus) planè legi. Tu ſi illum habes, ut habere te, nobis eſt affirmandum, poſteaquam tu de illo teſtimonium præbes, amabò te Fuchſi doctiſs. atq; humaniſsime, ne nobis felicitatem hanc inuideas, quin tu eius nos tanti boni participes efficere uelis: Palmam enim feres, ſi eò loci non dari in morbis continentem cauſam à Galeno pronuntiatum monſtraueris: omnemq; non mihi tantum uni, ſed & pleriſq;, qui in hac ſumus opinione atq; ſententia, dubitandi locum ademeris. Sed ſi illud eò loci dixit Galenus, (quod minimè certè ut credam, quando libro illo caremus adduci poſſum) parum profectò ſibi conſtare mihi uidebitur: cùm commentario tertio in ſextum de Popularibus morbis Hippocratis, id maximè curandum medico propoſuerit, ut in ægris cauſas ſcire atq; cognoſcere, non ſolùm quas anteincipientes uocant, ſed & quas antegreſſas, & quas contentiuas omni ſtudio contendat, affirmauit. Quo in loco profectò explicatiſsimis uerbis tria cauſarum in morbis genera poſuiſſe, atq; in ijs continentium cauſarum genus collocaſſe eſt uiſus: quod à nobis eſt ſuprà monſtratum.

*Fuchſij laus.* Sed iam finem facio, ſi id à te Fuchſi impetrauero, ut iſta à me non calumniandi aut laceſſendi tui ſtudio, quem ego ob admirabiles tuas & animi & ingenij dotes, atq; uirtutes, mirabiliter amo & colo: quantum quidem excellens tua eruditio & uigilati labores promereri uidētur, ſcripta eſſe exiſtimare uelis: à quo certe ſtudio ſoleo eſſe ſi quiſquam alieniſsimus: ſed ut in re difficili & controuerſa, ueritatem propius indagarem atq; eruerem, (qui unus mihi ſcopus in omni uita & antea ſemper, & in poſterum propoſitus erit) in eo me maxima elaboraſſe, non uincendi ſtudio, qui à te tanto taliq; duce uinci paratus ſum: ſed meæ in ea re declarandæ mentis ſententiæq; explicandæ. Quam ego à bonis omnibus ita expendi, dijudicari, ac ſub cenſuræ legem reuocari uolo, ut doctiſsimorum quorunq; iudicium cenſuramq; mihi aduocem: ſi modò ea cum ueritate & beneuolentia coniuncta fuerit, uti cum morbis cauſa, ea de qua mihi tecum eſt concertatio, coniuncta eſſe indelebiliter ſolet.

*Medico necessariam esse Astrorum scientiam, aduersus quorundam assertionem.*

## ENARRATIO II.

VM in consessu præstantium aliquot uirorum de re medica sermo ortus esset: deq́ue disciplinis ijs, quibus medicum præditum esse oportere eum, constans fama erat, qui se eo nomine ac professione dignum haberi uellet: eorum unus, qui propius quæ ad medendi scientiam pertinerent scire se profitebatur, ex Galeni mente medicum artium atq; disciplinarum bonarum omnium, imprimis uerò astronomiæ ac naturalis scientiæ usu cognitioneq́ue eruditum, probeq́ue instructum esse debere, magna certe ratione affirmabat. Cui cùm mox reclamatum esset, quà ille medicum astrorum scientiam callere debere existimabat, (erat enim in cœtu illo unus quispiam, qui astronomis infensissimus, nihil quicquam uel medicis, uel aliarum disciplinarum cultoribus inde petendum ob artis incertitudinem constanter magnaq́ue fiducia asseuerabat) multa in utranq; partem longo sermonis ductu prolata, nec sine magna contentione fuere. Cui quidem sermoni, cùm finem nullum alium, qui ea de re concertabant inuenirent, quàm ut ad medicos tota res deferretur: me quidem ualdè rogarunt, ut quid ipse sentirem, quidq́ue parati ea in re haberem depromere uellem. Quibus cùm omni studio placere studerem, & si difficillimũ atq; arduum uidebatur, tanta de re iudicium ferre: ne non tamen quæ ad professionis meæ dignitatem pertinere uiderentur, ignorare illis uisus essem, in animum induxi morem illis gerere: fortiterq́ue eius tutatus sum partes, qui astrorum scientiam medico ualde necessariam esse contendebat: attuliq́ue in eam rem probatissimorum quorunq; nostræ artis meliorisq́ue philosophiæ autorum placita: quibus ceu firmissimis præsidijs septus, sententiam ipse confirmarem meam: haberemq́ue quod repugnantibus & aduersum sentientibus obijcere possem, ab Hippocrate medicinæ parente exorsus. Is igitur probè gnarus, quanti esset in re medica momenti astrorum ortus atq; occasus nosse, astrorum scientiam non minimum quidem, sed ualde plurimum ad medendi peritiam conferre, libro de Aëre, aquis, & locis testatissimum fecit. Nam cùm hoc eius disciplinæ proprium sit, ut omnes syderum motus, eorundem ortus atq; occasus, progressiones, directiones, status, uires ac potestates dignoscat, & contempletur, uel Ptolemæi testimonio: hæc uerò orientia occumbentiaue sydera, magnas in corporibus mutationes pariant: efficitur profectò, ut eius artis cognitio ei sit ualde necessaria, qui noxas eas quæ ab astris hominibus proueniunt uitare uelit: cumq́ue medici proprium esse munus uideatur, ut tuto curet: consequitur, ut astrorum scientiam magno medicis usui esse confiteri cogamur. Quod ut euidentissimum faciam, Hippocratis ea de re placita, ac post eum Galeni afferre non pigebit: adiectis etiam tum Platonis, tum Aristotelis atque Ptolemæi decretis: his enim ducibus uictoriam me reportaturum planè confido. Hippocrates igitur astronomiæ in medicina

*Per totũ Almagesti opus et quadripartiti.*

usum docens ad hunc loquitur modum:

*Lib. de Aëre, aquis & loc.*

εἰδὼς γὰρ τῶν ὡρέων τὰς μεταβολὰς, καὶ τῶν ἄστρων ἐπιτολάς τε καὶ δύσιας, καθότι ἕκαστον τουτέων γίγνεται, προειδείη ἂν τὸ ἔτος, ὁκοῖόν τι μέλλει γίγνεσθαι. οὕτως ἄν τις ἐρευνώμενος καὶ προγινώσκων τοὺς καιροὺς, μάλιστ' ἂν εἰδείη περὶ ἑκάστου, καὶ τὰ πλεῖστα τυγχάνει τῆς ὑγιείης, καὶ κατ' ὀρθὸν φέροιτο οὐκ ἐλάχιστα ἐν τῇ τέχνῃ. εἰ δὲ δοκέοι τις ταῦτα μετεωρόλογα εἶναι, εἰ μεταστάιη τῆς γνώμης, μάθοι ἂν ὅτι οὐκ ἐλάχιστον μέρος συμβάλλεται ἀστρονομίη ἐς ἰητρικὴν, ἀλλὰ πάνυ πλεῖστον.

Quod est: Quum enim temporum mutationes, & astrorum ortus ac occasus obseruauerit, quemadmodum singula horum eueniant, praenoscet utique & de anno, qualis hic sit futurus: hoc namque modo si quis rimatus fuerit, ac praecognouerit temporum occasiones, maximè de singulis sciet, ut plurimumque sanitatem adsequetur, & recta uia procedet, non minima artis suae gloria. Quod si cui haec sublimiora uideantur, is si ab hac sententia discedat, discet sanè non minimam partem conferre ad rem medicam ipsam Astronomiam, sed omnino plurimam.

Hac serie Hippocrates, astronomiae in re medica usum plenè explicasse uidetur: dum ex astrorum obseruationibus, & temporum mutationes sciri, & qualis anni totius futura sit constitutio praecognosci, indeque artis scopum qui sanitas est, magna artis gloria attingi, eumque qui isthaec inquisiuerit, ac indagarit, plena fide cogniturum, astrorum scientiam non minimam medendi artis partem, sed sanè plurimam esse, ut cuius obseruatione & recta uia processurum medicum, & sanitatem ut plurimum consecuturum affirmet. Sed an non idipsum plenius idem confirmare eodem ipso loco uidetur, dum ciuitatum uarios situs, & ad solem uarios aspectus enarrans, quid quaeque ciuitas eo ex positu commodi incommodi'ue nanciscatur: quid in ea maximè uitandum, quo in loco salubrius degendũ, mira quadam arte explicat? Quid quod anni cõditionem omnem praedicere, salubris'ne an morbosus idem sit futurus, ex astrorum obseruatione nos idem docet? Caeterùm (inquit) de annis hoc modo consideratione facta quis cognoscere possit, qualisnam sit annus futurus, salubris'ne an morbosus. Si enim secundũ rationem fiant signa in astris occidentibus ac orientibus, & in autumno aquae fiant, & hyems sit moderata, & neque ualde clemens neque modum excedens frigiditate, & in uere ac in aestate tempestiuè pluat: sanè saluberrimum esse annum par est. Sed quid est secundum rationem in astris occidentibus ac orientibus signa fieri? Id inquam, annum eam seruare constitutionem, quae orientibus occumbentibusque alijs atque alijs astris debetur: signorum enim nomine, annuum solis cursum in obliquo circulo (quem Zodiacum nominant, & à quo anni conuersio uires sumit) designare uidetur. Itaque cum pro ratione occumbentium orientiumque syderum congrua fuerit anni constitutio, salubrem tum certè sperare annum oportet: ut pote si occidentibus Vergilijs tempestas fiat, si oriente Cane ingens aestus: si in bruma rigor cum ingenti borealium uentorum flatu: si in aequinoctijs pluuiae tempestiuae uentique interdum uehementiores fuerint, (haec enim ijs syderum cursibus fieri, temporaque ad hunc modum immutari Columella libr. Rei rusticae XI. cap. II.

*Lib. de Aëre, aquis & loc.*

*Hippocratis locus explicatur.*

cap. I I. doctissimè affirmauit.) Quod si contrà accidat, morbosam anni cōstitutionem expectare oportet. Vnde est illud Ptolemæi, Erraticarum (inquit) stellarum atq; fixarum circumuolutio, calores, uentos, ac niues in ambiente nos aëre uariè efficit. Quamobrem ex eorum temperatura rebus terræ superpositis alterationes accidunt. Et secundum eorum figuras quas ex sua inuicem coniunctione, suarumq; uirium commixtione suscipiunt, uariæ rerum mutationes contingunt. An non hic Hippocratis à Ptolemæo explicatam mentem uidemus? Verùm quantus in hoc sit Hippocrates, quantiq; hos syderum cursus faciat, paulò presius expendamus.

*1. Quadripartiti.*

Magnas (ait) temporum mutationes, maximè obseruare oportet, ut neq; medicamenta in illis libenter exhibeamus, neq; uramus quæ circa uentrem, neq; secemus priusquam prætereant dies decem aut plures, & non pauciores. Periculosissima sunt etiam ambo solstitia, maximè uerò æstiuum. Periculosum etiam æquinoctiū utrunq;, magis uerò autumnale. Oportet autem & astrorum exortus considerare, præcipuè canis, deinde arcturi, & pleïadum occasum: morbi enim in his maximè diebus iudicantur, aliiq; perimunt, alii uerò desinunt, aut in aliam speciem aliumq; statum transmutantur. Et circa hæc quidem sicut dixi se res habet.

*Lib. de Aëre, aquis & loc.*

An non hic cautione maxima hoc syderum cursus, ceu hominibus aduersissimos cauendos medico proposuit? ut cùm in illis morbi & iudicari & desinere, uel opprimere ægros ualde soleāt, aut in aliam speciem transmutari, ne quid id temporis ualidū corpori exhibeamus, non sectionem, ustionem'ue, non deiectorium medicamētum, non aliud quicquam quod magnopere lædere corpus possit: ne ad eam noxam, quam ex horum syderum ortu occasu'ue sentiunt, alia ex medicamētorum usu maior adiungatur, tumq; (nisi grauis aliquis urgeat morbus, impendensq; periculum aliquod) quieti permittere corpus consultius salubriusq; fuerit: unde est illud item eiusdem autoris, Sub cane & ante canem molestas esse purgationes. Et illud rursus lib. I. de Diæta, seu Victus ratione: Astrorum (inquit) ortus & occasus medicus agnoscat oportet, ut mutationes excessusq; cauere sciat. Et lib. de Carnibus: De rebus sublimibus in aëre ac cœlo (inquit) neq; opus habeo dicere, nisi quòd quantum ad hominem & reliqua animantia, quæ sunt, & nata sunt, pertinet, demonstrabo: quòd & anima sunt, & quòd sanitas, & quòd morbus, & quòd in homine malum ac bonum, & unde moritur. Quin ex horum syderum obseruatione (ut refert Soranus) & uenturam pestem prospiciens, Athenienses præmonuit, & discipulos ad curandum & opem ferendum misit. Lib. uerò de Octimestri partu ex lunæ tempore, conceptus statu, partum uel differri uel accelerari tradit. Libro item de Insomniis ex astrorum conceptis per somnum imaginationibus, & multa de corporis affectibus idem colligit: & qua sit uictus ratione opitulandum, quibus præsidiis cauendum quod portenditur mali, amplissimè docet. Quorsum autem tam multus in syderum obseruatione Hippocrates? in id scilicet, ut quippiam in morbis subesse diuinum, admirabile, sublime, & quòd corporeum minimè sit

*Loci Hippocratis explicatio.*

*4. Aphorism.*

agnoſcamus, utq; ex aſtris, ut ille quidem arbitratur, uim quandam uel beneficam & ſalutarem, uel malignam & nocentem in hæc demitti inferiora intelligamus: à qua morbi rectè ſalutariterq; ſi uis aſtrorum benefica fuerit, uel malè & exitialiter, ſi aduerſa fuerit, decernant: idq; abdita quadam ui, nobis prorſus quidem ignota, non tantum qualitatum exceſſu. Nam ſi frigiditate nimia noxium brumale ſolſtitium exiſtimaſſet, cur æſtiuum cùm feruētiſsimum ſit, perinde noxiũ habetur? Si uerò alia quauis qualitatum exuperantia horum ſyderum ortus atque occaſus graues putat: cur æquinoctium uernum, & qui ab eo non longè diſtat Vergiliarum exortus, temperatiſsima cùm ſint (quòd ueri atq; æſtati præbeant initium) noxia tamen dixit? Non profectò quòd ullo qualitatum exceſſu, caloris inquam, aut frigoris noxam corporibus adferant: ſed quòd poteſtate quadam uirtuteq; abditiore quippiam de ſuo aëri impertiant, quod occulta ui corporis noſtri habitum turbare, magnaq; moleſtia afficere queat, unde morbi malè ſæpe decernant. Atq; hactenus ex Hippocratis mente quantum aſtronomia medicinæ conferat, dixiſſe ſit ſatis. Ad Galeni ea de re explicandam mentem progredior. Is itaque Hippocratis ſenſa enarrans, ea quæ de popularibus morbis ſcripſit, ad eorum cognitionem nihil quicquam medico congruentius, aut neceſſarium magis eſſe aſtrorum contemplatione aſtruxit. Eſt (inquit) ad omnem propoſitam diſputationem cùm primis neceſſarium unaquaque in regione ubi obire medicā artem inſtituimus, cuiuſq; perſpexiſſe ſyderis emerſus, occaſuſq;: quia tempora ab his anni circunſcribuntur. Sydus porrò ex Aſtronomorum placitis uocat, quod ex multis ſtellis conſtat, ut Taurum, Hyadas, aut Vergilias. Stellam uerò quod non ex pluribus. Annum uerò ſyderum emerſu atq; occaſu diſtingui, paulò pòſt teſtatiſsimũ facit, dum quatuor anni tempora ab æquinoctijs, ac Vergiliarum ortu atq; occaſu, diſterminari affirmat. Alterum enim æquinoctium ueri, autumno alterũ initium præbet. Vergiliarum uerò exortus æſtatem, occaſus hyemem inchoat. Quam rurſus ſententiam idem Aphoriſmorũ tertio, comment. XIIII. expreſſerat. Sed cur exortus tantum ſyderum atq; occaſus, non alios eorundem ſtatus, uti progreſsiones, retrogradationes, ſtationes conſiderare una cum Hippocrate iubet? Quòd exorientia occumbentiaq; ſydera maximam ſubditis corporibus uim inferant: exortu quidem ſuo tum lumine tum motu ſupra hemiſpherium noſtrum uariè corpus exagitantia atq; commouentia. Si quidem (quod rei ruſticæ ſcriptores penè omnes teſtantur) æquinoctiorum poteſtate, orientibus inquam Ariete ac Libra, tempeſtates fiunt; Solſtitio brumali oleæ, Populi, Salicis folia inuerti uidemus: pulegiumq; in carnarijs tectis diu ante appenſum, totumq; iam exuccum aridumq; factum, nulla alimoniæ poteſtate, nullo humore præditum, florere, quaſi uim ſyderis ſentiente herba ac repubeſcente, exhilarari planè cernimus. An non hæc miranda naturæ opera ſunt? Quæ nec ipſa in patentes elementorum uires, ſed in admirabilem quandam & præpotentem ſyderum, nobis quidem ignotam, nec ſatis uſque perſpectam uim referre iure debemus. Nec ſolùm in plantis, & ijs quas modò diximus

*Cõment.1.ad primum Epidemiorũ Hippoc.*

*Sydus.*

*Stella.*

*Plinius lib.2. Natur.hiſto. cap.41. & libro 18.ca.25.*

arborib

arboribus ac cæteris terræ nascentibus: sed & in animantibus ac hominibus uim hanc suam sydera exercent. Quæ docta Ptolemæi I. Apotelesmaton Aphorism. XV. sententia est. Occasu uerò suo uim item quandam inferre subditis rebus sydera ipsa experientiæ fides demonstrat. Sub Solis enim occasum & crassescere aërem, & perfrigerari, tenebrasq́ue offundi nobis, planè cernimus: quod & lumine & Solis calore, tum sub terras condito sydere priuemur. Quin & quorundam aliorum syderum atq́ue stellarum occasu, magnas in aëre fieri mutationes animaduersum est: Pleiadum occasu tempestatem aquilonaresq́ue uentos insurgere certum est: Suculis se condentibus pluuias: Cane occidente atq́ue item Arcturo oriri tempestates prisci obseruarunt. Quæ omnia fusissimè Columella lib. rei rusticæ XI. cap. II. expressit. Sed rursus ad Galenum: Is denuò medicos ad huius scientiæ cognitionem, uel Hippocratis præcepto his uerbis hortatur. Qui (inquit) astronomiæ imperitus est, hunc celatum nolim, ipsum haudquaquam obsequi Hippocrati ad illam ob prædictorum usum cohortanti. Quibus uerbis & quorsum medico discendam hanc artem, & quid ea in re medica commodi præstare possit, apertissimè explicasse uidetur. Nam ob id assequendam eam medicis uult Hippocrates, ut aëris præcipuè mutationes, anniq́ue uarias constitutiones, quæ ab astris proueniunt, præcognoscere ad hominum tutelam medicus possit: eaq́ue præcognoscens quæ hominibus salutaria noxiáue futura sunt, rectè consulere ad hominum salutem queat: atque ob id Galenus eum qui astronomiæ imperitus sit, minimè Hippocrati obsequi affirmauit, ad eam ob prædictorum usum cohortanti. Prædixerat autē Hippocrates, ortus occasusq́ue syderum ad anni constitutionem obseruandos: itaque hic præcipuus est astronomiæ in medicina usus, ut ortu occasuq́ue syderum obseruato, qualis nam futura sit anni conditio: æstuosáne, an frigida, sicca & squalens, an imbribus madida (ac proinde salubris aut morbosa) scire possimus: ut tandem quæ exuperantem qualitatem uincere queant præsidia admoueamus. Hoc monuit Hippocrates libro de Hominis natura, inquiens: Sic medicus cum morbis congredi debet, ut singulis horum dominantibus in corpore, pro anni tempore, quod potissimùm dispensatur secundum naturam. Et paulò post: Medicus repugnet oportet præsenti tempestati, morbis, formis, anni temporibus, ætatibus. At rursus Galenus lib. III. de Decretorijs diebus, tantum profectò Lunæ cæterisq́ue astris, qui se ei statis quibusdam diebus adiunxerint tribuit, ut illi uni alterationes eas, quæ ægris obueniūt per iudiciarios dies acceptas ferat: omnemq́ue omnino Lunæ potestatem in terrenis regendis ac immutandis præbeat. Eius porrò ea de re uerba hæc sunt: (dierum enim iudicialium causas inuestigans, in duas potissimùm dierum criticorum rationem refert) Causas, inquit, horum ratione nobis indagantibus, duo prima omnium quæ fiunt primordia esse statuenda uidentur: inordinatum uidelicet, quod ex hac mundi materie proficiscitur: ordine uerò ornatuq́ue procedens, semper quod cœlestibus originem fert acceptam: omnia siquidem in hoc orbe ab illis (cœlestibus inquam) decus ornamentumq́ue capessunt. Decre-

*Cōment. 1 ad primū de Popularib. morbis.*

*Explicatio loci Hippocratis atque Galeni.*

*Lib. de Aëre, aquis & loc.*

*Astronomiæ in medicina usus.*

torior

*Loci Galeni explanatio.*

toriorum hac ſerie dierum cauſas ex inordinato & ordinato proficiſci uult Galenus: nempe ex fluctuantis & agitatæ materiæ motu, & ordinato compoſitoq́ ſyderum quorundam motu: ut paulò pòſt ex eiuſdem mente explicaturi ſumus. Omnium (ſubdit) ſuperiorum aſtrorum potentia fruimur: uerùm Sol maximè hunc orbem exornat & concinnè diſponit: Quippè ueris, æſtatis, autumni, & hyemis autor alius nemo extat: Magna ſanè & Lunæ opera in hac rerum ſubſtantia apparent, uerùm Solis effectibus poſteriora. Etenim menſes hæc perpetuò ordinat.

Paucisq́ interpoſitis, Igitur, ait, fructus auget incraſſatq́, animantia implet: Adhæc menſtruorum ſtatum tempus mulieribus conſeruat, item comitialium circuitus cuſtodit, inde quod Solis plus uel minus participat. Omnia ſiquidem quæ facere nata eſt, ubi falcis figuram repræſentat, languida fiunt: inualeſcunt omnia, cùm plena fuerit. Quapropter & fruges interea adauget maturatq́ celerrimè: ferarum occiſa corpora in tabem uiſu ſuo reſoluit: ſomnoq́ ſopitis, ſub eius lumine uel aliter diutius immoratis, pallorem & capitis dolorem conciliat. An non has uires Galenus de Aſtronomorum fontibus deprompſit? Deprompſiſſe autem illum, quæ capitis ſexti huius libri initio ſcripta ſunt palam teſtãtur: Porrò (inquit) illud denuò repetendum eſt, quod nos quoq́ obſeruantes uerißimum ſemper eſſe comperimus, ab Aegyptijs Aſtronomis inuentum, Lunam non modò ægris, ſed etiam ſanis, dies quales tandem futuri ſint poſſe prænuntiare. Si etenim ad planetas temperatos ſteterit, quos iam & ſalutares Latini, ἀγαθοποιοὺς Græci nominant, fauſtos & bonos producere: ſi ad intemperatos, graues moleſtosq́. Teſtatur quidem longa ſe obſeruatione ab Aegyptijs quidem Aſtronomis inuenta, ſalutares infauſtosq́ dies tum ægris tum ſanis, ex Lunæ ad cæteros beneficos maleficosq́ planetas applicatione, prædici uerißimè poſſe. Etſi ea res ambiguitatem mihi ſanè non minimam habere uidetur: de qua paulò pòſt copioſior dabitur diſſerendi locus. Non enim profectò hac ego in re Galeno aſſentior: Cæterùm uehementiores ubi Luna cum Sole coit, aut diametra eſt, accidere mutationes idem ipſe cap. III. affirmat: ubi imbecillas & obſcuras, dum curuata in cornua ac falcata uidetur. Quanta uerò cura, quàm exacta numeratione, Lunæ motum idem deſcribat, & ueluti minutatim diſpeſcat, quæ capitibus IIII. & V. eiuſdem libri traduntur fidem faciunt. In ſumma, eorum quæ in diem omnibus quæ ſubſiſtũt incidunt, cauſam horum Lunam habere obſeruatum eſt: ſic enim Galenus cap. V. eius tractationis, qui & ipſe alterationes magnas quas in tetragonis & diametris Lunæ figuris, per ſeptimanas fieri affirmauit: in lethalibus quidem morbis lethales & ipſas, in ſalubribus bonas euenire neceſſe eſſe ex Aſtronomorũ placitis aſtruxiſſe cap. VI. uidetur, quibus niſi aſſentiãtur medici (pleroſq́ enim non aſſenſuros prudenter augurabatur) ſophiſtarum non medicorum nomine inſigniendos, hoc eſt dehoneſtandos putauit: adeò certa firmaq́ exiſtimauit, quæ de hiſce rebus ab eius artis peritis prodita eſſent. Quod ipſe ſub finem libri confirmans ita eſt teſtificatus. Atq́ principium non aſtronomis tantum, uel naturalibus philoſophis, ſed agricolis

lis

lis quoq;, & nautis, hominibusq; omnibus receptum assumi: Lunam uidelicet, terrestrem plagam ueluti principem quendam magni regis Solis immutare. Huius circuitus dies decretorios sequi demonstrauimus. Qua sanè sententia Galenus, non ex astronomorum modò placitis, sed philosophorum, nautarum, & agricolarum, omnium demiq; ingenio & doctrina præditorum hominum, (quibus omnibus confessum id esse uult principium, à Luna inferiora hæc, ceu à principe quodam regi) dierum decretoriorum euentus, rerumq; alterationes Lunæ atq; astris ascribendos esse affirmauit: hæcq; adeò rata firmaq; habenda, ut omnium consensione constare approbataq; esse uelit: tantum ille astronomorum decretis tribuit. In quo profectò uereor, ne nimius, & plus quàm par sit illis addictior fuisse uideatur. Quid uerò ea de re tota Plato senserit, excutiamus: *Plato.* non minimum & is certè huic philosophiæ parti tribuisse uidetur, in Ciuili enim de regno, cœli circuitum mutationis horum inferiorum causam esse iure affirmauit. In Epinomide uerò, sapientissimum quid Astronomiam haberi debere. Legum septimo, Solem & Lunam magnos deos appellat (hoc est, ut ego quidem ex Galeni suprà citatis locis interpretor) inter astra quidem, horum inferiorum rectores, moderatores, *Loci Platonis explicatio.* præcipuosq; eorum quæ in his contingunt mutationum autores. In Timæo uerò, ex astrorum uario concursu, circuitibus, reuolutionibus: ex eorundem ortu & occasu, quid nobis proueniat magna ex ipsorum inspectione diligentia inquirendum suadet. Perfectiora item esse in cœlo quàm in his inferioribus elementa: & stellas quasdam calorem, alias frigus inducere, pro comperto haberi uult: subdens, cuius animantium generi peculiare in cœlo subesse astrum. Temere'ne hæc à tanto uiro prolata nisi quid magnum in astronomia subsit sumus existimaturi? Cui sanè consentanea Aristotelem eius discipulum scriptis mandasse scimus. Siquidem *Aristoteles.* Naturalis auscultationis lib. I I. cap. eiusdem numeri, Astrologiam naturalis scientiæ partem esse asseuerat. Quòd si physica speculatio tam medico necessaria est, ut sine ea ne medici quidem nomen mereatur: (cùm tradente Galeno, optimus medicus idem sit & philosophus: naturæq; contemplatio in omnem partem medico eò necessaria sit, ut per eam qualis sit hominis natura dignoscere, & quæ in usus hominum naturæ beneficio prolata, qualia nam ea sint deprehendere ualeamus) physicæ autem contemplationis non minima pars astrologia est: sequitur omnino hanc esse medico perpendendam: si modò se professione dignum sua haberi uelit. Quin & eo ipso loco, à Sole & homine hominem generari idem ipse tradit, octauo uerò eiusdem tractationis libro, motus hos rerum inferiorum omnes, ad supremum illum primumq; motorem, ceu in effectricem principemq; motuum omnium causam, refert. De syderum uerò ordine, figura, ac motibus tractationem ingressus. lib. I I. de Cœlo, capitibus X. X I. & X I I. ex astronomorum placitis (Aegyptiorum præsertim & Babyloniorum) suas desumit de hisce rebus probationes: quas ille ab præfatis se accepisse astronomis, & dignas habendas quibus fides summa habeatur, conceptis uerbis affirmat: uti & rursus primi Meteororū cap. V I. de

Cometis

Cometis ex sua & Aegyptiorum sententia tractans. Idem ipse porrò II. de generatione cap. X. Cœli lationem generationis & corruptionis causam esse tradit: plures'q; ob id necessariò esse oportuisse cœlorum motus, ut generationi rerum sufficerent. Quæ rursus sententia libro de Mundo ad Alexandrum ab eodem scripta est. Primi uerò Meteororũ cap. II. mundum hunc contiguum superioribus lationibus ob id factum esse, ut omnis eius inde uirtus regeretur, indubiè affirmauit: multa'q; item in eandem rem cap. III. libro uerò II. pluuias & uentos ob solis & syderum lationes excitari tradit. Duodecimo uerò primæ philosophiæ, Astronomiam philosophiæ familiarissimã esse demonstrat. Multa præterea secundo de Animalium generatione ad principium. & cap. IIII. libro item eiusdem tractationis IIII. cap. ulti. Libro uerò de Mundo, quem paulò antè citauimus, uitæ spatia cœlorũ metiri circuitibus docet. Primo uerò Politicorum cap. VII. Thaletem Milesiũ cùm ex astrorum obseruatione oleæ caritatẽ futuram prænouisset, obseruatione ea ditatum fuisse scribit. An non qui tam multa de cœlorũ ac syderum motionibus, uiribus, effectionibus prodidit, astronomiã plurimi fecisse dicendus est? cùm præsertim magnã ubiq; Aegyptijs Babylonijs'q;, qui accuratius ista ac scrupulosius inuestigarunt, fidem habendã pronuntiet? In quam item Cap. 16. rursus sententiã Iosephus Antiquitatum libro priore pedibus it: fide digna uideri asserens, quæ Aegyptij ex Luna prædicant. Omitto prudens quæ ab Ptolemæo primo suæ magnæ constructionis, quã Almagestum uocauit, cap. I. & primi Apotelesmatum capitibus I. & II. de huius scientiæ dignitate, utilitate'q; dicta sunt: ne in recensendis ad uerbum sententijs, nimius fuisse uideri possim. Illud certè pro confesso habendum: magno in aëris alterationibus prænoscendis, & in tota re medica usui, astrorum scientiam esse: quod tantorum uirorum testimonio locupletissimè probasse mihi uideor. Nec uerò tamen hanc meam de astronomiæ usu ac dignitate sententiam ita accipi uolo, quasi ab ea petenda esse ducam medicorum scita, præceptiones, consulta: neq; ut ab astronomorum placitis discedere uel transuersum unguem medico liceat. Non enim sic profectò iudico: sed sunt potius sequenda, imitanda, adhibenda'q; medico dogmata: ea'q; non ab astronomorum scholis, sed Hippocratis, Galeni, Pauli, Aëtij, Auicennæ, & cæterorum eius notæ autorum, qui certissimis theorematis salutarem medendi scientiam tradiderunt. Quibus (neglectis ijs, quæ astronomi de dandis medicamentis, de secanda uena, de ferro adhibendo, de'q; cæteris medicis operibus, ex astrorum uario positu & obseruatione obeundis produnt: quorum pleraq; inania esse & falsa, & multi sæpe alij, & ego infinities sum expertus) inniti debere medicum affirmo. atq; ex eorum obseruatione præceptorum, quæ salutaria inuenta sunt, hominibus cõsulere, non ex astrorum obseruatione oportere. Quis enim tam insanus sit, & suæ artis insciens, ut si in graui & præcipiti morbo, uel secanda ægro uena fuerit, uel deiectorium medicamentum dandum, Luna uerò uel in Geminorum signo posita, uel deliquium patiens, uel Saturno aut Marti opposita, uel Soli coniuncta fuerit (quibus in

aspect

aspectibus mitti sanguinem astronomi uetant) ab ea iudicatione quam morbus suggerit desistat, & non potius confestim sanguinem mittat, ægrumq; ab impendenti periculo liberet? potius quàm obseruatis ijs cursibus, ægrum interim mori sinat? Ego profectò (quod sanctißimè affirmare posse uideor) millies in Geminis constituta Luna sanguinem me ægris salutariter misisse profiteri uerißimè possum: ipsoq; etiam & coitus Lunę cum Sole die, plerunq; fecisse: quin & deliquium patiente sydere, bis memini me in angina & pleuritide sanguinem ægris duobus magno eorum commodo misisse, uterq; enim confestim Dei ope, mea autem opera ac diligentia, curatus breui fuit. An non itaq; magis salutares à morbo, illius causa, ægri ætate, temperatura, uictu, aëris conditione, cæterisq; huiusmodi indicationes de medendo, (quod medici uolunt) quàm ab malè fidis astrorum obseruationibus sumere expedit? Has itaq; longum unà cum Astrologia omni iudiciaria ualere sinamus, & medicas nostras ceu firmam quandam anchoram ad hominum salutem teneamus, quibus insistentes medendi munia feliciter obeamus. Quòd uerò plurimum tum Hippocrates, tum Galenus astronomiam medicinæ conferre dixerint: non planè aliud uoluisse mihi sunt uisi, quàm ut syderum motus tantum eos obseruaremus, à quibus in aëre magnas fieri mutationes, atque subinde in corpore certum esset: quod Arcturi, Pleïadum, Canis ortus atq; occasus, solstitia item, atq; æquinoctia, facere solent, ut ijs cognitis occurrere intemperiei aëris contrarijs præsidijs ualeamus. Abditißima profectò sunt, & in naturæ arcanis recessibus penitus intrusa, quæ de syderum uiribus nobis Astrologi nullis firmis demonstrationibus, nullis principijs innixa prodiderunt: atque eiusmodi, quæ nec credi à nobis debeant, nec sciri poßint. Quis enim unquam nisi mentis impos credere illud queat, Astrorum uiribus natales hominum dies, uitam, fortunam, euentus, habitus, mores ita disponi ac regi, ut eadem omnibus quicunque gignantur sub eodem statu cœli & stellarum euenire necesse esse dicant? & pro uario errantium syderum quarundamq; stellarum fixarum situ natali hora, de omni nati & uita, & moribus, & succeßibus iudicent? O delirationem incredibilem! Atqui natale geminorum tempus, idem esse eodemq; ferè temporis puncto, eademq; inuariata cœli constitutione nasci plerosque, & obseruarunt antiqui, & nos quotidie experimur: quorum sint dißimiles mores, habitus, formę, ingenia, diuersaq; uitæ spatia, diuersi & euentorum successus. Proclum & Euristhenem Lacedęmoniorum Reges geminos fuisse, eodemq; cœli statu in lucem editos Cicero scribit: at dispari uita, fortuna, moribus. Duos ego Auenione eodem partu editos, forma quidem persimiles, at moribus, temperatura, habitu, uictu tam dissimiles noui, nihil ut quicquam dißimilius dici usquam poßit: cùm sit alter temperatura fœlix, habitu uiuidus, moribus sedatus, uictu tẽperans: alter contraria omnia nactus sit. Quid hic Genethliacus dicturus sit? cùm in natali utriusq; hora eadem forè fuerit, cœlorum ac syderum dispositio, status, conditio? Sed cur morborum exitus astrorum uarijs, ut ipsi quidem loquuntur, influxibus adscribere audent? cùm sæpè uidere sit, ple-

*Locorũ Hippocratis & Galeni de Astronomia explicationes.*

*2. de Diuinatione.*

rosq; una eademq; cœli & astrorum configuratione in morbum incidere, non pari tamẽ exitu à morbo liberari. Alter enim morte, salute adepta alter morbo soluitur: celerius unus, tardius alter ad morbi iudicium properat. Si enim ab astris isthæc proueniunt, quod uni portẽdunt euenturum, id & alteri significatũ iri oportet cùm contrà planè cernamus. Quin & multos diuersis quidem temporibus in morbos delapsos, salubri exitu liberari, aut morte raptos occumbere: non ui quidem astrorum, sed naturæ aut uincẽtis, aut uictæ ac superatæ planè uidemus. Ac proinde Hippocrates non astrorum in morbis seriem, sed ipsam morborum speciem, uim, atq; hominis naturam inspicere medicum iubet: eumq; (si & morituros, & eos qui à periculo tuti sunt discernere uolet) non astrorum indicationibus, sed signis ijs quæ à se prodita sunt tribus præsagiorum libris intentum esse oportere scribit. An non hic, nihil quidem ex astris in morborum dignotionibus aut curationibus petendum, sed magis ex ijs quæ natura constant theorematibus, uirium inquam ægri robore, aut infirmitate, morbi magnitudine, leuitate, tolerantia aut difficultate, somno, uigilijs, æstu, quiete & alleuatione, præsagia curandiq; rationem omnem sumere oportebit? Sic ubique Hippocrates, sic Galenus, & medici omnes iubent. Immensæ profectò leuitatis est, putare ex astris morborum esse curationes petendas, illisq; adscribi, futuraq; hominibus (quæ ipsa alio atq; alio modo pro tempore, occasione, diligentia, uoluntate, atq; animi inclinatione, instituto, moribus, prudentia & usu euenire solent) prædicere, omnemq; rerum, quæ uariæ homini accidunt, euentum, astrorum uiribus, & ut ipsi uocant influxibus adscribere: cùm rerum euentus statas quasdam & proprias habeant congruentesq; causas, in quas meritò ut sic eueniant quæ à recto consilio susceptaq; deliberatione manant reijcere omnem rerum exitum ualeamus. Quamobrem qui iudicio atq; prudentia ualent, haud prius quicquam aggredi solent, quàm ijs rebus perspectis omnibus, quæ ad id quod constitutum animo est consequendum, ualere plurimum censentur: easq; res ita prudenter accurateq; disponunt ac præparant, ut his ceu effectricibus causis finem consequi facilè queant. In omni enim re antequam aggrediare (ut bellè Cicero ait) adhibenda est præparatio diligens, quæ id certè efficit, ut nullo ferè negotio quod susceptum est confici, & ad finem deduci commodè posit. Quid hic in rebus quæ ad hunc modum geruntur astrorum influxus, & uarios in cœlo positus requiras? si utcunq; configurata sint in cœlestibus illis suis domicilijs astra (si modò prudentiam seueramq; animaduersionem adhibeas) rectè sint quæ instituisti casura? Tum esse perabsurdum, & ab omni Philosophia alienum, quorum proprias causas uideas, & manifestas & sufficientes apud nos in uiribus corporum inferiorum, in animorum diuersitate, in affectu, consilio, occasione, consuetudine, in concursu tam uario confluentium undiq; rerum atq; causarum, eorum tamen originem quærere in syderibus, quæ neq; sit ibi, neque etiam si sit, nobis sit ipsa satis cognita atq; perspecta, sed tota prorsus abdita. Desinant itaq; nobis Genethliaci isti astrorum obseruatores prædictionibus suis imponere, at quod suæ eorum

*2. de Rat. uic. acut. text. 38.*

*3. Præsagiorũ textu 39. & 40.*

*1. Officiorũ.*

eorum artis scientißimi se nescire arbitrati sunt, ne ipsi scire se arbitrentur. Eudoxus Platonis auditor, in Astrologia (quod Cicero testatur) iudicio doctissimorum eius artis facilè princeps habitus, idemq; summus, scriptum reliquit, Chaldæis in prædictione, & in notatione cuiusq; uitæ ex natali die, minime esse credendum. Panætius summus suæ ætatis philosophus, astrologorum prædicta reiecit. Archelaum & Cassandrum summos illius item ætatis astrologos, cùm in cæteris eius scientiæ partibus excellerent, hoc tamen prædictionis genere non usos legimus. Quid Scylax Halicarnasseus? qui cùm excellens princepsq; in astronomia habitus esset, totum hoc tamen Chaldaicum prædicendi genus repudiauit. Sed an non & Ptolemæus eius artis antesignanus & princeps, opinione quadam non autem scientia, ad hanc ex astris prædicendi peritiam peruenire, conceptis etiam uerbis affirmat? quòd ex multis & dissimilibus rebus hæc scientia constet. Neque existimandum esse, ut quæ astra cursibus ac progressionibus suis significent, ea sint necessariò euentura, uelut ea quæ à diuina dispositione contingunt. Hæc certè eius autoris uerba sunt. Porphyrium de Plautino Platonicorum omnium principe, illud scriptis mãdasse scimus, cùm magnam iudiciariæ astrologiæ dedisset operam, uanamq; agnouisset, artem ludibrio habuisse, magnisq; postea assertionibus euertisse. Contendit Auicenna Metaphysices ultimo, fieri non posse, ut futura prædicent astrologi: idipsumq; Auerrous cõmentarijs illis suis in Auicennæ Cantica, & Metaphysices primo, qui & ipse astrologorum triplicitates, fortitudines, exaltationes ridet, omnes cœlorum astrorumq; positus & influxus bonos esse affirmans. Varro Romanorum olim doctissimus superstitionem inde fluxisse omnem testatur. Omitto quæ Aulus Gellius de Genethliacis, & ijs qui ex astrorum scientia se cuncta prædicturos pollicentur ex Phauorini sententia, summi sanè ac sapientissimi uiri dixerit: quæ una profectò dissertatio, ad omnem eorum conuellendam artem satis esse posit. Quid item Valerius Max. libri primi, cap. IIII. quid Lactantius. Et ex nostræ ætatis scriptoribus quid Picus Mirandulæ princeps, qui eam duodecim libris summis rationibus confutauit atq; subuertit. Et ut ad nostros, hoc est medicos ueniam, magnis eam argumentis Manardus & Musa suis monumentis euertere sategerunt.

*2. de Diuinatione.*

*1. Quadripartiti. capite 2. & 3.*

*Lib. 2. Diuinarum insti. cap. 17.*

**Quorum nos sententijs innixi, eam tantum astronomiæ partem, quæ de motibus est, uti certissimam amplectamur: & ad medicos usus pro Hippocratis & Galeni suprà exposita mente traducamus; iudiciariam uerò partem ceu mendacem atque inutilem reijciamus.**

*

*Examinantur pleraq; in libro de Tremore à Galeno dicta.*

## ENARRATIO III.



VM Galeni de Tremore librum accuratè legerem, in eoq; magna quædam de tremore, palpitatione, rigore, & id genus deprauatis naturæ motibus contineri cernerem: admirari quidem omnia cœpi. tanta eo in genere tractationis cùm dicendi ubertas, tum demonstrandi perspicuitas inesse mihi est uisa. Verùm cùm singula scrupulosius expendere in animum induxissem, idq; iam meditatò facere essem ingressus: in locos aliquot sanè (ut mihi quidem uidetur) difficillimos incidi, qui & legentis cursum remorari difficultate sua possent, & in abstrusissimis naturæ recessibus positi toti esse uiderentur: quos ego pro ingenij mei paruitate examinare paulò diligentius constitui. Horum primus is est, qui capite quarto eius libri habetur, quo in loco cùm palpitationis & tremoris naturam, & quo alterum ab altero differret explicare uellet Galenus, eò in primis differre palpitationem à tremore existimauit, quòd neq; qui in utrisq; afficitur locus idem sit, neq; causa etiam, neq; accidentia eadem. Nemo enim, inquit, qui membra mouere haud decreuerit, tremit, cùm quæ palpitant, uel iacentia & nec unde mota palpitare cernantur. Qua in re decepti etiam multi sunt, qui trementes quandoq; capite aliquos, manibus uerò cruribus'ue (quantum uisu compræhendi liceat) immotis & extentis, demum trementes his ipsis etiam conspiciunt. Hos rationem non à me primò, sed à ueteribus quàm plurimis redditam, est operæpretium docere. Quòd non quæ moueri uidentur, ea duntaxat in motu sunt, cùm quiescere multa uideantur eundem occupantia locum, quæ nihilominus continuè mouentur. Aues enim non modò sursum uersus, deorsum'ue uolantes, sed quæ locum iam habitum non mutant, tunc etiam mouentur. Eodem enim in loco si mortuæ auis corpus collocetur, grauitate tractum facillimè in terrã corruet. Vnde cognoscas licet, idem corpus in eodem loco permanens, motu aliquo usum sublime permanere, tanta profectò motionis parte, quanta careret, si grauitate ruinam sortiretur. Quapropter quam immobilitatẽ esse censes, mista ex duobus motio est motibus corpus in cõtraria loca trahere potentibus: quorũ si unum auferas, ab altero corripi corpus illico conspicies.

*Loci Galeni explicatio.*

Hactenus Galenus, qui dũ palpitationis & tremoris in eo potissimùm sitam esse differentiã constituisset, quòd quæ tremunt mẽbra ea moueri omnino oporteat: (immota enim non tremunt) palpitare autẽ etiam quiescẽtia immotaq; possent: & in eo deceptos plerosq; affirmasset, quòd trementes capite quosdam, immotis autẽ & extentis manibus ac cruribus, his ipsis etiã partibus trementes conspicerent: causam euentus huiusmodi ab antiquis sciscitari præcipit, eamq; esse huiusmodi tradit: Quòd non ea solùm quæ moueri uidentur, ea duntaxat in motu esse dicenda sint: cùm quiescere multa uideantur, eundẽ occupantia locũ, quæ nihilominus continuè moueantur.

*Examinatur locus Galeni.*

At uerò magnã hęc res mihi in se difficultatẽ complecti uidetur: quomodo enim quæ quiescunt & eundem occupant locũ, ea tum cùm

cùm quietem agunt, & eodem persistunt loco, moueri possint? cùm enim quiescere & moueri priuatiuè opposita sint (est enim quies autore Aristotele priuatio motus eo in subiecto quod ad motũ est idoneum) quonam pacto si quiescit quippiam, ipsum interea moueri possit? perinde enim id mihi uidetur, ac si cæcum uidere, surdum audire (dum alter cæcus est, surdus alter) dicas: quo quid ineptius dici usquam potest? Præterea qui fieri possit, ut eundem occupans locum loco moueatur? Si enim quippiam eodem in loco manens consistat, iam non moueri ipsum, sed consistere rectius dicemus: quod enim mouetur, alium atque alium locum continuè mutat: (hoc siquidem moueri loco est, nouum assiduè mutare locum, nec in eodem consistere) hic enim de motu lationis locutum fuisse Galenum, ipsa tota loci huius series apertè declarat: cùm de eo motu agatur, qui in tremoribus, palpitatione, rigoreque contingunt: quos esse locales dubitare nemo potest. Itaque si quicquam eundem occupet locum, quinam continuè moueri possit planè non uideo. Ex diametro enim pugnare hæc mihi uidentur, Eundem occupare locum: &, Continuè moueri. Quod enim continuè fertur, id nunquam uno consistit loco, sed ipsum assiduè mutat. Hoc siquidem (ut antea dictum est) moueri loco dicimus, *Loco moueri quid. item & moueri.* sedem aliam quàm prius occupare: uti absolutè moueri, quod substantia uel accidente mutatur. Lationem itaque Philosophi omnes uocant mutationem à loco in locum: at quod eundem occupat locum, minimè à loco in locum fertur, ex quo eandem, ut supponitur, occupat sedem. Non igitur moueri ipsum tum certè dicemus cùm eodem constiterit loco: sed tum, cùm ab illo mutatum fuerit. Qua autem ratione à contradictionis labe uindicari hoc loci Galenus possit, non uideo, ni id dicamus, eum *Intellectus dictorũ Galeni* non de his quæ uerè quiescunt, sed de ijs quæ quiescere ad sensum uidentur, etsi reuera non quiescant, locutum fuisse. Sed interpretatio hæc (uerè ut dicã) Galeni sensis minimè congruit, qui non solùm quæ mouentur ea in motu esse, sed & quædam quiescentia moueri nititur affirmare: idque ex auium uolatu probare contendit, quæ (ut idem testatur) non solùm cùm sursum deorsum'ue uolatu aguntur: sed locum etiam habitum non mutantes, moueri tamen tunc etiam dicat.

τοὺς γὰρ ὄρνιθας οὐ μόνον ἄνω καὶ κάτω φερομένους, ἀλλὰ κἂν ἕνα τόπον ἐν τῷ ἀέρι κατειληφότες ὦσιν, ἐν κινήσει καὶ τόθ' ὑπάρχειν.

Non modò (inquit) aues sursum deorsum'ue uolantes, sed & quæ locum in aëre iam habitum non mutant, tunc etiam mouentur. Quo in loco maior alia sanè difficultas oritur: cùm fieri non posse uideatur, ut uolantes aues locum in aëre habitum non mutent. Siquidem cùm uolatus, *Volatus quid* motus quispiam in aëre sit, alarum præsertim ope ac subsidio factus, quo aues aëra alarum diuerberatu permeãtes alium atque alium subinde locum mutant, modò sublimius, modò demissius actæ, interdum etiam in gyrum circumrotatæ; qui inquam fieri potest, ut cùm grauitate sui corporis deorsum natura deprimãtur, si alarum ministerio non utantur, consistere in sublimi eodem in loco queant? Nam cùm uolant aues, perpetuò alarum motu quo sublimes ipsæ ferantur, uti eas oportet; quod cùm fit,

alium atque alium mutari locum oportet: in sublime enim pendulas aues nunquam profectò eodem consistere loco uideas: ut quæ si fortè consistant, nec alarum succussu ac diuerberatu utantur, grauitate in terram decidere sit necesse. Interdum quidem nobis cùm ualde sublimes sunt, stare uidentur aues, nec alas quatere: sed paßis ipsis quasi remis inniti: uerùm etsi ad sensum ita fieri uideatur, reuera tamen agitari aliquò earum corpus, alarum præsidio atque agitatu est omnino necesse, ne grauitate deorsum detrusæ labantur: quæ profectò deciderent, nisi alarum motu niterentur. Itaque ingenuè ut quod sentio confitear, abstrusiora hæc mihi planè, quàm ut mea infirma mens capere poßit, sunt uisa. Quæ quiescũt ipsa, & eundem occupant locum, ipsa tamen moueri: & aues non solùm sursum deorsumúe actas, sed etiam eundem in aëre conseruantes locum, tum etiam moueri. Hæc profectò Platonicis numeris obscuriora mihi uidentur. Sed reliqua excutiamus: Mentem ea de re suam confirmaturus Galenus, aues tum etiam cùm locum habitum non mutant, moueri ipsas tamen, sic probat: Eodem enim in loco (inquit) si mortuæ auis corpus collocetur, grauitate tractum facillimè in terram corruet. Vnde cognoscas licet, idem corpus in eodem loco permanens, motu aliquo usum, sublime permanere: tanta profectò motionis parte, quanta careret si grauitate ruinam sortiretur. Rectißimè quidem illud, mortuæ auis corpus si in eodem ipso constituatur loco, quo uiuentis auis, grauitate tractum corruere, quòd anima careat, atque subinde facultate omni corporis rectrice: Quod uerò infertur, idem corpus in eodem permanens loco aliquo usum sublime permanere, tanta scilicet motionis parte quanta careret, si grauitate laberetur: id quidem ut quadantenus uerum, sic pro parte admitti non sic facilè debet. Siquidem quæ corpora uolatu sublimia feruntur, ea quidem motu aliquo uti dubium non est: ex quo enim erecta, sublimiaque manent, grauitati deorsum trudenti reuera contra nituntur: idque eo motu quo in sublime feruntur, quod fit facultate corporis rectrice, & alarum ministerio. Verùm idem corpus & in eodem permanens loco, motu aliquo uti, ut sublime permaneat, id uerò profectò admitti Galeno non debet. Si enim (ut ipse uult) eodem in loco maneat corpus, quomodo moueri potest? quod enim eundem occupat locum, ipsum quidem non mouetur, sed consistit potius: quod si consistat, (uti consistere quidem necesse est quod eundem occupat locum) nullo motu uti opus habet, ut eo in statu permaneat. Nam aues cùm uolatu huc atque illuc sublimes circumferuntur, tum motu aliquo profectò uti eas oportet, ut sic sublimes ferantur: tanta certè motionis parte quanta carerent, si grauitate detrusæ laberentur; quod uerißimè dixisse mihi est uisus Galenus. At uerò si eodem consistant loco, etiam si sublimes sint, nullo tum certè eas agitari motu ut sic permaneant est necesse: quòd uidelicet quiescere, non moueri tunc sint dicendæ, eundem cùm occupant locum: utpote si in editißimæ turris fastigio consistentes persistant, ut sic permaneant, motu'ne aliquo usas esse dicemus? Nihil profectò minus. Nec sanè ego quonam pacto aues iam habitum conseruare locum sublimes quum sunt, poßint, perspicere possum:

*De Platonicis numeris uide Platonē 8. de Repub.*

*Examinatur Galeni locus.*

sum: nisi tum, cùm rei alicui innituntur: dum enim uolant eundem seruare locum minimè possunt, assiduè enim mutantur: Nec uero uolatu fieri unquam potest, ut in eodem maneant loco: non enim in aëre pendulæ esse aues ullatenus possunt, quin grauitate ruant, nisi assiduo alarum succussu aërisq; uerberatu, interdum etiam expansis alis, alium atq; alium demutent locum. Itaq; mihi fieri non posse uidetur, idem corpus eodem in loco manens, etiã si sublime sit, motu aliquo uti, ut sic permaneat opus habere: cùm ut antea dictum, consistere tunc temporis, non autem moueri dicatur, quod eundem occupat locum. Equidem cùm Philosophis omnibus id ferri propriè dicatur, quod locum assiduè mutat: quonam pacto quod eodem in loco manet, ferri tum dicetur? Sed quod sequitur paulò pressius expendamus. Quapropter (subdit Galenus) quam immobilitatem esse censes, mista ex duobus motio est motibus, corpus in contraria loca trahere potentibus: quorum si unum auferas, ab altero corripi corpus illico conspicies. Immobilitatem eam quæ uidetur, ex duobus constare ipsam motibus, & si id fieri non posse uideatur, uerissimum tamen certè est. Quod ut planum fiat, illud attendendum. Immobilitatem quidem duplicem esse: alteram quæ uerè talis sit, hoc est, in qua nequicquam animans ullatenus moueatur, sed omnino quiescat: priuationem enim motus immobilitatem omnes esse uolunt, Alteram in qua etsi moueri animal minimè loco uidetur, eundemq; occupare locum: musculorum tamen operatione, tacitoq; quodam motu, agitari ipsum tum etiam, cùm moueri minimè uidetur, est omnino necesse. Hoc in immobilitate ea quæ statio dicitur, per quam erectus homo consistit, cerni apertissimè potest. Nam & si tum immotus esse appareat, dum erectus manet: operari tamen ea in statione musculi maximè uidentur. Itaque sensa Galeni ut explicemus quæ immobilitas reuera est, & omnimoda motus priuatio, ea quidem ex motibus ullius generis constare minimè potest. Quomodo enim priuatio ex habitu constet? id enim fieri naturæ lex uetat: non enim cæcitas uisu constat, non surditas auditu, non deniq; immobilitas motu, neq; de hac intellexisse Galenum iure existimandum est, eam ipsam cùm duobus constare motibus ijsq; contrarijs affirmauit. Quæ nam ergo immobilitas ex oppositis ijs constituetur (ut uult Galenus) motionibus? ea scilicet, in qua & si consistere ad sensum animans uidetur, eodemq; persistere loco: reuera tamen non omnino quiescit, sed operantibus musculis, rectriceq; corporis facultate corporis molem uel erigente, uel certè sustinente, tacito quodam motu animans agitatur. Hoc ipsum pulchrè in alitibus sursum uolatu actis Galenus cùm hic, tum primo de motu musculorum fieri docet. Interdum enim accidit ut in sublime acta ales eodem in loco manere nobis conspiciatur. Sed utrum (ait Galenus) dicendum est hanc immobilem esse, ceu si suspensa desuper fuisset, an moueri ad superiora tantum, quantum grauitas corporis eam deorsum duxisset? Mihi sanè (subdit) hoc uerius esse uidetur: nam si ipsam priuaueris anima, uel uigore musculorum, celeriter ad terram deferri cernes. Quo manifestum connatam grauitati corporis lationem deorsum, æqualem lationi ad superiora

*Immobilitas quid.*

*Statio.*

*Dicti Galeni explicatio.*

*1. de motu musculorum.*

*Explicatio loci Galeni.*

riora uigore animi existere. Hac quidem docta serie Galenus, consistentiam eam qua stare nec ullatenus moueri animans uidetur, non omnifariam motu priuari demonstrat, dum tanto uigore sursum consistit animal, quanto à grauitate corporis deorsum deprimitur: uiresq; has pares inter sese æqualesq; esse (si sublime mansurum animans sit) perbellè docet. An uerò in huiusmodi statibus omnibus aliquando sursum, aliquando deorsum corpus feratur contraria uicißim patiens: an eodem perpetuò loco maneat, breuiter quidem, sed acutè explicat citato de motu musculorum libro Galenus: inquiens, In huiusmodi statibus, alitum corpora sursum deorsum'ue, sed breuißimis spacijs celeribusq; & momentaneis mutationibus agi. Sed quia tum breuißimis spacijs, tum citata mutatione agitantur quæ sensum fugiat, ob id eodem persistere in loco uideri. An uerò id temporis, quo sic afficitur animans, unum locum occupet, an locum mutet, ad eam quæ de motu est tractationem uult rem hanc totam pertinere Galenus. Et quidem ex his quæ paulò antè de Galeni sensis attulimus, constat sic in sublime constitutam alitem, eodem prorsus in loco adequatè non esse, cùm corporis & musculorum nixu facultatisq; regentis præsidio, modò sursum, modò deorsum, breuißimis momentaneisq; motionibus agatur: quòd quantum corporis rectrix facultas musculorumq; connata operatio (quam Galenus tensionem propriè, & in seipsos contractionem uult esse) sursum attollat, tantum corporis grauitas deorsum trudat: unde his sibi uicißim succedentibus motibus, necessum est non eodem omnino loco persistere animans sublime dum manet: perinde enim tum illi euenit, atq; si inanime quoddam corpus à duobus pari uirtute præditis, prorsum retrorsumq; agatur. Id enim eodem in loco manere uidetur, dum quantum alter motuum trahebat prorsum, tantum alter retrahens retrorsum, in eodem loco corpus manere cogit, at non ut penitus immobile. Quod enim tale est, nequicquam mouetur: quod uerò sic prorsum retrorsumq; agitur, dupliciter sanè mouetur: modò tractum, modò retractum, uelut qui aduerso flumine natat. Hic enim si uiribus æqualis sit uiolentiæ fluxus, in eodem semper permanet loco: non tanquam is qui nullo pacto mouetur: sed prorsum proprio motu fertur, quantum externo retrorsum rapitur. Hæc sanè non mea, sed Galeni exempla sunt, quibus rem (ut ille affirmat) obscurißimam, peruiam reddere, atq; dilucidam satagit: illud ut ostendat, non omnem immobilitatem motu omnino destitui: & qualis sit ille motus, ijs familiaribus exēplis monstrare contendit: si quidem discere in exemplis discentem oportet, & sunt ea exemplorum (ut idem uult Galenus) potiora habenda, quæ usurpari oculis possunt. Verùm maior hic de integro nobis dubitatio oriri uidetur, si quidem stans erectumq; animans moueri dixerimus. Nam quod erectum in pedes stat, id sanè nusquam nullam'ue in partem mouetur: sed quasi uno loco fixum consistit: nec sese in uarios positus mutat: cùm tamen tendi tum musculos, ualideq; operari atq; subinde moueri oporteat, unde rectißimè Hippocrates dixisse illud sit uisus, stare ulceribus noxium esse: & alio loco si in crure constiterit ulcus, neq; sedendum esse, neq; ambulan-

*Musculorum operatio quæ Galeno 1. de Motu musc.*

*1. de Motu musc.*

*9. Meth.*

*Loci Hippocratis explicatio.*

bulandum: sed quiescere & immotum permanere, cur? Quòd per hos corporis status, musculi operentur, tensiq; permaneant: à qua tensione labor ulceratæ parti afferatur. Laborare autem stando musculos, apertius est, quàm ut probari oporteat: si quidem cùm id temporis tensi permaneant, si diutius eo in statu perstiterint, labascit connata eorum operatio: quam tensionem esse, & in seipsos contractionem quandam, Galenus uoluit. At uerò num musculi dum erectam corporis molem tensione sua sustinent, moueri tum dicantur, non satis explicatu facile fuerit: ut qua in re & Galenus ipsemet ambiguus ualdè & dubius fuerit, tanta rei obscuritas atque difficultas inest. De tensione enim manus cùm sursum tensa effertur loquens ex professo, quæstionem hanc totam non sine difficultate maxima dissoluit, hac uerborum serie.

*1. de Motu musc.*

Fingamus manum sursum tensam esse, & deinde in hac figura seruari: pòst interrogemus iterum nos ipsos, cur iam non deorsum feratur grauitate uergens: ac deinde respondeamus, quòd musculorum eleuantium ipsam tensio permanet: Prius igitur quàm hæc exoluantur perfectè, non est possibile manu transmoueri, cessantes tamen à tensione, si nullus alius musculus tendatur, sed omnes absq; operatione maneant: quò grauitas eam ducit, eò deferetur. Si autem aliquis alius musculus tendatur, quò ille trahat, illuc mouebitur. Manifestum igitur, quòd dum manus tensa seruatur, tensio musculorum, qui ad id ipsam constituerunt, conseruatur. Nunquid igitur dicendum est, eos operari quidem & tendi, sed non moueri? Atqui si hoc cauebimus dicere, non operari quidem eos dicendum. Absurdum enim est fateri eos operari secũdum innatam & maximè propriam operationem, moueri autem eos negare. Atqui non apparent moueri, cur enim non oportet etiam contraria opponere, tametsi quàm maximè ardua & distinctu difficilis fiat eorum certatio?

*Vbi suprà.*

Hanc uerò propositam dubitationem paucis interpositis sic dissoluit. Quia (inquit) iam musculi operantur, ideo eos moueri dicimus. Quia uerò nec totum membrum, cuius pars sunt, neq; ipsi singulatim apparent moueri, propter hoc rursus non audemus fateri eos moueri. Quam igitur (subdit) quispiam solutionem dubitationis inueniat? utrum eam quam afferunt, qui supponunt motus tonicos appellatos? an aliquam aliam meliorem?

Hactenus Galenus, qui in re tam ardua difficilesq; aditus atq; exitus habente, ueri philosophi partes egisse uidetur, dum rei difficultate irretitus, nihil quicquam temerè tanta de re pronuntiandum eo ipso loco conceptis uerbis affirmauit. Inclinat autem in eam partem, ut statuat, musculos quidem dum tensi manent, operari quidem, sed non propriè moueri, nisi ea motionis specie quam tonicam, hoc est, robustam, & ueluti nixu factam uocant. Ego quidem profectò animi mei sensum ea in re difficultatis plenissima ut explicem, ita iudico: cùm primum attollimur ut erecti stantesq; consistamus, tum profectò non tendi solùm, sed & moueri musculos credam: quòd prius minimè tensi essent, nunc uerò ad corporis molem sustentandam (erecti dum manemus) tendi eos oporteat, quod sine

*Tonica motio.*

*Valleriolæ de musculorum in stando operatione opinio.*

sine motu aliquo perfici minimè potest. At uerò posteaquam semel tensi esse cœperint, corpusq́ stare, moueri eos amplius non arbitror, sed solùm à facultate corporis rectrice sic tensos conseruari atq; hac ratione in suo tensionis robore atq; uigore perstare. Quam sanè operationem si more Galeni tonicam, aut aliter quomodolibet uocare uoluerimus, minimè sum reluctaturus: moueri eos tamen locali motu (quod uerè Galenus dixit) non planè uidemus. Neq; enim membrum ipsum, aut totum deniq; corpus: neq; musculi ipsi, qui membrorum stantium partes uel præcipuæ sunt, dum erecti consistimus, moueri ullam in partem uidentur: perinde enim musculis in statione accidit atq; funi à duobus tenso: Nam cùm primum tendi funis incipit, tum quidem moueri apertè eum cernimus: at dum trahentium ui tensus manet, non amplius moueri eum conspicimus: sed ui tendentium eo in statu consistere, nulla in fune ipso motione conspicua. Atq; ijs ego Galeni sensa explicari cōmodè posse planè arbitror.

*Simile aptū.*

Reliqua nunc eius autoris libro de Tremore dicta, si quam difficultatem in se ullam habere uidentur, rursum de integro excutiamus. Palpitatio (inquit) eleuatio quædam præter naturam est, atq; depreßio, tremor inuoluntarius sursum & deorsum motus, motarum partium ab inuicem. Palpitationem esse membrorum eleuationem quandam atq; depreßionem, sensuum fide constat: attolli enim & deprimi palpitans membrum uidetur: tremorem uerò inuoluntarium esse sursum & deorsum motum, non in uniuersum tanquam constans astrui debet: non enim perpetuò quæ tremūt membra, sursum deorsum'ue feruntur: plerunq; enim in latera eiusmodi perficitur motus, ut in capitis tremore perspicere licet, in quo caput non sursum deorsum'ue, sed in latera magis tremens agitatur: In brachijs & cruribus trementibus ij sursum deorsumq; motus perspici liquidius possunt, hæc enim membra in eas positus differentias ferri tremulo motu possunt. Caput non sic: non enim sursum tremens caput, sed in latera magis, ceu antea dictum, fertur. Itaq; non uniuersè Galeni dictum accipiendum est, sed commodè magis, ac particulatim, ut pluribus trementibus membris sursum deorsumq; præter uoluntatem moueri non omnibus in uniuersum conueniat. Sequitur uerò in contextu.

Nec idem sursum ferri aut eleuari; neq; deprimi quod deorsum ferri est. Quæ sursum nanq; feruntur & deorsum, cum alio priorem locum mutant: eleuata autem & depressa, sedem seruantia antiquam, ambientis nunc aliquid assumunt, nunc deperdunt, ut moueri utrisq; commune sit: elatis quibusuis atq; etiam depreßis, sursumq; ac deorsum motis. Illis proprium est, maiorem & minorem locum, non relicto primo, occupare: his autem adeò loca commutare, ne sede in eadem maneant.

*Loci Galeni explicatio.*

Hac docta quidem & Galeno digna serie apertè quid inter sursum ferri & attolli, quid rursus inter deprimi atq; deorsum ferri intersit, explicatur. Non enim eadem hæc sunt, etsi cōmune quid habere uidentur, utraque enim motus quidam sunt. Quæ enim sursum ferūtur, & quæ eleuantur: tum uerò & quæ deprimuntur, quæq; deorsum feruntur moueri omnia oportet: sine motu enim nequicquam horum perfici sanè potest.

Hoc

Hoc differūt, quòd quæ sursum deorsum'ue feruntur, assiduè locum mutant: si enim eodem consisterent loco, neqꝫ sursum neqꝫ deorsum ferri ea contingeret: Quæ uerò attolluntur aut deprimuntur, secundum se tota quidem, quem antea occupabant locum eundem planè elata depressa'ue occupant: secundum partes uerò, aliquid ambiētis assumūt deperduntqꝫ. Eleuari enim propriè & attolli ea dicuntur, quæ non relicto priore loco, aliquid sibi amplioris loci asciscunt: uti deprimi, quæ seruato eodem in quo erant loco, nonnihil illius loci amittunt, minoremqꝫ quàm prius occupant locum. Euidens horum exemplum è multis desumi potest. Folles cùm spiritu tumentes attolluntur, eleuari tum certè rectè dicimus: uti cùm eiecto spiritu detumescunt, deprimi: at cùm eleuātur, & si quippiam amplius ambientis sibi quàm antea uendicant, eundem tamen secundum totam eorum molem locum occupant: ueluti cùm depressæ uacuato incluso spiritu minorem occupant locum: sic rursus motæ secundum diastolen & systolen arteriæ, eundem perpetuò occupant locum: etsi dilatæ ampliorem, contractæ minorem occupent. Hoc ipsum denuò in inflatis seu detumescentibus uesicis est cernere: hoc in feruente per ebullitionem aqua, aut eadem gelu concreta usu uenit: eodem enim loco consistens modò ebullitione attollitur, modò perfrigerata deprimitur, sede antiqua seruata. Id ipsum quoqꝫ in massa panis dum attollitur, aut coacta deprimitur experiri licet. Et ut in summa dicatur, quæcunqꝫ uel rarefiunt, uel densantur, ad hunc se modum habere deprehenduntur. Constat igitur, in his quæ attolluntur & deprimuntur, locum haud quaquam mutari: in his uerò quæ sursum deorsum'ue aguntur, assiduè alium atqꝫ alium priore relicto assumi. Quæ docta Galeni hoc loco sententia est: quam (quoniam implicatior erat, quàm ut facilè summis labris degustanti peruia esse posset) familiaribus exemplis explicuisse operæpretium uisum est. Cætera uerò quæ eodem in libro magni momenti sublimiaqꝫ habentur, exactæqꝫ speculationis indiga, persequi non est animus: quando mihi propositum est, iuuante & fauente conatibus meis Deo, ubi primum me hac enarrationum medicinaliū editione explicaro, uniuersum illum de Tremore librum amplis (quantum quidem mihi per ingenij mediocritatem mei à summo Deo concessum fuerit) commentarijs illustrare. Ego enim reconditissima quædam, nec satis cuiuis perspecta eo in opere contineri animaduerti. Qualia illa sunt, quæ de natiuo nostro calore, deqꝫ illius in nobis effectionibus: quæ item de anima, de rigoris generatione ac causis, de naturæ in rigoribus pugna, de à Platone dictis (quæ illic seuera animaduersione à Galeno expenduntur). Quæ quoniā singula, exacta explicatione atqꝫ interpretatione egere mihi sunt uisa, in id commentarij (si fata sinent) quę dicēda supersunt reijciemus.

*Eleuari corpora quid: itē & deprimi.*

*Similitudo commoda.*

Num

*Num Galeni ætate distincti essent à medicis Pharmacopœi, seu unguentarij, item & chirurgi, ut nunc ætatis: an contrà ijdem essent: & an medico horum munia obire quandoq; liceat.*

## ENARRATIO IIII.



V M de medicæ artis præstantia, dignitate & usu: tum de illius partibus, Pharmaceutica & Chirurgia, sermo inter doctos aliquot incidisset: qui harum partium munia non à doctis nunc, & rerum usu atq; prudentia, ut olim, præditis hominibus exerceri, sed plerunq; à parum peritis uiderent: quæsitum est, Num ut distincta sunt & materia, & effectionis atq; instrumentorum modo munia hæc, ita quoq; diuersi essent qui isthæc obirent munia artifices, cùm præsertim uetustissimus autor Hippocrates, non eos solùm qui morborum naturas, symptomata, causas, euentus considerant, illisq; arte medentur, medicos appellet: sed eos etiam, qui fractis, luxatis, atq; adeo uulneribus omnibus manu mederentur, eodem etiam medicorum nomine insigniendos putarit: ut eosdem fuisse olim medicos & chirurgos, non sine ratione existimari possit. Quin & eos qui medicamenta olim conficerent (quos nunc uulgato nomine Pharmacopœos dicimus) medicos fuisse ex Galeno affirmari posse tradunt: qui libro de Antidotis primo, ad medicos propriè magnarum antidotorum compositiones pertinere, Mithridaticæ inquam & Theriaces, astruxit: esseq; id parandi atq; conficiendi antidotos munus, à Cæsaribus suo tempore Romæ excellentibus medicis datum. Nam & ipsi quoq; Galeno, quandoq; ab Antonino atq; Seuero ut theriacen conficeret, imperatum fuisse, eodem ipso loco testatur: seq; in eorum gratiam antidotos eas confecisse, & quibus in ijs parandis simplicibus fuerit usus, qua ratione cuncta miscuerit, ac dispensarit, longa serie citato nunc libro docet. Vnde constat, parandorum medicamentorum rationem ad medicos propriè pertinere. Quod ex his quæ ab eodem Galeno tum libris de Medicamentis secundum locos, tum libris de Medicamentis secundum genera prodita sunt, fieri euidentissimum potest: cùm innumera quæ illis libris describuntur medicamenta, ab excellentibus omnia medicis Asclepiade, Archigone, Democrito, Apollonio, Hera, Scribonio, Musa, Cassio, innumerisq; alijs & excogitata sint, & certis simplicium gradibus ponderibusq; inuicem mistis coacta. Nec in ijs solùm medicamentorum conficiendorum rationibus, sed & in re herbaria priscos se plurimum exercuisse medicos, constans fama Galeni quoq; testimonio roborata est. An non Heraclidem Tarentinum, Cratenam, Dioscoridem, Nigrum, Iollam, Ruffum Ephesium, rei herbaricæ scriptores longè nobilissimos, excellentes medicos fuisse ex eorum monumentis, Galeniq; assertione constat? Medicum certe stirpium omnium peritiam, aut saltem quàm plurium habere debere, Galenus citato loco affirmat: quam ut sibi ipse compararet: metallorumq; omnium naturam, formas, uires, natalemq; locum ut cognosceret, non in Cyprum modò, sed in Lemnũ insulam, in Aegyptum,

*Vide Hippocratem lib. 1. de Fracturis: & lib. de his quæ in medicatrina fiunt. & lib. de uulneribus capitis.*

*Lib. 1. de Antidotis.*

*Vbi suprà.*

Cretam,

Cretam, infinitaq; loca alia, magnis & laboriosis itineribus, partim mari, partim pedestri profectione contendisse, cùm primo de Antidotis libro, tum IX. de Simplicium facultatibus testatur. Quin & belli Troiani temporibus, Podalyrium & Machaonem Aesculapij filios Agamemnonem ducem secutos (quod Celsus affirmat) uulneribus tantum modo ferro & medicamentis hominum generi opem tulisse, Homeri testimonio proditum est. Illud ut intelligere liceat, id ætatis medicos chirurgosq; eosdem atq; coniunctos non discretos (ut nunc sunt artifices, & si sibi inuicem commodantes) fuisse. His rationibus docti illi, de quibus ab initio dixi, medicos olim unà cum herbarijs, chirurgisq; eosdem fuisse probare nitebantur. Quæ cùm mihi audienti minimè probarentur, illiq; sententiam ea de re meam requirerent: respondi longè me ab illis diuersa sentire, fuisseq; semper medici sublimius atq; excellentius munus nomenq;, quàm esset uel herbariorũ, uel pharmacopœorum, uel etiam chirurgorum. etsi omnes lato quodã significato, eò medici dici possent, quòd pro sui quisq; muneris ratione, alius salutares porrigendo herbas, alius medicamenta miscendo & propinando, secando & urendo alius, manũ ferrent mortalibus & prodessent. Verùm si strictius & propriè magis, medici nomine uteremur, (uti usum fuisse Hippocratem medicinæ parentẽ legimus, dum medicum uirum esse sapientem, affirmauit) id protinus fassuros omnes, magnum quiddam & admirabilius quàm uulgò credatur medicum esse, nec tam infimis abiectisq; cancellis concludi, ut cum mechanicis artificibus commune quicquam haberet: ni quatenus eorum ministerio in sanandis hominibus, dum res exposcit, utatur: moxq; ostendere ex Galeni sensis aggressus sum, non sua modò, sed & priscorum ætate, qui longè Galenum antecessere, medicorum gentem toto orbe terrarum celebrem & illustrem, ab Pharmacopœis chirurgisq;, & munerum dignatione, & artis professione, longè diuersam fuisse: aliudq; medicos, aliud chirurgos, & unguentarios perpetuò extitisse, idq; uarijs Galeni sententijs confirmare sum nixus. Is enim Aphorismum illum Hippocratis sexto Epidemiorum enarrans, Νόσων φύσιες ἰητροί, id est, moborum naturæ medicatrices (qui quidem primus est sectionis quintæ eius libri) indicare uolens quo nam pacto natura morbum curare dicatur, quomodo medicus, quomodo ministri, & adhibita etiam ad curationem instrumenta, ita de tota re disserit, ut medicum dignitate longè plurimũ ministris anteponat, & qui hi sint conceptis uerbis explicet. Quod nam igitur (inquit) dignitate primariũ est, quod secundas, quod tertias habeat, inter hæc omnia quæ sanitatem facere diximus, contemplari conuenit: eò etiam magis, quòd & alia quædam per quæ morbi curantur accedunt: quorum omnium secundum dignitatem ordinem internosse præstiterit. Nobis enim melius dici uidetur & naturam morbos medicari, rectè uerò & artem medicam, & medicum, uerè quoque & eius ministrum, & uenæ scissuram, & per ipsam factum sanguinis profluuium, & cætera. Hac quidam serie apertissimè Galenus medicum à ministro distinxisse est uisus, ordinemq; in morborum curationibus tunc constituisse, ut primas quidem partes natura sibi uen-

*Lib. & capite primis.*

*Lib. de probitate.*

*Loci Galeni explicatio.*

dicet: ſecundas ars medica, per quam medicus idoneo tempore atq; occaſione, idonea quoq; curando morbo auxilia admouet: tertias partes medici ſuſtinent, qui & ipſi naturæ miniſtri ſunt, uel Galeni teſtimonio. Ab hinc proximas medicorum miniſtri ſibi aſſumunt, ea prompti obeuntes munia, quæ à medicis imperantur: geritq; hac in parte medicus imperatoris partes, miniſter militis: hic rurſus nautæ, ille gubernatoris nomen pulcherrimè ſuſtinet. Quod paulò pòſt ijs uerbis declarat Galenus:

*In arte medicinali.*

Ex his uerò abundè conſtat, quantum ſanitatis effectrices cauſas natura dignitate antecellat. omnia enim reliqua materiam ipſi parant & ſuggerunt, quemadmodum in alijs quoq; artem quandam miniſtrantem uidemus. Textricis namq; radios, textoria & pectines Lignarius faber molitur: hinc uerò ligna materiæ exciſor: ſecurim item & dolabram ferrarius artifex, ferrario autem ipſi, ferrum metallorum effoſſor comparat: rarumq; eſt artem effectiuam inuenire, nulla alia egentem, quæ aut inſtrumenta fabricetur, aut materiam operi idoneam reddat. Ita ſanè & medico multæ artes aptas materias præparant, perinde ut ipſe rurſum naturæ, cum quibuſdam miniſtris ſuppeditat. Quam enim proportionem architectus erga cæmentarios, lignariosq; fabros, & alios, quibus imperat, artifices: eandem & medicus erga miniſtros ſuos gerit. Iſti uerò ſunt herbarij, unguentarij, coqui, cataplaſmata adhibentes, humore conſpergentes, clyſteria immittentes, ſcarificantes, uenam ſcindentes, cucurbitulas affigentes.

*Loci Galeni explanatio.*

Quæ ſit medici in curandis morbis ratio, quæ miniſtrorū, quid morbo medicus ſuggerat, qui huius miniſtri ſunt, ampliſsimè hic docetur. Vt enim in artibus reliquis quædam opus efficiunt ipſæ, aliæ ad opus conficiendum idoneas præparant materias: ſic & in medendi arte medico multæ artes ad ſanitatis effectionē idonea ſuggerunt inſtrumenta, aptasq; materias: ut herbaria, unguentaria, & quæ manibus operatur quam χειρουργικὴν uocant, ac complures aliæ: Naturæ uerò, medicus eiusq; miniſtri plura ſuppeditant, quorum præſidio facilè ſuperari à natura morbus queat. Atque in hoc munere obeundo medicus architecti rationem obtinet: ut enim hic cæmētarijs, lignarijsq; fabris, lapidum exciſoribus, alijsq; architectonicæ artis miniſtris ut dux imperat: ſic & medicus herbarijs, unguentarijs, coquis, & uenam ſecantibus, hoc eſt chirurgis, cæterisq;, ceu poteſtatem habens, principemq; artem nactus, imperat: hi enim omnes (ut hac ſerie explicatiſsimè docet Galenus) medicorū miniſtri ſunt. Itaq; ſi miniſtri, medicus uerò architectus, an non hi omnes à medico reuera diſtincti erunt? Diſtat enim ab his medicus, ut à militibus imperator, à cæmentarijs architectus, à nautis gubernator. Quod animaduertens Galenus, medicíq; ingenui nobilitatem, eiusq; qui Aeſculapij genere ſe dignum duceret explicare uolens, uulgariumq; hominum in deligendis medicis deprauatum notans morem, medicum excellenti cuidam exercitus duci comparat, aut regi ſubditis imperanti. Fit inquit iure, ut cùm ægrotare cœperint, (de uulgaribus loquens, & nullo iudicio præditis hominibus) medicos aduocent, non quidem optimos, ut potè quos per ſanitatem noſcere

noscere nunquam studuerunt: sed eos quos maximè familiares habent, quiq; ipsis maximè adulantur, qui & frigidam dabunt si hanc poposcerint: & lauabunt cùm iusserint, & uinum niuemq; porrigent: postremò quicquid iubebitur, mancipiorum ritu facient: contrà quàm ueteres illi medici ab Aesculapio oriundi, qui tanquam duces militibus, & reges subditis, imperare ægris uoluerunt: nequaquam uerò Getarum & Tibiorum, & Phrygum, & Thracum emptitiorum ritu parere atque obsequi.

*Loci Galeni explicatio.*

Oratione hac Galenus grauissimè & Pseudomedicorum ignobilitatem damnat: qui à nobili illa Asclepiadarum familia degenerantes, mancipiorum ritu ægris parere magis & obsequi, quàm imperare (suæ nobilitatis obliti) malunt: & uerè medicorum, generosam uirtutem celebri cōmendatione exornare contendit. Quid enim abiectius, & medici dignitate atque excellentia indignius, quàm eum à cuius imperio & præscripto omnis ægri uita salusq; pendet, ceu mancipium, ægri iussis parere, illi blandiri, illius uotis subscribere, nihil interea de morbo & oblatorum noxa cogitantem? Quod qui faciunt, quiq; seruilia obire munia, quo se gratiosos ægris & placidos præstent, in more habent, ij certe (si modo qui tales sunt) indigni medici nomine sunt habendi. Generosos medicus seruet pro excellenti sua natura spiritus, nihil quicquam ad gratiā loquatur, unum tantum ægri commodum suæ artis fidens spectet: tutò, celeriter, & iucundè curet: uulgi famam (quod iubet Galenus) perpetuò contemnat, uni se ueritatis studio dedat, totus eo studio flagret, deq; Apollinis Aesculapijq; arte tum exercendi, tum uerò semper augenda, ac pro uiribus perficienda laboret. Hæc generosi medici & sua arte commendabilis actio, hoc munus, hæc perfecta & ad summum deducta ratio erit.

*Medici generosi officium.*

*7. Meth.*

*1. Meth.*

*Cap. 1.*

Ad institutum porrò redeuntes clarorum uirorum testimonijs ostendamus, unguentarios, chirurgosq; non Galeni modò ætate sed Celsi & Asclepiadis distinctos fuisse. Celsus lib. I. Sanus homo, qui & bene ualet, & suæ spontis est, nullis obligare se legibus debet, ac neq; medico, neq; iatralipta egere. An non hic medicum ab unguentario conceptis uerbis discriminat Celsus, dum sanum hominem neq; medico, neq; iatralipta, hoc est, unguentario egere affirmat? est enim iatralipta, si nominis uim expendas, unctor medicus, à quo muneris dignitate & excellentia qui absolutè medicus nuncupatur longissimè distat. Rursus idem lib. VII. cap. I. de chirurgia ex professo loquens, deq; illius professoribus & omni chirurgi natura ac moribus, chirurgiam quidem, ut quæ manu curet, tertiam esse medicinæ partem, & suos priuatim professores, qui illam ualde nobilitarint habuisse: & chirurgum alium à medico atq; discretum esse testatur, (etsi eundem quidem hominem isthæc omnia munia posse præstare conceptis uerbis affirmet) ubi tamen se diuiserunt (subdit) eum laudo qui quàm plurimum percipit. Quibus ex uerbis colligi promptum est, diuisos tum etiam atq; nunc medicos à chirurgis fuisse: cùm eum chirurgum maximè laudet, qui cùm medicus non sit, plurimùm tamen eorum quæ ad medendi scientiam pertinent percipiat. Hoc enim uerba illa indicant [ubi se diuiserunt] Quin & paulò pòst chirurgum proprijs notis

describens illum à medico plurimùm disiunxisse uidetur. Et chirurgum quidem (ait) aut adolescentem aut adolescentiæ propiorem, manu strenua, stabili, nec unquam intremiscente, eaq; non minus sinistra quàm dextra promptum, acie oculorum acri claraq;, animo intrepidum ac immisericordem esse oportet, & cætera. An non eæ chirurgi manu medentis, non medici propriæ notæ sunt? illud ut intelligamus, Celsi etiam ætate à medicis discretos chirurgos fuisse.

De fracturis porrò capitis sermonem instituens Galenus, ubi illarum methodum absoluisset maximam chirurgicorũ operum partem ijs quos chirurgos uocant se permisisse testatur. Aggressus (inquit) fuissem aliquando ipse quoq; experiri huiusmodi curationis rationem, si perpetuò in Asia mansissem. Sed cùm Romæ plurimùm agerem, ciuitatis morem sum secutus, permissa ijs quos chirurgos uocant, maxima eiusmodi operum parte. Euidentissimè hinc Romæ Galeni ætate & chirurgos fuisse, & quæ manuum fierent opera: ea chirurgis pro patrio more relinquenda edocemur. Erat autem (ut cernere est) is patrius Romæ mos, ut quæ manuum operam desiderarent, ea chirurgi obirent, cætera tractarent medici: ac proinde Galenus patrium illum morem secutus, ossium excisiones (de quibus eo loco sermonem instituit) chirurgis iure permittendas censuit, quòd ad eorum munus pertinerent. Ex quibus constare arbitror iam tum Galeni ætate à medicis discretos chirurgos fuisse. Pharmacopolas uerò ab medicis item discretos, plurimis eiusdem autoris testimonijs euincemus. Siquidem VII. de Medicamentis secundum locos, Pamphili Pharmacopolæ confectionem quæ febrim finiat de Andromachi sententia adfert, IX. uerò eiusdem tractationis, cap. IIII. Antonij Pharmacopolæ medicamentum ad coli affectus affert, idq; ex his quæ Asclepiades prodidit. Quarto uerò de Compositione medicamentorum secundum genera, Mantiæ Pharmacopolæ & Tharsæi cuiusdam chirurgi, emplastra describit. Rursum uerò lib. de Antidotis primo, apertissimis id uerbis cõfirmat Galenus: Si inquit, uel Mithridaticam, uel Theriacam, uel aliquam aliam maiorem antidotum componere moliatur, quæ & multa comprehendat, & cinnamomum accipiat, optimis quibusq; indiget medicinis; quæ quoniam alio in tractu quàm Romæ haberi non possunt, propterea tales antidotos Romæ conficiunt, non solùm optimi quiq; medici, sed etiam unguentarij. An non hic explicatissimè Galenus unguentarios tum Romæ fuisse, qui magnas antidotos conficerent ipsi, (etsi easdem etiam optimi quique medici parare didicerant, quæ seculi illius felicitas erat) eosdemq; à medicis discretos monstrauit? Hoc ipsum rursus idem Galenus II. de Diebus decretorijs, cap. XI. confirmat, dum medicum qui naturæ sit minister à Pharmacopola plurimum distare censet. Hisce locis probasse me abundè arbitror, medicos à chirurgis & unguentarijs uocatis discretos olim ut nunc fuisse. Quod & ipsum ratione, à fine artium proprio desumpta, probari firmissimè potest. Nam & si horum omnium artificum, nempè medici, Chirurgi, & unguentarij communis is est finis, hominibus opem ferre; suis tamẽ cancellis harum artiũ unamquamq;

6. Meth. ad finem.

quamq́ concludi certum est, chirurgi enim finis scopusq́ præcipuus est, manu mederi, quod Celsus lib. VII. cap. I. abundè testatur: unguentarij, antidotos suas conficere, quibus ad hominum salutem utamur: Medici uerò, morborum, causarumq́ notione, naturæq́ ægrotantis ac auxiliorum scientia, morbos depellere. Quæ quoniam & ipsa per se notissima sunt, & mille autorum testimonijs corroborata, in ijs probandis non immorabor, & ad id quod reliquū est enarrationis accingar. Num inquam medico interdum horum obire munia liceat, quam rem totam paucis, sed explicatis uerbis, Galenus VI. Epidemiorum sectione V. ad principium explanauit. *Num medico chirurgi obire quandoq; munia liceat.*

At si nos inquit etiam hæc discentes (de chirurgorum & Pharmacopolarum munijs loquens) interdum & facimus, perinde facimus, atque gubernator remigandi peritus, & facile summum malum conscendere ualens, & omnia alia nautarum munera cognoscens & exequens. Etenim multi imperatores sæpe & arcu uti, & iaculari, & pugnare gladio, hastaq́ sciunt & faciunt: & reges pariter, sed non ut Rex, ut imperator erat Alexander Macedo, aut eius pater Philippus: sed per alias artes imperatoriæ atque regiæ inseruientes, hæc militaria munera obibant. Itaque & nos ut medici, cuiusq́ auxilij qualitatem, quantitatem, occasionem, & utendi modum cognoscimus, ut ministri uerò, uenam rescindimus, & cucurbitulas admouemus, & reliqua manibus operamur. Dignitate igitur ars medica medicis præstat, medicus arti seruienti, illa ministris, ministri artibus sibi instrumenta materiasq́ parantibus, illæ artificibus per eas agentibus, artifices uerò præparatis materijs atque instrumentis.

Hac tota serie Galenus quonam pacto medicis interdū ministrorum munera obire liceat docet: fit enim interdū, ut & uenam secare, & cucurbitulas admouere medicum oporteat: dum uidelicet aut periti chirurgi copia nos deficit, ut cùm ruri sumus: uel dum urgens aliqua præsensq́ necessitas inuitat chirurgorum & ministrorum copia destituti. Quod cùm accidit, non alienum à medici dignitate fuerit, hæc obire, ut laboranti proximo opem ferat. Hæc tamen munia non ut medicos, sed ut ministrorum personam agentes nos exequi docet hoc loco Galenus. Perinde ac si nauis gubernator remiget, aut malum conscendat: aut imperator iaculetur, aut signa ferat, aut comminus cum hoste congrediatur: isthæc enim non tanquam imperator, sed tanquam miles obit. Dignitate uerò nos longè ministris antecellere conceptis hic uerbis monstrat Galenus, ut probatione ampliore res non egeat. Atque isthæc ego ad proposita in enarratione probanda sufficere abundè arbitror. *Loci Galeni explicatio.*

*De annua Elephanticorum apud Arelatam probatione uetere senatusconsulto instituta: deq; nonnullis ad eam rem pertinentibus.*

ENARRATIO V.


LEPHANTICOS probari atq; è cœtu hominum qui tales inuenti fuerint eijci, non humani solum instituti atq; consilij, sed diuini præcepti fuisse legimus. Præpotens enim Deus prouidẽtia admirabili sua fortiter cuncta disponens, cùm saluti populi electi sui consultum uellet, id maximè prouidit, ne quid sordidum, ne quid inquinatum aut fœdum, ne quid etiam exitioso & pestifero morbo corruptum labem populo inferret. Quòd si quid tale in castris inuentum esset, mox id omne ceu noxium reijciendum & segregandum admirabili suo consilio iussit: unde est illud Numerorum quinto, Præcipe filijs Israël, ut eijciant de castris omnem leprosum: Et illud item Leuitici, Omni tempore quo leprosus est, & immundus, solus habitabit extra castra. Nec solùm amandandos eos & remouendos qui sic affecti essent, sed ut se ijdem ipsi publica confessione & insignibus notis tales esse profiterentur: ne qui incauti in eos incidentes noxam contraherent, sapientissimè idem prouidit: Vestimenta enim eos habere dissuta, caput nudum, os ueste contectum, contaminatos se ac sordidos clamore confiteri iussit Deus, ut insignibus notis depræhensi cognobilesq; facti, eorum congressum consuetudinemq; uitare sani homines possent. Simile quiddam & Elephanticis quoque nostris à magistratu est hodie imperatum. Lignea enim crepitacula quædam gestare pro signo iubentur, quorum clangore & strepẽte sono admoneri, ne se adeant, qui salubri sunt corporis statu posſint. Dei itaque præceptum imitati rerumpublicarum moderatoris magnam eius rei curam habendam meritò censuerunt, cunctorum enim saluti parentum instar saluberrimè prospicientes, eius generis homines medicorum censuræ dedendos, lege lata sanxerunt: ut si qui teterrima ea lue affecti sint, continuò à cætero populo, ceu noxij futuri, procul arceantur. Hinc seueris tum iurisprudentum, tum etiam medicorum legibus cautum est, ut eo affecti morbo à media hominum turba disclusi longissimè abducantur, ne cum sanis consuetudine atque conuictu, pari labe inquinare eos queant. Paulus enim lib. IIII. ea de re ex professo sermonem instituens, quoniam capitali & pestifero morbo laborare eos est arbitratus, procul ab hominũ societate ablegandos his sanè uerbis censuit. Quoniam (inquit) contagiosus hic morbus non sanè minus quàm uel ipsissima pestis est, seorsim à sanis hominibus, atque adeò procul quoque ab urbibus, in loca uidelicet mediterranea & refrigerata, à mortaliumq; cæterorum frequentia tabe illa affecti habitandum ablegandi sunt. Quin si fieri posſit etiam hinc ad proxima loca migrabunt, tum propter se, tum propter eos qui (ut uerisimile est) ipsis incident. Ipsi namque ita salubriore aëre fruentur, & alios hac lue non inficient. Aëtius uerò non solùm grauem esse laboranti affectum hunc, sed conspicientibus intolerabilem, ut qui id morbi genus omninò auersentur

Leuit.13.

Lib.13. cap.120.

tur

tur adeò ut plerique ex necessarijs & domesticis ægri ipsius congressum consuetudinemq́ uitent affirmauit: suspicionem enim de se malum præbet, quòd contagiosum sit. Atque ego sanè (subdit) malum esse affirmo cum ipsis conuersari, inquinatur enim aër quem inspirando attrahimus ex ulcerum fœtore & ex uitiata spiritus exhalatione. Quamobrem cùm tetra hæc lues tantum mali inferre contagione sua possit, ut propè astantes inquinet & inficiat: æqua animaduersione à magistratibus & rerũ publicarum rectoribus prouisum est, ut eius rei cura ad communem populi salutem uel maxima haberetur. Qua in re si usquam alibi Arelatæ certè magna ducitur ratio. Nam cùm ea in urbe, ob promiscuam & incautam nauticæ turbæ, & rusticorum agricolationi seruientium copiam, (quæ ferè gens omnis pro insolenti quam degunt uita pessimis quibusque se cibis ac potionibus implere exaturareq́ consueuit) ob regionis caliditatem, ob ciborum quibus plebs uti solet malitiam (omnes enim ferè salsa carne, palustribus piscibus, lacte multo, & caseo, cochleis, glutinosis, crassis, nidorosis, acutis, uinoq́ & generoso & multo, citra delectum utuntur) plurimi incautè in id morbi incidant, magna sanè prudentia à ueteribus olim constitutum uidetur, ut eius curandæ rei magna à consulibus senatuq́ Arelatensi ratio haberetur. Vnde solemne illis est, ut quo die comitia consularia haberi solent (est autem is dies ad octauum Calendas Aprilis) senatorum suffragijs creatis consulibus, mox illis ex tabella ab eius senatus scriba ea capita proponantur quæ ad muneris eorum dignitatem curationemq́ pertineant, inter quæ præcipuum hoc unum: ut noui consules Elephanticorum probandorum curam stato ad id munus tempore præcipuam habeant. Dicatum autem ad id uerni temporis initium est, idq́ magna sanè ratione. Nam cùm de humorum intus latentium, abditoq́ in corpore malo iudicium ferendum sit, id tempus ad eam rem peropportunum censeri meritò debet, in quo & reserari corporis meatus, & attenuari humores, fluxilesq́ fieri incipiunt: corpusq́ uniuersum quasi hyemis sæuitia solutum, renouari uerna temperie, & penè refici solet. Cumq́ ex coloris foras efflorescentis notis, de omni latentium in corpore humorum natura censuram facere oporteat (cùm uel Galeni testimonio succorum corporis color certissima nota sit, & talem efflorescere foras colorem oportet: qualis conditorum intus humorum natura fuerit) is autem color prodeuntibus iam foras humoribus, certiores latentis intus mali notas per ueris temperiem præbeat, non sine magna ratione constitutum uidetur, ut probandorum Elephanticorum ratio per ueris initia iniretur. Et si enim nullo non tempore fieri talis Elephanticorum exploratio possit: tamen quoniam æstate dissoluti nimium corporis succi sunt, ac ueluti nimio æstu assati: hyeme uerò coacti & crassiores subinde effecti, nimium'que intra uiscera conditi, tam certa dare latentis morbi testimonia id temporis minimè possunt, fallere'que conspicuus in facie color iudicantem haud magno negotio potest, cùm hyeme liuens obscurus'que ut plurimum appareat: æstate fusis humoribus calidioribus'que effectis nitidior, ac proinde utroque tempore falsa sui

*4. de Sani. tuend.*

ſpecie imponere nobis queat. Verùm cùm de explorandis elephanticis omnis nobis in præſens ratio propoſita ſit, qui nam Elephantici dicantur, & quidnam Elephantiaſis ſit, & à quibus ipſa cauſis originem ducat: poſtremò qua uia Elephanticos probandi negotium omne aggredi oporteat, dicendum uidetur. Elephantici porrò dicuntur qui Elephantiaſi morbo laborant. Eſt autem Elephantiaſis, definiente Paulo, uniuerſi corporis cancer. Id autem nomenclaturæ is morbus à ſimilitudine quadam ab Elephante animali tracta deſumpſit. morborum enim plerique ſunt, atteſtante 11. Meth. Galeno, qui à ſimilitudine nuncupationum ſuarum rationem ſortiantur: in quorum albo Elephas, Polypus, Cancer, Atheroma, Steatoma, Meliceris, Alopecia, Ophiaſisq; habentur. Qui enim Elephantiaſi correpti ſunt, obſcuro & ex purpureo liueſcente colore infuſcari, & tuberibus deformes fieri, Elephantorum inſtar uidemus. Elephantes enim duriſsimam cancellatamq; (quod Plinius ſcribit) cutem habent quæ ſe in rugas ſæpe coarctet, & adſtringat, unde aſpera, inæqualis, rugoſa ferè ſemper conſpicitur. Hinc affectum hunc denominationem ſumpſiſſe ſuam conſtans omnium aſſertio eſt. At uerò quæ ſit eius morbi ratio, haudquaquã difficile putatur: uniuerſi nanq; corporis cancrum eſſe omnes exiſtimant ac proinde immedicabile malũ. Si enim maiorem oportet ſemper remedij quàm ægritudinis uim eſſe, quod rectè Aretæus Cappadox dixit, ſuperior autem medicina nulla huic morbo inueniatur, fit profectò ut curari Elephas minimè poſsit. Equidem ſi Cancer, qui ſingularum modò corporis partium quaſi Elephas quidam eſt, curationem uel ipſomet tradente Hippocrate, non admittit: (qui abſconditos cancros non eſſe à medico curandos prodidit) qui quæſo curationem admittat uniuerſæ corporeæ molis cancer, quem propriè Elephantem dicimus? Hunc uerò atræ bilis in corpore ſuperantis ſobolem eſſe, Galeni mille in locis teſtimonio conſtat. cùm enim hæc ipſa aut è melancholico fæculentoq; ſanguine, aut è flaua bile utriſq; ſupra naturæ modum à calore immodico aſſatis originem ducat: fit, ut ea in uaſis cumulata naturæq; negotium inferens, foras ipſa ſeſe exerat, perq; uniuerſum corporis habitum diſſeminata atq; ſparſa, figuram (ut ait Galenus) immutet atq; deprauet. Simus enim fit in ipſis naſus, acuminatæq; aures, labra craſſa, totaq; uultus ſpecies ſatyris quàm ſimillima, torua, horribilis, & ferinum quid habens. Ab atra bile igitur Elephantiaſim naſci conſtans Galeni & omnium aſſertio eſt. Hanc uerò temperatura calidior & ſiccior, anni par conſtitutio, cœli atq; regionis natura, labores, ſtudia, laſsitudines, curæ, uigiliæ, ciborum craſſorum & ſalſorum, acriumq; creber uſus, in primis uerò uita inſolens, & crapula gignere ut plurimùm ſolent.

*Elephantici qui.*
*Elephãtiaſis quid. ex Paulo lib. 4. cap. 1.*
*Plinius lib. 8. Natur. hiſto. cap. 10.*
*Paulus ubi ſuprà.*
*6. Aphoriſm. textu 38.*
*Lib. de Atra bile. & de tumoribus præter nat. & 2. ad Glauc.*
*Lib. de morb. cau. cap. 7.*
*Ex Gale. lib. de Atra bile.*

Iam uerò explorandi Elephanticos negotium, ut perfici habeat (quod poſtremò dicendum propoſuimus) explicandum nobis eſt. Qua in re magna ſanè prudentia, conſilio, attentioneq; iudico eſſe utendum: ne aut imprudentia & incauta iudicandi ratione, aut eos exilij noxæ dedamus qui intacti hac peſtifera lue ſunt: aut eos qui infelici euentu in hanc inciderunt, liberos cum ſanis agere, & in populo uerſari ſinamus. Alterum

enim inhumanitatis, alterum impietatis est. Primum omnium, quoniam Elephas ex eorum morborum albo est qui in semine fomitem habent, unde iure hæreditarius dicitur, postulāda ab ægro fides est, ut de parentum incolumitate aut inquinata natura rogatus uera respondeat: ab Elephantico enim Elephanticus gignitur, quod mali seminarium in uitiato parentum semine sit, unde talem contrahit qui nascitur labem, quali præditum semen erat. Cùm enim uniuerso è corpore genitura procedat (quæ firmior est medicorum sententia) sint autem Elephantici principes partes uitiatæ ferè omnes, massaq; sanguinis corrupta, tabeq; mala infecta; efficitur profectò, ut semen quoq; ipsum infectum inquinatumq; procedat, à quo sic uitiato semine, Elephanticum quoq; gigni profectò necesse est. Atq; hæc una in primis uera & efficax Elephanticos deprehendendi ratio est, si illos ab Elephāticis prognatos esse cognouerimus. Deducitur enim longa serie tabes hæc, non in filios modò, sed in nepotes pronepotesq;, tanta uis malo subest. Nihil enim quicquam ad mali huius inferendam noxam tantum ualet: nihil æquè hominem ad eam excipiendam præparat, quàm genitalis seminis corruptela. Secundo loco de his est inquirendum, quæ ad morbi huius generationem, ipsa per se maximam uim habere creduntur. Sunt autem præcipuè, anteacta uita huic inferendo morbo idonea, cum inquinatis hac labe hominibus longa consuetudo, excretionum solitarum præter naturam detentio. Itaq; sciscitari ab ægro conuenit, num crassis, melancholicis, salsis, acutis, nidorosis sit usus cibis: num uino multo ac crasso: num laboribus, uigilijs, curis, angoribus sese dediderit, ærumnosamq; uitam in metu & mœrore positam duxerit. Ab his enim si cuipiam acciderint, magnam in eius uasis atrabilarij succi atq; mali congestam esse copiam, quæ huius morbi materia esse posit, coniectari certò possumus. Diuturna etiam cum Elephanticis consuetudo atq; conuictus, non minimum momenti ad hunc inferendum morbum præbet. Cum his enim qui putridum omnino spirant agere periculosum duxit Galenus. Itaq; si quis, raro præsertim corporis habitu, & ad externas excipiendas iniurias aptus, Elephanticis assideat, noxam profectò sentiet. Melancholicorum item excremētorum retentio, congestaq; subinde copia haud sanè parum facere ad morbi huius generationem creduntur. Quamobrem si uni cuipiam isthæc uniuersa acciderint, de eo ut ad Elephantiasin sit ualde dispositus affirmare sanè poterimus. At uerò Elephanticum eum qui iam actu non dispositione solùm & aptitudine labem contraxerit quibus explorabimus signis? An ijs quæ ad morbū aptitudinem & dispositionem tantum, non etiam morbum demonstrant? an ijs quæ morbi essentiam comitantur? Equidem si (quod Aristoteles ait) accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum quod quid est. Habent autem singuli morbi proprios suos casus, propriaq; symptomata, quæ ipsos insequantur: ab his profectò petenda de morbo ipso omnis iudicandi ratio erit. Præcipuam enim Galenus significationis morborum rationem, ab ijs quæ secundum essentiam insunt sumere solet. Elephantiasin porrò hæc ceu casus proprij, perpetuò comitantur: Extubetationes in plerisq;

*Elephanticos iudicandi ratio.*

*1. de Febrium differ. cap. 2.*

*1. de Anima.*

*In Arte medicinali, & lib. de Locis affect.*

*Indicia propria Elephantiasis.*

risq; corporis partibus, sed in facie magis, præsertim secundum frontem: aures acuminatæ fiunt, nasus simus, labra crassa, horrendi aspectu apparent, & satyris quàm simillimi. Hos casus Elephantiasin uocatam sequi testatur lib. de Morborum causis Galenus. Auicenna coloris in facie deprauationem addit, (fit enim color ex rubeo liuens) tum uocis raucitatem, ob pulmonum læsionem. Ego quidem certè, magnum à calore iudicium sumi de Elephante censeo. Nam quum Elephantiasin Galenus 11. ad Glauc. sanguinis turbidi ac crassi in uenis cõtenti ad cutim uniuersam propulsionem esse affirmet: fit profectò, ut pro ratione sanguinis huiusmodi morbum inferentis, colorem efflorescere talem oporteat; (quòd color succorum corporis certissima nota sit.) Quamobrem cùm qui Elephantem creat humor, ruber sit, turbidus ac crassus, colorem in cute ex rubro liuentem apparere consequens quidem est. Vnde Galenus libro de Atra bile, Subrubros (inquit) Elephantes parit ater humor qualitatibus mitis remissusq;, ac sanguini commixtus. Quòd si uel hi spatio temporis perdurent, nigriores redduntur. Cauliacensis Guido oculorum rotunditatem addit. Atq; hæc quidem omnia ad figuræ deprauationẽ pertinent, uti immutatus color ad qualitatem mutatam, & Elephantiasin perpetuò comitantur. Quamobrem ab illis potissimùm morbi indicationes atq; iudicia sumi debent. Quæ enim à morbi essentia signa ducuntur, ea certam declarandi morbi significationem habent. Huiusmodi signa Guido uniuoca appellanda censet: hoc est, morbo propria: ueluti ea quæ cum Elephantiasi conueniant, in alijs tamen itidem morbis reperiantur, æquiuoca. Sexdecim autem huius ordinis idem autor annumerat: uerùm quibus in iudicio ferendo habenda fides omnino non fit, cùm præsertim alios indicare morbos ipsa possint. Ne tamen ab his imponi nobis possit, quibus potissimùm fidendum sit, quæ'ue affectum propius demonstrare queant, explicandum nobis de integro erit. Primum itaq; inter æquiuoca protuberationes extremorum crurumq; potissimùm habentur: ab hoc certius quàm ab alijs sumi iudicium potest. Extuberationes porrò has, glandulosas additiones Auicenna uocat. Fiunt autem ob sanguinis crassi & turbidi in parte subsistentiam, cùm is scilicet improbè à natura elaboratus: & à nutritoria facultate non rectè immutatus, in carnem crassam, duram, asperam, inæqualem, degenerat. Nam (quod Galenus ait) ubi carni cibus assimilatur, si pituita refertus sit sanguis, accidit, ut caro quoq; magis pituitosa efficiatur. Neq; enim idem est carnem esse, & carnem phlegmaticam esse. Neq; etiam idem est carnem esse & melancholicam carnem esse. Itaq; cùm in Elephante magna nutritoriæ facultatis aberratio contingat: fit profectò, ut deprauatum alimentum, quale in huiusmodi morbo accidit, immutari, neq; item assimilari à facultate queat: cuius defectu necessariò efficitur, ut extuberet duraq; caro fiat. ac proinde ab hoc signo certius de Elephante iudicium sumi possit. Secundum ex æquiuocis est coloris, quem Guido morpheatum & tenebrosum uocat: hoc est eius generis, qui in morphea morbo apparere solet. Est autem Morphea seu Albaras fœdus cutis color, ex malo particulæ habitu alimentum rectè assim

*4. de Sanitate tuenda.*

*Trac. 6. doc. 1. cap. 2.*

*Vniuoca & æquiuoca signa cur sic dicta.*

*6. de Sympt. cau. cap. 2.*

*Morphea quid.*

aſsimilare non potentis obortus: in quo ſanè affectu cutis & ſubdita interdum etiam caro peſsimè afficitur cruſtoſis puſtulis, à quibus nonnunquam ſquammis piſcium ſimilia emittuntur: præſertim in ea quæ nigra eſt, quam Auicenna Albaram nigram uocauit: Celſus tam nigram quàm albam uno uitiliginis nomine comprehendit: atq; huius uaria eſt nec unica tantum ſpecies, alia ſolam cutem inficit, carnem alia intimius permeat, ac pilos albo atro'ue colore inficit, atque commaculat. unde ea affectio modo ἄλφος, modo λεύκη Græcis dicitur, pro ratione coloris quo pili tinguntur: cùm in album colorem inclinant, alphi dicuntur: cùm in nigrum melas. Morpheatum igitur colorem eum intelligere Guido uidetur, qui ſubniger ſit & obſcurus, ex rubro in nigrorem uergens. qualis in uitiligine nigra quam μέλαν uocari diximus contingit. & ab hoc item ſigno non leuis de morbo indicatio ſumi debet. A capillorum defluuio & tenuium regeneratione (quod tertium inter huiuſmodi ſigna eſt) non tam certa ſumi iudicandi ratio debet, quòd in pleriſque alijs affectibus id eueniat: uti in Alopecia & Ophiaſi: fit autem is caſus ob deprauatam, quæ in alimento pilorum fit, naturæ actionem: corrumpitur enim in huiuſmodi affectibus pilorum materia, unde ob alimenti commodi penuriam decidere eos omnino neceſſe eſt, & ob partis imbecillitatem tenues renaſci. Quartum eſſe uult Guido, muſculorum præcipuè pollicis conſumptionem. Remotiſsimum mihi id ſignum, & parum ad iudicandum aptum uidetur, cùm in atrophia uocata, in tabe, in diuturnis morbis, in ijs item qui ſe aut multis uigilijs, curis, exercitationibus & laboribus, aut alioqui inedia defatigarunt: aut graui alui fluxione, ſanguinis'que eruptione tentantur, talem ſit muſculorum conſumptionem uidere: quæ ſi tamen cum reliquis uniuocis uocatis ſignis coniuncta ſit, aberrationem facultatis altricis ſignificat. Quintum ponitur eſſe ſtupor, abolitus'que extremarum partium in tactu ſenſus: quod item ſymptoma propriũ non eſt, cùm & pleriſq; neruorum affectibus conueniat: fit autem ob partis frigiditatem: eſt enim autore Galeno imperfecta quædam neruorum reſolutio, ob inſignem refrigerationem proueniens, unde & ſenſus & motus difficultas enaſcatur. Cur autem Elephanticorum extremæ partes ſtupore tententur, in promptu cauſa eſt: quòd à craſſo atrabilarioq; ſucco impleti nerui, ſpiritus animalis ferri permeareq; ad ipſos prohibeatur. Duplici igitur de cauſa refrigerantur in Elephanticis extremæ partes: altera quòd frigido ſucco refertæ ſint: altera quòd qui eas calefacere debet animalis ſpiritus, aditu ad eas partes prohibetur, unde meritò ſtuporem ſequi conſequens eſt. Sed cur pereat in illis ſenſus, ut etiam puncti non ſentiant: non pereat autem motus, haud perinde difficile fuerit cauſam reddere. Quòd qui ad cutim procedunt nerui affecti ſint, non ſic autem muſculi: ac proinde ſi ſtylo aut acu penitius pungantur, puncturam ſentiunt: quòd muſculi non perinde ac cutis affecti ſint, ſed ſi cutis ſola aut aliquid ſubditæ carnis attingatur, prorſus non ſentiunt: quòd cùm exigui ſuapte natura ſenſus ea pars ſit, ſi impleri eam craſſo & frigido ſucco contingat (uti in Elephante uſu uenit) cùm partem inſigniter refrigerari, tum animalem

*3. de Sympto. cauſ. cap. 2.*

*Ex libro 1. de Loc. aff. item 3. & 4. et lib. 4. de Sympt. cauſ.*

malem

malem spiritum aditu suo ad eam arceri planè cernemus: à quibus sanè causis oriri stuporem consequens est. Sextum Scabies, impetigines, &c. gutta rosacea statuuntur: hæc autem omnia cutis defœdationes quædam sunt, à succorum prauitate, salsorum præsertim & biliosorum, unà cum uirtutis altricis aberratione enatæ. Quæ si in Elephantico probando appareant, & ex uniuocis aliqua adsint, magnam profectò aut impendentis mali, aut iam instantis coniecturam, eamq; artificiosam, hoc est ueritati propinquam, præbent: quòd & uitiosos in uenis subesse succos, & altricem facultatem à suo aberrare scopo demonstrent. Septimum extuberationes rotundæ, & duræ sub lingua, palpebris, auribus. De hoc dictum antea est inter ea quæ Elephantem consequebantur, certissimum esse signum. Octauum ardores, & puncturæ acuum sensus instar, hoc est ulcerosa in corpore lassitudo quædam. Hæc quidem si adsint, biliosorum in uasis redundantiam, non autem Elephantem arguunt: nec huic signo credendum censeo, quòd in biliosis alioqui hominibus, & his qui ulcerosa uocata lassitudine tenentur, sæpenumero appareat. Cutis crispitudo, instar implumis anseris, nonum ponitur signum: quod ad rem, nisi multa alia insint, parum meo quidem iudicio facere uidetur: cùm in ijs qui Psora, lepra, & cutaneis alijs affectibus laborant, non rarò talem sit spectare cutem, asperam, inæqualem, crispatam atq; rugosam: & in multis Elephanticis eam reperire non sit, cùm multos ego cute plana, æquali, leniq; & alba præditos esse sim conspicatus. Decimum, quòd unctuosi appareant, respersi aqua, crassæ quidem, & excrementorum acrium fuligine obductæ cutis indicium id est, Elephantiasis certè non est, Quòd rarò febricitent, quòd callidi, dolosi, furiosi sint, id commune cum plerisq;, qui Elephantici non sunt habere uidentur, nec ex his iudicari ullatenus de Elephante debet. Quòd uerò insomnijs grauibus & formidolosis terreantur, id quidem atrabilarij succi noxam, Elephantem autem non indicat: sicuti neq; pulsuum eorum debilitas, quæ & senibus, & diuturno morbo affectis, & à morbo resurgentibus, peculiaris esse solet quare nec ex hoc item iudicandum. Decimum quintum signum illud est, quòd sanguinem trumbosum, nigrum, liuentem obscurumq; habent. Ab hoc quidem nonnihil coiecturæ sumi haud ineptè potest, talis enim sanguis Elephantiasis profectò materia esse censetur: ut in quo atrabilarij succi plurimùm insit. Vltimum ab urina tenui, cineritia, alba petitur: fallax & incertum huiusmodi signum habendum est: tales enim plerunq; in lienosis, quartanarijs, uiscerum obstructionibus apparent: qui tamen omnes ab Elephanticis per disdiapason distant. Itaq; ut à quibus certa Elephanticos iudicandi ratio petenda sit, compendiò explicem, dico, ab ijs quæ secundum morbi essentiam insunt, eumq; perpetuò comitantur, iudicium fieri debere: nempe ab ipsa uultus in primis specie torua, satyrisq; simillima: à labiorum crassicie, & fœditate, nasi dilatatione, aurium rotunditate, & circunflexione quadam cum attenuatione, frontis & superciliorum extuberatione, oculorum fixo intuitu, & figuræ in orbem deprauatione, colore faciei subrubro & obscuro, in nigroremq; desinente, uocis insuper raucit

*Ex Gal. 3. & 4. de Sanitate tuenda.*

*A quibus iudicandi Elephantici.*

raucitate. Ex his profectò certissimum de Elephantiasi iudicium sumi debet. Quibus si reliqui corporis similis color accedat, carnisque in toto, maximè uerò secundum artus protuberationes, uitiligo aut lepra, impetigoque in uniuerso corpore, extuberationes & granula quædam duriuscula sub lingua, palpebris, auribus, Demum (quod caput est) si è parentum macula labem hanc contraxerit, ab Elephanticis utique procreatus, si incauta uictus ratione usus, si consuetudinem diuturnam cum hoc morbo affectis habuerit, isthæc inquam omnia si unà cum prioribus signis consenserint, Elephanticum plenè declarant, & à magistratu, qui talis repertus fuerit, quàm longissimè à cœtu hominum societateque ablegandus. Cui uerò pauca ex uniuocis æquiuocisque uocatis, aut remissa signa adfuerint (quod rectè Guido monet) admonendus is à medico blandè erit, sui ut rationem maximam habendam ducat: summaque cautione & uitæ ratione præcaueat, ne indiligentia in morbum ad quem dispositus est delabatur. Si uerò æquiuoca ampliora uniuocis, sed ex his item aliquot habeat, de Guidonis quidem sententia ut non omnino segregandus, nec Elephanticus declarandus, sic certè grauiter comminandus, illique tum imperandum, congressus hominum ac cœtus ut uitet, domi se contineat, sibique iam Elephantem ingresso prospiciat. Quòd si & plurima ex ijs quæ secundum morbi essentiam, & quæ plerunque comitari solent inuenta fuerint, blandis & lenibus uerbis Elephanticus est pronuntiandus. Atque hæc Elephanticos iudicandi prodita à neotericis nostris præsertimque Guidone ratio. A qua & si minimè recedendum in Elephanticis deprehendendis plerique omnes existiment, egoque assentiar: haud ita tamen pro oraculo habendam, non ut ab illa uel transuersum unguem discedere liceat, censeo. Equidem cùm priscis seculis, maiorumque nostrorum ætate, Hippocratis dico, Galeni, Pauli, Alexandri, Aëtij, Oribasij, Elephanticorum iudicia plurima facta fuisse exploratissimum sit, non hanc eos omnino uiam secutos fuisse ex eorum monumentis conijcere certum est. Galenus certè ex atrabilarij succi in uniuersam cutem propulsione, facieque Satyris simillima, labiorum crassicie, & aurium attenuatione seu acumine, nasique simitate, Elephanticos iudicat, nempe à figuræ deprauatione, Elephas enim figuram planè immutat, ut idem ait. Paulus ex uultus liuido rubore & totius corporis exulceratione: præsertim si extrema decidant, exactum uidetur de Elephante sumere iudicium. Rubros enim Elephantes mitiores esse cum Galeno affirmat. Reliquos uerò qui infestiores malignius sæuiunt, tum corpus totum hulcerosum reddunt, tum extrema decidere faciunt: hos inquam à flaua bile nimium exusta oriri idem testatur. Itaque non dubitat Paulus eum cui extrema deciderint hulcerum atrabilariorum uitio, totumque corpus hulceribus refertum habuerit, Elephanticum, eumque pessimi generis iudicare. Aëtius, cùm morbi huius uestigia iam circa superficiem apparere cœperint: tunc non gigni morbum, sed perfici iure contendit, intus à uisceribus initio facto. Quæ autem uestigia ea sint idem autor apertissimè docet: fieri enim ait (ubi ad cutem progressum fuerit malum) malas crassiores atque mētum, florereque non florido, sed liuido rubore. Et

*Galenus 2. de Morb. caus. cap. 7. & 2. ad Glauc.*


*Paul. libro 4. cap. 1.*

*Gale. lib. de Atra bile.*

*Aëtius lib. 13. cap. 120.*

re. Et uenulas sub lingua uaricosas apparere, eminentiasq; per omne ferè corpus fieri. Itaq; ut quod sentio ingenuè proferam, ex horum autorum sententia, si cuipiam plurima ex æquiuocis uocatis unà cum aliquot uniuocis in facie præsertim apparentibus adfuerint, maximè uerò si malum eousq; processerit, ut extrema exulcerata decidant, totumq; corpus uitiligine seu fœda scabie deformatum appareat, sintq; in extremis partibus extuberationes, adsintq; narium intus exulceratio cum strictura, foris uerò crassicies & dilatatio, auriumq; attenuatio cum aliquali faciei horrido aspectu, hunc ego profectò Elephanticum iure dixerim uel Pauli & Galeni testimonio etsi in eo omnia non insint uniuoca signa. *Vbi suprà.* Plurima nanq; ex æquiuocis uocatis si adsint, eaq; intensa sint: (præsertim si extremorum casus sequatur, ut Paulus sentit) ea ego cum uniuocis uocatis uiribus propè æquare non uerebor: si modo unà cum istis, aliquot ex uniuocis apparuerint in facie. Nam nullis in facie apparentibus notis, iudicare Elephanticos minimè possumus, ut concors est autorum medicinæ omnium sententia, confirmatq; Gordonius non pessimus autor, qui in Elephantico illo à se deprehenso cui articuli ferè omnes deciderant, quòd nulla apparerent in facie signa, Elephanticum fuisse non est ausus pronuntiare. *Gord.lib.1.* Nobis uerò in publico Elephanticorum apud Arelatam examine quosdam uidere contigit quibus extrema exulcerata decidissent & esset duricies ac extuberatio in articulis, color morpheatus in corpore, consumptio musculorum ingens præcipuè pollicis, stupor effatu dignus, ut etiam mucrone puncti minimè noxam sentirent, scabies demum & impetigines uniuersum commacularent corpus: essetq; pulsus debilis, sanguis ater & plumbeus, urinæ albæ atq; tenues: qui tamen uniuoca in facie signa non omnia haberent, nihilosecius tamen uerissimè Elephantici essent iudicati. Euenit enim quandoque, ut ob eius partis robur non tam ualida in facie quàm in reliquo corpore signa appareant, etsi maximè Elephantici sint huiusmodi. Atq; hæc, ut puto, uera Elephanticos deprehendendi ratio est.

Quod sanè munus ut ad medicum propriè pertinet, qui hac in re iudicis partes sustinet: sic certè magistratus illa sunt, ut qui suspecti in ciuitate habentur, eos ad medicos deferri curet, neq; enim id medicorum munus est, ut qui iudicum partes subituri sunt, delatorum munus impleant. præsertim si qui tantum dispositi non etiamnum Elephantici fuerint. *Hipp. in Iureiurando.* Hippocratis enim iureiurando astringimur, ut quæ efferre non contulerit, ad curandum adhibiti, siue etiam minimè adhibiti, ea quidē ceu arcana contineamus, nec cuiquam committamus. Itaq; si quis cui ad Elephantem inclinatio quædam sit, consulturus nos adeat, eum ne protinus magistratui prodere? & famæ periclitanti notam inurere? & in uulgum infamare audebimus? Absit, absit à sancta medicorum fide ac probitate flagitium hoc. Impietati sanè proximum mihi uidetur, quem consilio regere, fide tueri, arte seruare potes, hunc exilij reum mendacio facere, hunc tanti mali insimulare, hunc fama spoliare, turpemq; & contemptibilem uulgo proponere. Tacitè hic profectò à medico admonendus est, & cohortandus, sibi ut



ut sapiat, medicorum dictis audiens ut sit, eorumque consilijs præceptisque pareat. Quòd si hunc iam pessimè affectum, primo etiam aditu inuenerit, tum deferre magistratui illum debet, tum malum significare. Nam ut impietatis est, nondum lapsum noxæ dare: sic certè proditæ fidei, iam inquinatum, iam Elephanticū factum non prodere, non ab hominum cœtu eximere, ne maiorem priuati hominis quàm reipublicæ (quæ una omnes omnium propinquitates & affinitates longè superat) curam habuisse uideri posit. Quo sanè in munere obeundo uni tantū ueritati Deum præ oculis habentes, nihil quicquam amori, inuidentiæ, liuori, odio, ullique perturbationi tribuendum ei, qui rectam sit eius perficiendæ rei uiam initurus consulo: & ut mihi id per omnem uitam contingat, Deum supplex oro ac quæso.

*An medico ægrum fallere salutis causa liceat.*

ENARRATIO VI.

HIPPOCRATIS librum Sextum de Popularibus morbis cum magna animi intentione legerem, ad eum tandem locum perueni, quo is auris dolorem curare methodo docet: est autem Aphorismus decimus tertius sectionis quintæ eius libri, qui ita Græcè scriptus est.

ἢν δὲ ἀλγέῃ, εἰρίον περὶ τὸν δάκτυλον ἑλίξας, ἐγχέειν ἄλειφα θερμόν. ἔπειτα ἐπιθεὶς ἔσω ἐν τῷ θέναρι τὸ εἰρίον, τὸ δὲ ὑποθεῖναι, ὡς δοκέῃ τι οἱ ἐξιέναι. ἔπειτα τοῦτο ἐς πῦρ ἐπιβάλλειν ἀπάτη.

Quod est: Si auris doleat lanam digito circumuoluens, unguentoque madefaciens, calidam instilla: dein lanam uolæ manus imponens auri subijcito, donec tibi quid exijsse uideatur. postea in ignem proijcito, deceptio.

Hæc obscura sanè Hippocratis dictio, in quam cùm ex professo meditarer, tacitus cogitabam, quid sibi postrema illa uox ad calcem posita, ἀπάτη, hoc est deceptio, uellet: parum enim reliquæ dictioni congruere omnino mihi uidebatur. Galeni autem commentarium ad eam partem cùm legissem, animaduerti de optimorum sententia interpretum, in id adiectam eam uocem, ut decipiendi ægroti causa consultò id iussisse Hippocratem quod in serie tota scriptum est, senserint. lanam inquam ubi auri subdita esset, & effluxionem ab aure manantem excepisset, in ignem proijciendam, ut quale esset quod effluxisset, iniectu illo deprehendere possemus: deceptio enim hæc est, dum in id lanam à medico in ignem inijci ægroti putant, tanquam inutilem concremandam abijcientes, cùm interim aliud medicus iniectu illo in ignem quærat, nempe cognitionem eius qui ex aure effluxit humoris, uitiosus ne sit, & corruptus, an non omnino malus. Si enim lana succo illo imbuta & in ignem iniecta, tetrum fœtidumque exhalet, corruptum esse auris humorem indicat: sin minus male oleat, non sic uitiatum. Sic in deprehendendo tabidorum sputo iussit Aphorismorum V. Hippocrates. Quicunque (inquit) à tabe molestantur, Aphoris.11.

 si sput

si sputū quod extussiunt carbonibus iniectum grauè olet, lethale. simulatione itaq; nonnunquam utendum medico, præcipere hoc loco Hippocrates uidetur, ne scilicet æger quæ à medico agūtur deprehendere queat. Cùm enim suspiciosi sint suapte natura ægri ac formidolosi, accuratius non solùm uerba & ratiocinationes, sed & gestus, & nutus medicorum obseruant, à cunctis quæ uel nutu, uel sermone significarit medicus metuentes. Quamobrem prudentis medici fuerit, quæ ægro metum allatura putarit, ea simulatione tegere, si lethalia signa, si decretoria mala, si infelicem morbi exitum prospexerit, ea non prodere. ab his enim si perspecta ægro sint & cognita, difficilis tolerantia, diffidentia, desperatioq; sequi solent. Nec abs re cùm fuerit aliud sentire & aliud loqui, ne in desperationem adigatur æger. Quod prudenter admodum persentiens Damascenus, salutem ægro perpetuò promittendam etsi de salute desperemus ipsi, in aphorismis præcepit. Oportet (inquit) te ægro salutē promittere semper, nec unquam eum ab spe deponere, etsi ipse desperes: complexio enim animi corporis affectui semper inhæret. Nec solùm salutis ægri causa, simulare multa ac fingere medicum oportet: sed interdum etiam mendacio uti, interdum etiam fallere, ut ijs artibus salutem consequatur æger. Hoc se fecisse olim Galenus publico testimonio astruxit, dum illustri mulieri quæ herpetem patiebatur, clanculum scammonium in sero lactis deuorandum obtulit. cùm enim grauem circa malleolum herpetem mulier pateretur, qui serpendo ad bubones ascenderat, nec medicamenti soluentis ullum genus præter serum lactis admitteret, in id scammonium tacitè iniecit, non certè ut dolo malo ageret, ut ægram falleret, ut noxam inferret, sed ut peruicacia perire uolentem, perire non sineret. quæ profectò nisi cautione hac atq; arte delusa à Galeno fuisset, in magnum uitæ discrimen ingrauescente malo perducta foret. Pari solertia Ioannes Vigonius (ut ad nostræ ætatis professores oratio conuertatur) nodum carnosum Iulij Secundi Pōtificis Maximi curasse se testatur. Nam cùm omne auxiliorum genus respuere affectus uideretur, in diesq; malum longius serperet cōtumaciusq; curationi redderetur, (ut in quo curando nequicquam ullis auxilijs proficeretur) nouam quandam inusitatamq; medendi rationem Vigonius est meditatus, acceptis ueteribus linamentis cōcerptis, addita panis albi mica molliore, & arsenici sublimati ex aquis rosarum & plantaginis excepti momento, ad tertias decoxit æneo uase, expreßisq; à liquore linamentis & furno tepente exiccatis, ulceriq; admotis (cùm nullis deinceps unguētis ad locum affectum usurum se esset professus) breui summa cum omnium admiratione Pontificem à graui affectu liberauit. Sic sæpe puerulis & alioqui morosis hominibus quibusdam, morbo tentatis, arte prospicimus, dum pro uino granatorum succum, pro aqua medicatam potionem damus. Dum etiam immorigeros eos nec obsequentes nacti sumus, maiora etiam quàm sint fingimus esse mala. cur? ut certæ & exquisitæ uictus rationi imperatisq; à medico auxilijs assuescant: ut ea libenter sumant, si non sponte & ductu suo, maioris tamen mali formidine coacti; sic enim faciendum iubet Galenus, idq; utile ægris esse censet. Magis

14. Meth.

Lib. 2. tract. eodē, cap. 5.

6. Epidemio. cōmen. 13. Sectionis quintæ.

Magis (inquit) laudati interpretes in hanc opinionem deuenerunt, ut decipiendi ægroti causa, ad hoc agendum accessisse Hippocratem dicant: interdum etiam ex his rebus solatium capere ægrotantes, arbitrariq́; diligentiorem de se ipsis curam haberi. Atqui maiora etiam quàm sint uitia laborantibus apparere, utile esse tradunt, ut ne medicis tanquam non celeriter ea curantibus irascantur, utq; certæ & exquisitæ uictus rationi obtẽperent. Itaq; dolo bono interdũ cum ægris agere non solùm medico licet, sed planè necessariũ sæpenumero est: ut non sine magna ratione dictio hæc [ἀπάτη] in fine citatæ à nobis ex Hippocrate sentẽtiæ posita esse uideatur: deceptionẽ enim ea uox significat. Nam etsi expungendam particulam illam ἀπάτη Galenus sub finem commentarij eius aphorismi statuat. Ego certè his interpretibus, quos ille optimos fuisse Hippocratis interpretes affirmat, assentiendum magis duco, qui in id eam dictionem in serie Hippocratis positam esse arbitrantur, quasi illos interdum decipere utile sit, quòd ex deceptione tali cõmodum maius ægri consequantur. Nec uerò mihi placet quæ à Fuchsio uiro omnium doctißimo hac in parte datur eius uocis interpretatio, cùm ea Galeni eodem in commentario assertioni repugnet. Vult enim Fuchsius, in id eam inditam uocem, ut si remedia quæ auri dolenti adhibita sunt nihil commodi ægro attulerint, dolorq́; perstiterit, decipere sensum per medicamenta stupefactoria sensumq́; obtundentia oportere. Quod remedij genus deceptionem ab Hippocrate nominari censuit. Eius uerba describam, ne quid illi falsò appinxisse uideri possimus. *Fuchsius notatur.*

Porrò (ait) quod in fine adijcitur, ἀπάτη id est, deceptio: in eo certè interpretando & explicando nimium sudarunt interpretes. Sed quantum ipse iudicare possum, aliquid hic desideratur quod perfectam orationem facere debeat. Erit tamen proculdubio eius particulæ hic sensus. Si remedia prædicta quæ auri dolenti adhibita sunt, nihil commodi ægro attulerint, dolorq́; perseuerauerit, tunc decipere sensum per medicamenta stupefactoria, sensumq́; obtundentia, qualia sunt opium, mandragora, & hioscyamus conuenit: id quod & in colico dolore facere solemus. Hoc genus certè remedij meritò Hippocrates deceptionem nominauit.

Hactenus Fuchsij uerba, quæ ille in commentario eius Aphorismi appinxit bona fide retulimus. Sed quàm illa uera sint, & Galeni sententiæ congruentia, illius hac in parte iudicium requiro. Siquidem Galenus Aphorismum illum enarrans, hanc ex professo sentẽtiam quæ quorundam Hippocratis interpretum ante Galeni tempora fuit, euertere in totum ijs uerbis contendit.

Neq; enim de propositis uerbis (ait) illud dicendum est, quòd nonnulli probabiliter inuenisse se existimant, doloris mitigationem, dolum uocatum esse putantes, perinde ac non idem sit, & morbosum affectum curare, radicem ueluti eius extirpantes, & dolorem mitigantes obtundere. Porrò nonnunquam idipsum, totum affectum peiorem reddit, quemadmodum in intestini laxioris doloribus, antidota ex opio & alterco, & mãdragora & styrace composita: ista nanq; membra circum refrigerantia,

tia, ut iterum ab ijsdem causis offendantur, paratiora efficiunt. Sed neq; ob mitigandum dolorem (ut dixi) hæc uox, dolus seu deceptio adscribi potuit. aduersatur enim illi, ut aliquid ipsi exire uidebitur, eo qui ita scripsit indicante, decipiendorum ægrotantium causa ad hanc manuariam operam medicos accedere.

Nihil quicquam profectò hac Galeni interpretatione explicatius, nihil apertius, nihil etiam Fuchsij sententiæ aduersum magis dici excogitariq́; potest, qui eorum mentem hoc loco redarguat, qui doloris per stupefacientia uocata sedationem, dolum ac deceptionem esse existimauerant: idq́; etiam uoce illa dolus seu deceptio, intellexisse Hippocratem sunt arbitrati: cùm id sanè (ut rectè Galenus tradit) deceptio non sit: siquidem ubi auris dolor admotis remedijs ex lana & oleo (ut iubet Hippocrates) non sedatur, planè dolus non est, sed recta curationis uia sensum obtundentia admouisse. sic enim Galenus III. de compositione medicamentorum secundum locos faciendum præcepit. *Cap. 2.* Vrgente (inquit) dolore necessarium est ut sensum obtundentibus stupefacientibusq́; utamur, haud aliter quàm in ijs qui coli aut renum, aut in uniuersum cuiuspiam alterius partis uehementi dolore tentantur. non igitur deceptio erit, non proficientibus mitioribus auxilijs, stupefacientibus uti: neq; id profectò unquam Hippocrates intellexit, ut paulò pòst Galenus uerissimè explicat, dum inquit, Sed neq; ob mitigandum dolorem (ut dixi) hæc uox dolus seu deceptio ascribi potuit: aduersatur enim illi, [ut aliquid ipsi exire uidebitur] An non ijs uerbis doctissimè atque uerissimè Galenus, uocem eam ἀπάτη, non ut doloris mitigationem significaret, ascriptam esse censuit? quòd subsequentibus in serie Hippocratis uerbis repugnaret [ut aliquid ipsi exire uidebitur]. Quin ineptum admodum uidetur uocem eam, deceptio, dolori non potius ægrotanti conuenire: non enim dolor decipi usquam potest, sed qui dolore afficitur æger. dolus enim & deceptio nunquam in inanimata, sed in ratione prædita, aut in cætera animantia, quæ & ipsa interdum dolos machinantur, cadere potest. In id certè appositam uocem eam dolus rectissimè existimandum est, (si tamen ea dictio Hippocratis, non autem subdititia sit) ut ex iniectu lanæ ichoribus auris imbutæ in ignem, quidnam ex aure exijsset, deprehendere ex odore possemus. si enim iniectu illo in ignem male oleat quod iniectum est, prauum inde humorem ab aure manasse conijciendum meritò est: sin uerò minus male oleat, minus quoq; malum iudicandum. Quam nos sententiam & ante ex mente nostra Hippocratis fuisse expressimus, & in eo nos minimè delusos aut hallucinatos arbitramur. Sed aliorum ea de re iudicium esto. Non enim ita à me alienus sum, ut mea à me probari magis quàm ab alijs uelim: cùm ea mihi planè haud prius probari soleant, quàm sint grauissimo doctissimorum quorunque iudicio ac censura probata. Verùm iam absoluere quod cœptum est enarrationis propositæ ingrediamur: dicamusq́; sine ulla nominis ac famæ iactura, sine ulla probitatis ac innocentiæ macula licere interdum medico salutis ægri causa multa fingere ac dissimulare, fallere etiam ac ueritatem obtegere, ut quod salutis

ægri

ægri causa facere instituit, cùm ueritate non possit, dolo bono & arte moliatur. nec id quicquam illius prudentiæ, bonitati, sapientiæ, famæ obstare. Siquidem cùm ægros plerunq; grauibus morbis oppressos ac medicorum iussis parum obtemperantes nanciscamur, qui sese uel uitæ intemperantia, uel medicamentorum neglectu in præceps dedunt, dum neque iustam uictus rationem seruare, nec præscripta à medico in morbi leuationem medicamenta sumere in animum induxerunt: fit profectò, ut nisi illis sic suæ saluti reluctantibus à medico arte consulatur, dolisq; instructis periclitanti ægro ablatione causæ, morbiq; ademptione obuiam eatur, inuito etiam ægro, plerunq; de uita ægri atq; salute sit omnino desperandum. Hinc Galenus in commentario eius partis quam nunc enarramus, maiora fingenda esse quàm sint ægrotantibus uitia, utile esse magna sanè ratione astruxit: ut quos uera dicendo seruare non possis, eos minis, terriculamentis, & increpationibus, periculiq; ostensione (nisi medico pareant) serues. Verùm hac in re magna mihi cautione atq; prudentia opus esse uidetur, ne aut nimium blandiendo, mitiorem quàm reuera sit morbum iactantes, eo tandem grauiore reddito, in ignominiæ labem incurramus: aut nimium seuerè agendo, inani metu ægrum perterreamus. Itaq; neq; in curando, neq; in prædicendo, ne nimium sui fidens medicus sit oportet. Siquidem (quod rectè Celsus dixit) etiam spes interdum frustratur, & moritur aliquis de quo medicus securus primò fuit. Quæq; medendi causa reperta sunt, nonnunquam in peius aliquid conuertunt. Neq; illud ignorandum tamen est, in acutis morbis (quod ab Hippocrate proditum est) fallaces magis notas esse & salutis & mortis. Quamobrem idem ipse, nihil perinde medico conducibile meritò est arbitratus, quàm ut prudentem se præstare studeat: talem autem se tum uerè præstabit, cùm in ueri perspicientia mentem omnem suam fixerit atq; locarit, hoc est, cùm de morbi natura, causis, indicijs, iudicationibus ex arte disserere rectè poterit: sed cautione summa adhibita, ne temerè quicquam, ne non rectè prius perpensum & excogitatum proferat. Vnde illud appositissimè dictum ab Hippocrate legimus, secundo de Prædictionibus libro:

*Lib.2.cap.6.*

*2.Aphorism. textu 19.*

*1. Præsagiorum.*

Consulo (inquit) ut quàm prudentissimè medici agant, tum in reliqua arte, tum in huiusmodi prædictionibus: illius probè memores, quòd si cui successerit prædictio, is apud ægrotum intelligentia præditum in admiratione fuerit. Si uerò quis aberrarit, supra id quod odio habetur, fortasse etiam insanire uidebitur. Quapropter iubeo (subdit) ut tum alias omnes, tum has prædictiones prudenter faciant: Quanquam sanè & audiam & uideam, neq; iudicare rectè homines ea quæ dicuntur ac fiunt in arte, neq; narrare.

Hæc docta Hippocratis admonitio, cautiores nos, ne calũniam subeamus, facere debet. Itaq; si prudentẽ & bene tum animo tum disciplinis instructum ægrũ nacti simus, uera illi dicere haudquaquã uerebimur, ut de quo metus non sit, ut uera audiẽdo perterreatur. si modò modicè id à medico, & leniter, non acerbè & insolenter fiat. Neq; quicquid futurũ omni-

no existimarit, ægro prodat. si uerò timidum, (ut plerique omnes, qui Philosophiæ præsidijs instituti non sunt, esse solent) tum profectò dissimulare multa ac tegere, ne animum despondeat oportebit. ita enim efficiendum iubet ijs uerbis Galenus.

*Cōment.2.in 6.de Popul. morb.Hipp.*

Si prudentem hominem ægrum, eundemq; non timidum esse cognoueris, uera ipsi dicere conaberis, nihil eorum quæ in morbo futura sunt subtrahens, neq; dissimulans: at si stultum atq; timidum, omnia ea quibus ipse meliore animo futurus sit, dicito, Neq; tamen magnopere mentiaris. Quòd si interdum ob extremam laborantis formidinem, ipse certam salutem polliceri coactus fueris, egressus saltem eius curam habentibus, uera dicito. Ipsis quoq; laborantibus, non ut apertè mentientes faciunt, salutem polliceri tentato, nisi illud addideris in primis, sanitatem quidem affuturam, omnia ipso rectè agente, & medicorum præceptis obtemperante: ita enim neq; ille animum despondebit, & tu plerunq; uera retuleris. Nam plurimi ex periculosis morbis ægrotos haud medicis morem gerentes necant, quandoquidem perpauci admodum alioqui prorsus mortiferi sunt, si neq; aliud quicquam extrinsecum fortuitò noxium incidat, neq; ægrotus erret, neq; ministri. Quicunq; enim in periculosis morbis plusquàm deceat ægrotantes, hilares & bonæ spei plenos reddunt, in multa ipsos mala conijciunt: in tristitiam sequentibus diebus, cùm aut in peius morbus cecidisse uidetur, aut ultra medicorum promissionem producitur. Quinetiam plures homines confisi perinde ac sine periculo ægrotent, medicis non obtemperent.

*Loci Galeni explicatio.*

Vt se gerere debeat aduersus ægrotos medicus pulchrè hac serie nos docuit Galenus: ostendens mentiendum quidem quandoq; salutis ægri causa medico esse, sed non tamen magnopere mentiendum. Quod ut rectissimè dictum mihi uidetur, sic illud sanè non omnino probatur, Nihil eorum quæ in morbo futura sunt subtrahendum, neq; dissimulandum ægro, si prudentem eum atq; minimè timidum nacti simus. Nam profectò (ut ego quidem sentio) etsi in optimè constitutum animo, & Philosophiæ præceptis ægrotum incidamus, morbumq; in infelicem omnino exitum profecturum cernamus, huic si ista nuntiauerimus, an non magnopere & animo consternabimus, & in totum perdemus? Tegenda ego certè quidem, quæ ægrum conturbatura sunt censeo, sic enim Celsus iudicauit.

*Lib.3.cap.5.*

Cùm uerò semper (ait) ægros securos agere conueniat, ut corpore tantum, non etiam animo laborent: tum præcipuè, ubi cibum sumpserunt. Itaq; si qua sunt quæ exasperatura eorum animos sunt, optimum est, eadem ægrotantium notitiæ subtrahere. Et alio loco, Vbi grauis metus sine certa tamen desperatione est, indicare necessarijs periclitantis in difficili rem esse, ne si uicta ars malo fuerit, uel ignorasse uel fefellisse se uideatur. Sed ut hæc (subdit) prudenti uiro conueniunt, sic rursus histrionis est, paruã rem attollere, quo plus præstitisse uideatur. Obligariq; æquum est confessione promptæ rei: quò curiosius etiam circumspiciat, ne quod per se exiguum est, maius curantis negligentia fiat.

*lib.5.cap.26.*

Constans

Constans igitur assertio sit, licere medico pleraq; salutis ægroti causa fingere, pleraque dissimulare, polliceri etiam multa, quæ animum in bonam spem deducere ipsa possint: nec id mendacij turpitudinis loco, aut uitij uspiam habendum est. Nam & si, quod Plato inquit, mendacium habere in animo summopere omnes oderunt: (2. de Repub.) idem tamen autor, publicis medicis & rerũ publicarũ rectoribus, & ducibus, mentiri licere affirmat. (3. de Repub.) Dijs (inquit) inutile est mendacium: hominibus autem pro medicamento est utile. Quare (subdit) publicis medicis concedendum, priuatis autem hominibus minimè attingendum. Igitur rempublicam administrantibus, præcipuè si quibus alijs, mentiri licet, uel hostium, uel ciuium causa ad communem ciuitatis utilitatem. Reliquis autem à mendacio abstinendum est.

Nec sanè cùm ita uerum dissimulatur, cùm fingitur quicquam, doli mali id est. Nam non ad circumueniendum, fallendum, decipiendumq; adhibetur, (quod doli mali esse iurisperiti uolunt) sed magis ad bene agendum, ad seruãdum ægrotum, ad rempublicam liberandam isthæc fiunt. Dolum enim malum Vlpianus de Seruij sententia. ff. de dolo malo. lib. 4. (*Dolus malus quid.*) machinationem quandam definiuit, alterius decipiendi causa, cùm aliud agitur & aliud simulatur. Labeo autem dolum malum dixit esse, omnem calliditatem, fallaciam, machinationem, ad circũueniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam. Nec fuit contentus prætor dolum dicere, sed adiecit malum: quoniam ueteres esse bonum dolum dicebant, & (*Dolus bonus*) pro solertia hoc nomen accipiebant, maximè si aduersus hostem, latronem'ue quis machinetur. Hactenus de iurisprudentum sententia, quid dolus malus, quid bonus sit explicauimus. Itaq; bonus dolus est, hoc est solertia quædam & prudentia, atq; cautio, cùm medicus reluctantẽ ægrum, & inuitum nihilq; tale cogitantem, uel secat, uel urit, uel medicamento dato purgat. Ars est mitioribus aspera interdum medicamenta admiscere, cùm leuioribus sanari nequicquam morbus potest. Rectum est profectò mendacium, ex quo uel ægro priuatim, uel in uniuersum reipublicæ salus paratur. Nos igitur ista fœliciter obeuntes, unam tantum ægri salutem & bonam de seipso spem attendentes, interdum pleraque ad ægri commodum fingamus, multa taciti prætereamus, in reliquis ueritatem secundum Deum colamus, nosq; ipsos ab omni prauitate, mendacio, labe purissimos innoxiosq; seruemus.

*Vinum nouum quale, & qua sui ætate tale iudicandum sit. Et uinum medium inter uetus & nouum quale Galeno sit uisum.*

## ENARRATIO VII.



VM uindemiæ tempore de uinis condendis atq; seruandis, deq; uini nouelli natura ac uiribus sermo inter amicos aliquot familiares meos, quos ad cœnam inuitaueram obortus esset, & à me illi ualde contendissent, ut quale id nostris medicis, ac Galeno præsertim uideretur: qua item sui ætate nouum dicendum esset, explicare uellem; non potui eis in eo operam meam

meam negare, in quo me aliquid præstare posse sibi illi de me persuasissent. Itaque incunctanter respondi, Nouella quidem uina non sic Galeno probari, ut quæ tum & excrementosa sint, ægreq; concoquantur, & imbecilliora quàm ut uino conueniat: & aquosiora habenda censuerit. Ad quam uerò usq; ætatem noua essent habenda, nihil habere me dixi quod uel ex Galeni, uel Arabum schola exproptum adferre in medium possem. cùm ea de re nihil quicquam esset ab illis proditum. Verùm id tantum mihi uideri longè aliter de uinis nouis, deq; antiquis priscos olim quàm nunc nos iudicauisse. cùm illi plurium annorum uina aliqua, uel pro nouis habenda, uel medijs inter noua & uetera existimarint. Nos, unius tantum anni, imo mensium sex, uina nouella appellamus. nec usquam apud nos uina illa uetera ac generosa (quorum magnus erat apud priscos usus) inueniri. Hæc ut in buccam uenerunt inter pocula & dapes amicis ut satisfacerem, non meditatò sed magis extempore attuli, data fide, me ea tota de re uberiore & accuratiore tractatione, cùm priscorum mentem, tum meam etiam elucidaturum, quod hac enarratione facere institui. Itaq; quale nouellũ uinum de Galeni sententia habendum sit, haud sanè difficile fuerit explorare. Is nanq; tum VII. Meth. medendi, tum lib. de Boni & mali succi cibis, abundè id explicauit: si quidem postremo hoc loco nimis recentia uina nec commodè per aluum transire, nec digeri per corpus, nec urinam mouere, nec sanguinis confectioni, nutritioniq; idonea esse sæpe etiam ut aquam suspensa in uentre manere, ac facillimè coalescere affirmauit VII. uerò Metho. & ægrè ipsa concoqui, & excrementosa esse, fluctuationesq; facere dixit. Auicenna, cui inter Arabes primas meritò omnes tribuunt, ita de re hac ex professo disseruit.

*Fen 3. primi. doct. 2. cap. 8.*

Et tu quidem scias (inquit) quòd uinum uetus est ueluti medicamentum, paucique existit nutrimenti. Nouum uerò uinum, hepar impedit, & ad hepaticam perducit dysenteriam, quòd & accendat humores, & uentrem soluat. Ex uinis autem illud melius est, quod inter uetustatem & nouitatem medium est, atq; pellucidum, & ad rubedinem inclinans, boni odoris iucundiq; saporis, quod neq; acre est neq; dulce. Rectissimè autem Auicenna uinum uetus instar medicamenti esse dixit, quòd corpus immodica sui caliditate alterare magis quàm alere natum sit. Medicamenti autem in eo maximè posita ratio est, autore Galeno ut alterare nostri corporis substantiam posit, uti alimentum augere, acquirere autem uina uetustate calorem, millies à Galeno dictum est: magis itaq; calefaciendo exiccandoq; alterare, quàm corporis substantiam alendo augere certum est: ob id pauci ipsum esse alimenti dixit. Sed cur nouum hepar obstruat, hepaticam dysenteriam pariat, humores accendat, & uentrem lubricet, in promptu causa est, quòd nondum defæcatum, multitudine fæcis quam nondum residem sed toti substãtiæ admixtam continet, ob idq; crassius, & permeatu difficilius redditum, hepar meritò obstruit & impedit. Accendit autẽ humores, quòd nondum integrè deferbuerit, uina enim cum mustea & in infantia sunt, plurimũ feruere solent: natiuo uini calore heterogenias & superfluas partes sequestrante, hepaticam autem dysenteriam parit,

*1. de simp. fac.*

*Loci Auicennæ explicatio.*

parit, ob eam quam uisceri facit debilitatem, crassicie obstructioneq́ue sua, succosq́ue uehementer agitando ac conturbando: uentrem autem mouet, uiscera suæ fæcis potentia ac nitrositate abstergendo, atq́ue stimulando, ad excretionem ea proritat, tum flatuum & pituitæ generatione, lubricãdo item soluit, eoq́ue motu humores conturbans accendere ipsos solet. Dioscorides lib. V. hæc de uino tum nouo tum antiquo scripsit. Vinum annosum neruis & sensibus cæteris officiens quanquam iocundum gustu damnatur ægrotantibus quibus aliquid affectum intus lacessitum'ue sit: innocens sano, si modicum & dilutum sumatur. Nouitium inflat, difficilè coquitur, somnos graues facit, urinas pellit. Media ætas & hoc & illud incommodum uitabit, ideoq́ue ad ualetudinem utranq́ue pertinet. Hactenus Dioscorides, qui uini potestatem atq́ue ex ætate differentias pulchrè hac serie demonstrauit, qui in tres ipsum ætates distunxit: ut sit quoddam annosum & uetus, quoddam nouitium seu nouum, aliud inter hæc ætate medium. In easdem ipsas differentias, & Galenus quoque uina deduxit IIII. de Compositione medicamentorum secundum genera. Nouum uinum (inquit) non ingreditur profundum corporis: antiquum uerò acre & mordax est: præstantius igitur quod ætate medium: est autem omnino medium, quod plurimùm intra quinq́ue & decem annos consistit. Tres igitur in uino ætates considerandas esse ij autores cõstituerunt, ueterem, nouam, mediam, ut rursus item Galenus commentario suo ad tertium de Ratione uictus acut. circa initium: sed eas tamen temporum & annorum spatijs proprijs non distinxerunt: ad quod enim tempus nouum dici debet uinum, nusquam expressit Galenus: tantum medium id uinum inter uetus nouumq́ue esse statuit, quod intra quinq́ue & decem annos consisteret, uti ex paulo antè citato IIII. de Compositione medicamentorum secundum genera loco probauimus: ut illud uoluisse Galenus sit uisus, medium quidem id censendum uinum, quod intra decem annos sit: uetus quod à decimo ad multos insequentes annos sit duraturum. Vina enim nonnulla ducentorum annorum uisa fuisse Plinius asserat. At uerò etsi de nouo nihil quicquam conceptis uerbis dixerit Galenus, ex hoc tamen loco quæ illius ea de re mens fuerit colligi non ineptissimè potest. Nam cùm medium id esse dixerit, quod intra quinq́ue & decem annos sit: apertè item constare puto, id quod intra quinquennale fuerit, nouum ab eo dici: ut ea uina quæ à primo anno in quartum quintum'ue desinunt, noua esse dicenda existimarit: de quo pronuntiare quicquam, multoq́ue minus, affirmare certè non audeo. Permirum enim mihi uidetur, ea uina quæ tot iam annos à sui ortu abscesserunt, noua esse censenda: cùm nouum id propriè dicatur, quod parum à suo initio distat, nec à suo ipsius ortu plurimùm discessit. ut nouellas plantas, noua arbusta, nouos fructus dicimus, qui à suo ipsorum prouentu haud ita multum distant, nec diutino tempore constiterunt, exactam perfectionem assecuti. Sic sanè nos uinum illud meritò nouum seu recens atq́ue nouitium esse statuemus, quod à suo ortu haud multum abest, & musteam illam suam adhuc dulcedinem seruat, nec acrimoniam adhuc nactum est. Quamobrem cùm

*Vinum medium quod.*

*Lib. 14. Nat. hist. cap. 4.*

*Nouum quid dicatur.*

*Vinũ nouum quod censendum.*

cùm & uina illa annorum quinque, nec suæ ipsorum origini proxima sint, & dulcedinem illam musteam iam diu amiserint, acriaque & mordentia appareant, ut noua dicantur mihi planè persuaderi non potest. Qua sanè in re minimè Aloisio Mundellæ uiro alioqui cùm docto in primis, tum uariæ multæque lectionis, magnaque uirtute insigniter ornato, assentiri possum, qui libro Epistolarum medicinalium, epistola XIIII. sex annorum uina pro nouis ex mente Galeni habenda dixerit: cùm tamen constet ex præcitato Galeni loco ea uina quæ supra annos quinque excesserint, media esse inter uetera & noua: quòd si media sunt, uti reuera sunt, noua planè esse non possunt. Et si scio ex uinis alia alijs citius inueterari. Est autem intelligere uina citò inueterari autore Galeno I. de Antidotis, ante tempus antiqui uini conditiones assumere: sunt autem eæ, acrimonia & amaritudo. Nostratia profectò uina, præsertim quæ generosa & nobilia sunt, quale Arelatense & Castri noui uocati, qualia item pleraque ex Allobrogicis & Galliæ Narbonensis oræ, quæ ad occasum spectat intra annum conditiones has assumunt, & uetera nobis dicuntur. Quin sex exactis à uindemia mensibus, nostratia uina generosa, acuta, ac gustui ualde grata fieri solent: & ex ijs quædam intra trimestre dulcedinem musteam omnem, fæcemque deponunt, tenuia ac pellucida fiunt, acrimoniamque quandam sibi asciscunt. Itaque ego nostro & ab omnibus iam obseruato more loquendo, semestre uinum quod clarum, & acutum & generosum esset, non dulce, aut fæce sua infuscatū, dicere antiquum non uererer: non quidem Galeni & priscorum more, sed nostro. Non enim tam insciens sum, quin illud à Galeni sensis alienum non sciam, qui ea tum primum uina uetera dicenda censuerit, quæ decimum excesserint annum. Nos hoc nostro seculo, tam longis annorum spacijs uina nostratia non metimur: ut qui bibacissimi cùm simus, quicquid prouentus è uinifera uite nobis accesserit (etsi copiosus is sæpe feracissimusque habeatur) intra annum tamen aut paulò plus absumamus: ut in nostra hac ora, neque ut arbitror in Italia, aut Hispania, trium, quatuor, decem'ue annorum uina, sed unius tantum, duorum'ue sit reperire. Quamobrem si de uino nouo ægro cuipiam dando, ut minus à uino calefiat (siquidem uina donec recentia sunt, nullatenus calefaciunt, uel Galeni testimonio) mentio incidat, ego sanè more nostro, trium aut quatuor sex'ue ad summum mensium uinum, pro nouo dare haudquaquam uerebor: non Galeni more, quatuor quinque'ue annorum. Quæ ego, tantum abest ut pro nouis habenda censeam, ut uetera maximè statuenda esse iudicem: quòd & annorū multitudine, longè à suo ortu absint: & acrimoniam iam gustu contraxisse appareat, quæ ueteris uini conditiones à Galeno pronuntiatæ sunt. etsi uetustas non æquè uinis omnibus tribuitur. Nam Phalernum, cui prima uinorum Italiæ nobilitas, tardius cæteris uetustatē concipit: prima eius ætas (ut Hermolaus notauit) à decimo, media, à quintodecimo anno incipit, à uigesimo præ uetustate capiti & neruis noxium. Surrentinum uinum eodem Hermolao autore, à uigesimoquinto anno poculentū efficitur, quoniam macilentum & aridum cùm sit, ægrè concoquitur, nec nisi uetustate castigatum

*Aloisius Mūdella.*

*Vina citò inueterari quid*

*Generosa uina.*

*Lib. de Boni & malisucci cibis.*

*I. de Antidotis.*

*Cap. 829. sui corollarij.*

gatum utentibus prodeſt. E Campania propè Cunas Vluanũ commendatur, quinto demum anno poculentum & leue. Sabini uſum à ſeptimo ad quintumdecimum ætatis annum probabant. Nomentanum à quinto poculentum fieri incipit. His temporum ſpacijs poculenta fieri uina, & uel inueteraſcere, uel noua dici uoluit ſuo in corollario Hermolaus. Nos tam exquiſitam ut antea dixi diſtinctionem non adhibemus, quòd in tantam ætatem uina non ſeruemus, & pro regionis quam incolimus natura ac more, ſic uina aut uetera aut noua dicenda cenſemus. Vetera quidem, ubi dulcedinem, feruorem, fæculentiamq́ amiſerint, & pro his acrimoniam, claritatẽ cum grato ſapore acquiſiuerint: Noua uerò, ubi muſtea dulcia, impura, fæculenta, feruentiaq́ extiterint, quæ omnino non ægris modò, ſed & ſanis quoq; ſunt uel Galeni conſilio fugienda. *7.meth.et lib. de Boni & mali ſucci cibis.*

*Explicatio cuiuſdam loci Auicennæ Fen ſexta Quarti, de morſu uiperæ.*

## ENARRATIO VIII.



CV`M de reptilium morſu nonnulla tacitus meditarer, quæ poſtea in lucem dare bene culta poſſem: in idq́ multorum qui ea de re ſcripſerunt ſenſa perueſtigarem, in eum tandem incidi Auicennæ locum, qui uel deprauatus, uel certè difficillimus mihi ſit uiſus. Is locus eſt, Fen ſexta quarti, tractatus tertij, cap. XXXIII. de curatione morſus uiperarum. Quam ille methodum tractans, ſcrupum lectoribus magnum inieciſſe, uel quod magis ſuſpicor, illius interpres cimmerias tenebras nobis offudiſſe uidetur: ſic enim inquit:

Conſidera radices communes in curatione: deinde fortior curatio eſt properare ad theriacam de uiperis. Et cùm tardatur tunc poſsibile eſt ut conferat theriaca multotiens, & poſsibile eſt ut non conferat. Nocumentum autem inſtrumenti ueneni non eſt malum, quoniam natura eſt quæ utitur inſtrumentis. Rei uerò extraneæ non eſt poſsibile ut utatur eis, niſi accidat commotio amborum ſimul.

Hæc Auicennæ ſeries quæ difficultatem in ſe aut obſcuritatem potius quandam continere mihi uidetur: hanc nos pro uiribus elucidare conabimur. Conſiderandas porrò eſſe in curatione morſus uiperarum radices communes, id quidem ut uerìſsimum, ſic ſanè intellectu facillimum, ſunt autem communia in omni ueneno epoto, ſeu plantarum, ſeu mineralium, ſeu tandem animantiũ uirus eiaculantium ſit, ut confeſtim uomitus procuretur, aqua tepida, oleo, butyro'ue multo ingeſto, lactis deinde hauſtu, ueneni acrimoniam retundere. Clyſterijs item & ſoluentibus medicamentis excretoriam facultatem proritare, Antidota mox exhibere, uigiliam motumq́ potius quàm ſomnum & quietem imperare, hiſce enim auxilijs ueneni quicquid conceptum eſt foras exhauritur, priuſquam inualeſcat. Aduerſus autem omnem animalis ictum quod uenenum uibrat, oris ſuctio conuenit, cucurbitularum cum cutis ſcarificatione admotio. Hæc uenenorum in commune remedia à Galeno, Paulo, Dioſcoride atq; medicis *Loci difficilis Auicẽnæ explicatio.* *Venenorũ curandorum ratio.* *Galen. lib. de Theriaca, & de Antidotis. Paulus lib. 5. cap. 1. & 2. Dioſco. lib. 6. pluribus capitibus.*

M cis

cis omnibus deprompta, quæ hic Auicenna radices in curatione ueneni communes uocat, easq́ obseruandas iubet: præsertim quæ de uomitu & soluta aluo dicta sunt. Dein ad antidotum ex uiperis, quam theriacem nuncupamus properandum consulit, quod hæc cæteris ad omnem ueneni uim maximè præstet: si uera sunt quæ de ea Galenus libris ad Pisonem & Pamphilianum scriptis, libro item de antidotis secundo prodidit: meritò igitur à citato uomitu ad theriacem properandum censuit. Cur autem properandum? quod si mora fiat, inualescatq́ uenenum, nihil quicquam sit profuturus illius usus. Ob id rectè dixit, fieri posse ut conferat tardius exhibita: fieri item posse ut non conferat. Si enim & laborantis imbecilla natura, & ueneni uis magna, & auctior hausta quantitas fuerit: parum profectò commodi sit theriaces antidotum allaturum, etiam in tempore datum. At ubi contrà se habuerint omnia, ut ueneni uis imbecilla, hominis uerò facultas ualida fuerit, prodesse tum certè etiam tardius exhibitum poterit. Sed quod sequitur implicatius est, quàm ut enodari commodè posit. Nocumentum (inquit) instrumenti ueneni non est malum, quoniam natura est quæ utitur instrumentis. Quid instrumentum ueneni hac parte Auicennæ interpres uocet, si rectè pars hæc uersa ab eodem sit, difficile est diuinare. Non enim instrumento ullo uenenum ad sui noxam inferendam, sed semetipso utitur: sed quantum quidem mihi penitius hæc contemplanti, coniectura assequi datur, existimo hic instrumenti uoce qualitatem unam quampiam, non abditam quidem illam & occultam, sed elementariam & patentem intelligi: nempè caliditatem, aut frigiditatem, quibus ceu instrumentis uenenum suam in corpore celerius, aut tardius exercet noxam: ac proinde rectißimè dixisse hoc loco Auicenna mihi est uisus, Nocumentum instrumenti ueneni non esse malum: hoc est, eam noxã quæ à caliditate uel frigiditate ueneno coniuncta procedit, si ad eam quæ à tota ipsius substantia prouenit conferatur, malam perinde ut hæc est, non esse habendam. Alterare quidem caliditas aut frigiditas ueneno coniuncta suapte natura potest, & interdum etiam ubi extrema fuerit, necare: uerùm tota ui atq́ substantia corpori aduersa perimere non potest, sed tantum qualitatis excessu, ac proinde malam æquè non esse atq́ illam. Est enim caliditas ueluti uehiculum quoddam quo celerius se uis ueneni in corpus insinuet: frigiditas uerò, & si uehiculum dici iure non potest, certè ut concrescat in corpore sanguis, ut extinguatur citò natiuus calor ac præfocetur ipsa efficit: ac proinde instrumenta quasi quædam ueneni iure hæc dici possunt: hoc est, adminicula quædam, quibus ueneni uis sese exerat ipsa. Ostendere autem uolens instrumenta hæc mala non esse, à naturæ ductu ostensionẽ suam assumit, Natura (inquit) instrumentis utitur: hoc est, quemadmodum naturam functiones suas obire instrumentorum adminiculo uidemus, sic & uenena: ut enim partes quibus munia corporis exercentur, instrumenta uocamus: (est enim definiente. 1. Meth. Galeno, instrumentum animalis pars quæ perfectam edere actionem ipsa posit) sic qualitates eas, quibus uenenum uim suam exerit, instrumenta similitudine quadam dicere poterimus. Reliquum

*Veneni instrumẽta quæ dici queant.*

porro

porrò sermonis excutiamus. Rei uerò extraneæ (subdit) non est possibile ut utatur eis, nisi accidat commotio amborũ simul. Aenigma planè potius quàm medica oratio hæc esse uidetur. Cur enim res extraneæ, hoc est, quæ à natura diuersæ sunt, ut ars, & quæ à uoluntate prodeunt instrumentis perinde ac natura non utantur? ars quidem perpetuò: & quæ item delectu fiunt, omnia medijs quibusdam ad finem ducentibus (quæ instrumentorum uice sint) exercentur. Sed huius partis abditior est sensus, & ad rem medicam pertinens magis: nempè rem quamlibet à natura alienam, siue ea res medicamentum, siue uenenum, seu etiam alimentum sit, suis instrumentis uti non posse, nisi commotione amborum simul, hoc est, naturæ, & rei à natura alienæ. Nunquam enim uel medicamentum corpus alterabit, qualitatibus alteratricibus suis, uel uenenum corporis substantiam euertet, uel alimentum augebit, priusquam isthæc ui naturæ fuerint exagitata, commota, & in actum deducta: nisi enim piper à natura in actum ducatur, ab ea calfactionis suæ principium ducens, nunquam herclè calefaciet corpus: nisi item cicuta in partes minimas ui naturæ deducta in corpus feratur, uim nunquam suam lethalem exeret: nec panis, aliud'ue alimenti genus corpus fouebit: ambo itaque hæc, naturam inquam, & rem alienam, hoc est medicamentum, uenenum, aut alimentum concurrere oportet, ut actio ab ijs manans proferatur. ut fusissimè Galenus III. de Simplicium facultatibus capitibus XVII. & XIX. expressit. Atq; hunc ego partis huius germanum esse sensum existimo, nisi quis acutius perspiciens subtiliorem inueniat. Difficultatis porrò huius culpam non tam in autorem, quàm in autoris interpretem retorquere oportet: qui quæ ille purè ac luculenter sua lingua loquens scripsit, hic (ut quidem rectè conijciendum est) uel punicæ linguæ imperitia, è qua hæc transtulit, uel ignoratione designatarum rerum, tortuosè, perplexè, obscureq; hæc sit interpretatus. Quo sanè uitio laborare plerisq; in locis cernitur. ut de eo quem interpretatur autore, malam plerisq; dedisse opinionem, calumniandiq; ansam sit uisus. Sed hic imperitorum interpretum mos est. Nos uerò autoris sensa ac dignitatem magis, quàm interpretum inscitiam spectemus.

*An in nephretico dolore & lapidis aut uesicæ aut renum curatione, cum soluentibus medicamentis, quod nonnulli facere solent, sint admiscenda uretica, & lapidem frangentia.*

ENARRATIO IX.



QVOSDAM non dilutæ autoritatis ac famæ medicos animaduerti, in curatione atq; etiam præcautione nephritici morbi, medicamenta soluentia languentibus dare, quibus cùm deductionis ad affectum locum gratia, ut ipsi quidem sentiunt, uretica multa, & lapidem etiam frangentia sint admixta, ut eadem opera, & aluo deduci noxij humores, & lotium proritari, & comminui calculus possit. Quamobrem longas & ex multis com-

positas medicamentorum descriptiones contexunt, nihil non simplicium ingerentes. Medicamentum enim quoddam in id principi cuidam uiro conscriptum à medico uidi, in quo unà cum agarico, scammonio, rhacomate, & cuico, semina uretica ferè omnia, & lapidem frangentia confusa erant, atque immista. Inerāt enim ex seminibus dauci, apij, smyrnij, anesi, lithospermi, saxifragiæ, & quæ frigida maiora uocātur semina: ex lapidem comminuentibus non pauca, nempe lapis spongiæ, & qui puluis ducis, & liton tripon à medicinam factitantibus in id parantur: isthæc omnia ex zaccaro liquato excepta in electuarij formam composita erant, ex quo laborantem per menses singulos, ad præcautionem ad semunciam sumere iubebat. Quæ sanè medendi ratio cùm & priscorum placitis ualde mihi aduersa esset uisa, ac ideò mihi minus probata, & ægrotis noxiam essem arbitratus, facere non potui quin ea de re consultus non recta responderem: eaque de scripto traderem, quæ & ueterum sententijs maximè congruentia, & morbo aut curando, aut præcauēdo ualde idonea uisa essent. Dico igitur in curando aut præcauendo nephritico morbo: eo præsertim qui à calculo proueniat, medicamenta huiusmodi nec idonea esse, sed magis profectò noxia: nec ueteribus unquam medicis, seu Græcis, seu Arabibus, seu etiam Latinis usurpata: illudque adijcio, præter rationem, contra etiam omnem methodum talia parari medicamēta. Quod nos tum firmis rationibus, tum ueterū sententijs sumus ostensuri. Curando itaque nephritico morbo eiusmodi medicamenta quæ suprà diximus, ex soluentibus simul & urinam cientibus mixta minimè idonea esse, ex illo Hippocratis præcepto euidentissimum esse puto, quo is à tentata fluxione parte quam longissimè auertere, non ad ipsam trahere oportere præcepit. Quamobrem cùm renes eo in affectu multa & onerosa impacta materia graues (siquidem illud item ab eodem autore rectissimè dictū est in renem dolor grauis) fluxionem sustineant, ab eis quàm longissimè auertere, non ad eos trahere humorum molem oportebit, si Hippocratis iussis sumus obtemperaturi. At uerò quæ ex talibus constant ureticis & urinam cientibus, uehementer attenuando, meatus reserando, fundendo etiam & serosum sanguinem segregando, tum etiam humorum crassiciem incidendo, ad partem affectam humorū copiam trahunt: (hisce autem dotibus prædita esse oportere uretica medicamenta exactè Galenus quinti Simplicium, cap. XIII. monstrauit) non igitur erit eorum usus aut in curando aut prohibendo morbo idoneus. Idoneum enim id dicitur, quod in curando morbo uice auxilij est. Intercedens enim materia quæuis summouendo morbo commoda auxilium Galeno II. Meth. dicitur. Nam quæ proficit materia, quo tempore iuuat, ea profectò auxilij nomen meruit. Quo fit, ut cùm huiusmodi medicamenta in nephritico morbo seu arcendo seu curādo adhibita, humorum copiam ad affectam partem regerant, non ab ea repellant, & in contrarium ducant: fit inquam, ut obsint lædantque uehementer, non autem prosint: quare nec auxilia dici merebuntur, nec à medicis præscribi iure poterunt. Siquidem & illud Hippocratis est medicos admonētis, ne à suo ipsorum officio desint, Te (inquit) ad hoc exerceto,

*6. Epidemio. textu 2. & 3.* — *Idoneū quid.* — *Auxiliū quid* — *1. Epidemiorum.*

exerceto, morbis ut proſis, aut ne quid noceas. Quem locum enarrans Galenus, debere id ſpectare in primis medicum dixit, ut ægris commodet: ſin minus, ut certè ne incommodet. Quamobrem omni ſibi cautione atque ſtudio anteuertendum duxit, ut ſi quando magnum aliquod & inſigne ægro auxilium afferret, ante apud ſe perſpiceret, non ſolùm quantum profuturus eo auxilio eſſet, ſed etiam ne quid læderet. Nec quicquã unquam ita apud ſe inſtituiſſe, quin prius periculum feciſſet, ne quid ſi uotum non obtineret ægrum offenderet. Hæc profectò Galeni eo loco uerba ſunt. Conſtare igitur hac ratione puto talia medicamenta in auxiliorum albo reponenda non eſſe, atque ob id noxia cenſenda. Quod enim exhibitum homini malum affert, ex cauſis fit morbificis, ut cùm prodeſt ex ſanis: ita ſtatuente X I. Meth. medendi Galeno. Adde quòd Galenus libr. Quos purgare oportet, id maximè in medicamentorum ſoluentium miſtione cauendum duxit, ut commiſta ſibi inuicem medicamenta conſentiant, neque ulla in re diſcrepent. Diſcrepare autem dixit, non cùm hoc bilim, illud pituitam trahit: (utraque enim pari modo euacuationem procurant) uerùm ſi hoc celeriter, illud tardius ab aſſumptione purgare incipit. Ita nanque (ſubdit) inæqualiter euacuatio celebratur, quamuis ſimul accepta ſint. Cùm itaque Galenus in eodem medicamenti genere diſcrepantiam adæ modum uereatur, ne unum celerius, tardius aliud opus ſuum moliatur: (cùm ſint tamen ſoluentia omnia) quid de eo ſit compoſito medicamento exiſtimaturus, in quo ſimul & totum corpus per aluum purgantia, & urinam cientia inſint? Quæ quæſo maior uſpiam diſcrepantia, quàm ſoluentis ſimul & urinam prouocantis medicamenti? alterum enim corporis ſuccos totius ſubſtantiæ ſimilitudine trahit, & in uenas rapit, indéque excretoriæ facultatis ui atque potentia per uentrem educit: alterum non ſimilitudine ſubſtantiæ, ſed caliditate immodica, & acrimonia quadam, non in uentrem, ſed in renes atque ueſicam pertrahit, attenuatis humoribus, fuſo ſecretóque ſeroſo ſanguine. Varijs itaque tum corpus ijsque maximè contrarijs motionibus agitatur, ſoluente medicamento ad profunda corporis: urinam ciente, ad extima humores euocante: Vnde his ambobus humores uehementer affatimque commouẽtibus, neceſſum eſt & magnam in corpore toto perturbationem, & in humoribus attractum, & ad partem affectã illapſum defluxionemque fieri. Quod pulchrè animaduertens Auicenna, ſoluens medicamentum in huiuſmodi affectu cauendum ſummopere duxit. Et non eſt (inquit) ſemita ad adminiſtrandum catharticum: ipſum enim lædit & nocet, per illud quod deſcendere facit. Neque in ſoluendo idem autor ad fortiora quàm ſint ea quæ leniendo & lubricando non delectu attrahendo euacuant, progredi audet: ſiliquam tantum Aegyptiam (quam hodie caſsiam fiſtularem dicimus) ex oleo amygdalarum dulciũ exhibens. Sed nec ipſe ſolùm, uerùm nec Arabum quiſquam, non certè Raſius, non Serapio, non Halyabbas, tale quid præſcribere audent. Sed quid Arabas recenſeo? An Græcos medicos, à quibus rectè medendi uia ad omnes demanauit, tale quid unquam attentaſſe legimus? Galenum, Paulum, Aëtium, nunquam ſoluentibus uretica miſcuiſſe, in nephritico

Ex 5. de Simpli. fa. cap. 17.

Ex 5. de Simpli. fa. cap. 22.

Fen 18. tertij trac. 2. ca. 19.

phritico arcendo dolore scimus: cuius sanè tractandi mali methodum docens Galenus libro de Medicamentis secundum locos X.cap.I. Quæ calculosis auxiliantur, unica tantum facultate indigere, quæ secare & extergere cum manifesta caliditate queant, meritò asseuerauit. Nec in his quæ tam multa ille & luculẽta ex Andromacho, Asclepiade, Archigene, in id morbi descripsit medicamenta, discrepantiam hanc cõpositionemq́; ex soluentibus cum ureticis uspiam est inuenire: sicuti neq; apud reliquos quos modo citauimus autores. Quorsum hæc? Illud inquam ut intelligamus, medicamenta istiusmodi non solùm salutaria & idonea morbo nephritico esse, sed ne ueteribus quidẽ, non Punicis autoribus, non Græcis, non deniq; Latinis usurpata: quod secundo loco dicturos nos sub enarrationis initium receperamus.

Superest ut contra rectam methodum talia esse constructa medicamenta (quod postremò dicturos nos polliciti sumus) ostendamus. Quod ut commodè fieri queat, quænam sit eius morbi recta curandi aut præcauendi ratio docendum prius nobis erit. Prius autem præcauendi morbi rationes, quàm eius curandi trademus. Præcautionem hanc pulchrè Paulus & Aëtius præ cæteris persecuti esse mihi uidentur. Arcent (inquit Paulus) creationem calculi primum quidem cibaria non improbi succi & moderata, mox etiam exercitationes, & insolentior leguminum omne genus, frumentaceorumq́; usus. Casei item & lactis, quæq́; inde parantur obsoniorum: Vini adhæc atri & carniũ abundantiæ: & ut semel omnia complectar, omnium quæ crassum generant succum, quæq́; admodum calidæ sunt potestatis & acria, hydrogarorum inquam atq; conditorum & id genus aliorum abstinentia. Haud enim hæc modò nondum natos calculos concrescere prohibent, sed iam ortos etiam comminuere aut excernere possunt. Bibant uerò oxymeli adiecto aliquo ex simplicioribus, quæ lotij proritandi uim obtinent, puta adianti, apij, graminis decocto. Quòd si prauorum humorum copia premantur, sanguinis detractione, seu alui deiectione euacuentur. Hæc Pauli de cauendo nephritico morbo ratio, quam paulò fusius Aëtius persecutus fuisse uidetur. Maximi (inquit) ad lapidis generationem præcauendam momenti, moderatus cibus & bonæ concoctiones existunt, satietates enim & cruditates, non solùm exasperant morbum, sed etiam quum non sit, generant. Quare ægros admonere oportet, ut à cœna sæpe uomant, & absinthium assiduè bibant, & per tempus certum conuenienti temperaturæ ipsorum, purgatiuo pharmaco se per uentrem purgent. Cibos autem deligant, è quibus neq; satietates, neq; cruditates contingant: urinam etiam cientibus utantur. Oportet autem (paucis interpositis subdit) ipsam etiam aquam per omnem uictum purissimam esse & percolatam, uinum item tenue, album, urinam ciens. Exercitamentis uerò utendum est mediocribus. Hactenus Aëtius. Non dubium igitur quin in præcauendo morbo renali eo qui à calculo proueniat, & cautissima sit uictus ratione ne calculi generẽtur utendum: & purgationi, ne succorum uitiosorum redundet in corpore nimietas, assuescendum: post quam, probè à malis humoribus purgato corpore, urinam

*Paul. libro 3. cap. 45. Aëti. lib. 11. cap. 6.*

urinam cientia sint propinanda, ut præfati autores dixere. Sed in hac ipsa urinam cientium medicamentorum exhibitione, magna esse cautione, & singulari quadam prudentia utendum duco: ne aut nimis crebrò hæc, sed percongrua temporum interualla, nec uehementia aut fortia sumantur: ac proinde Paulus loco suprà citato, de eo nos admonens, pulchrè illud dixisse uidetur, ut ex urinam cientibus simpliciora eligantur: hoc est ea, quæ uehementer proritare lotium non queunt, sed modicè id faciunt. quo in censu adianti, apij, & graminis decoctum uoluit esse. Quod item animaduertens Alexander Trallianus, ubi multa lapides renum atterentia urinamq; proritantia auxilia descripsisset, ab ijs tamen cauendum sanitatis tempore sapientissimè monuit. Non oportet (ait) his auxilijs infirmus utatur cùm sine dolore est, ne distemperata inueniantur renum loca. Recta profectò & salutaris Alexandri monitio, qui cùm probè perspiceret uretica hæc & urinam cientia, corporis succos sua potentia, quam uehementem sanè atq; acrem habent, fundere, liquare, attenuare, meatusq; infarctos aperire: ueritus nimirum est, ne ab horum crebro usu per bonæ ualetudinis tempus in renes fluxio incumberet: liquatis nimirum, fusis, attractisq; in urinarios meatus corporis succis. Ego profectò calculosos non sanè paucos uidisse me profiteri possum, ab ureticorum usu per secundam ualetudinem, ne à calculo tentarentur præcauentes, in renum inflammationem, ulceraq; incidisse, tandemq; miserè perijsse. Sed hæc de præcautione abundè dicta sint. Illud de curatione, scopos eos medico esse præcipuè obseruandos, qui ab Auicenna in eius morbi curatione exactè enumerantur atq; dispositi sunt. Eius autem uerba quæ ille Fen XVIII. tertij tractatus secundi capite decimooctauo scripsit appingam.

Intentiones quidem quas medici in curatione lapidis intendunt, sunt abscisio materiei eius, & prohibitio generationis ipsius, cum abscisione causæ, & rectificatio eius, Deinde mundificatio & comminutio ipsius, & fractio eius, & compresio ipsius, & eradicatio eius ex suo suspensorio cum medicinis quæ illud efficiunt: deinde eius extractio, & subtiliatio in ipso, & ordine eius: & illud completur cum medicinis prouocatiuis, aut cum foris admotis. Deinde est regimen sedans illud quod sequitur de doloribus, & cætera quæ sequuntur.

Ex hac uerborum serie colligere est, hos esse in curatione scopos habendos, ut primum mollientibus aluum medicamentis, & leniter soluentibus corporis excrementa ducantur. *Explicatio loci Auicennæ.* Nam à uehementibus deiectorijs abstinendum idem autor eodem loco hortatur; quòd commodè fiet tum lenibus clysterijs, tum lenientibus pharmacis, quales siliqua Aegyptia, mel Aëreum, Resina terebinthina, prunorũ, mixorũ & passularum cum Glycyrrhizæ radice decoctum, & huiusmodi talium habentur. liberato ab excrementis corpore, uel alui ductione, uel (quod præstantissimum est) uomitu, doloris sedationi per fotus, linitiones, cataplasmata, insessus, & anodyna etiam interdum assumpta, si dolor urgeat intendendũ. Tum uerò lapidis attritioni, & arenularum excretioni atq; urinæ proritationi, per ea quæ commodè præstare id possunt intendendum: tutò enim tum

dari hæc possunt, sed seorsim: hoc est, soluentibus non admixta: nunquam enim lapides atterentia & uehementer urinam cientia, soluentibus medicamentis admixta fuisse ab ullo autore legimus, ut eorum præscripta legentibus euidentissimum fieri potest. Nec tamen cùm id dico, ita accipi uelim, quasi in medicamentorum compositionibus quæ ad soluendam humorum prauitatem, eo in morbo exhibētur admisceri ea non debeant, quæ modicè medicamenti uim ad affectam partem deducant, qualia sunt Glycyrrhizæ aut adianti decoctum, & huius generis multa. Nam Auicenna cassiam fistularem ex oleo amygdalino & succo uiscoso, qui fit à succis diureticis propinandam censet: per succum uiscosum (ut arbitror) infusa uel decocta diureticorum intelligens, quod medicinam factitantes imitari solent, ex decocto adianti, graminis, glycyrrhizæ & similium soluentia medicamenta excipientes, ac propinantes: sed si quis ea cum fortiter urinam cientibus admisceat, magnum profectò ægris incommodum sit allaturus. Quamobrem cùm ex ureticorum fortium cum soluentibus medicamentis admixtione, si ex eorum albo soluentia fuerint, quæ attrahendo & delectu euacuāt, magna humorum agitatio magnus ad partem affectam delapsus fiat, indeq; maior affectæ parti imbecillitas sequatur, constat profectò amethodicam & præter rationem factam esse talium medicamentorum constructionem, eorumq; usum multò periculosissimum esse. Nec est quod quisquam sententiam hanc meam Aëtij præscripto quodam euertere se posse confidat, qui in antidoto Iuliani Diaconi, ad calculosos agaricum, castorio, acoro, ammio, cassiæ ligneæ scilicet, amomo, sarxiphago, capparis cortici, radici panacis, calaminthæ, serpillo, petroselino coaguloq; leporis ex melle miscuerit. Nam nec agaricus ex uehementer soluentibus est, nec in tantula dosi quanta in uniuerso antidoto constat, (uncia enim tantum illius in antidoto apponitur) magnam uacuationem moliri potest, & magis profectò ut apperiens & deobstruens, quàm ut soluens & agitans in antidoto admiscetur, ut ex ipsius serie intueri licet. Nos itaq; ei quam suprà attulimus methodo insistentes, calculosos rectis præsidijs, non nocituris feliciter curamus, nec deiectorijs uehementioribus urinamq; cientibus proritemus.

*lib. 11. cap. 12.*

*De melancholico temperamento & habitu, ex Galeni sententia: cur & Melancholici ab Aristotele ingeniosi sint dicti: & ingeniosum esse proprie quid sit. Et an in reliquis hominum temperamentis uti in Melancholico ingeniosos sit inuenire.*

## ENARRATIO X.



DE Melancholico corporis temperamento atq; habitu, cùm in meis ad Galenum commentarijs, quos in libros de Morbis & symptomatis dudum antea edideram, tractaturum me in ijs quos parabam Enarrationū medicinalium libris essem bona fide pollicitus, fidei meæ deesse omnino nolui: ut si qua in re lectorem iuuare rei abstrusioris, nec satis adhuc exploratæ,

narrat

narratione possem, id illi per me fraudi ne esset. Itaq; cùm à melancholico temperamento tam magna eaq; admirabilia promanare ex Platone, Aristotele, Galenoq; omnis Philosophiæ principibus didicissem: nec satis quale illud temperamentum Galeno uideretur, qualiq; corporis habitu eo temperamento prædìti essent, exploratum haberem: uolui sanè de Galeni sententia, isthæc expromere, & ad communem hominum utilitatem (si quibus fortè mea hæc magnis laboribus meditata usui esse possint) in lucem dare. Exordiemur autem ab eo principio quod omnibus ex æquo tum philosophis, tum medicis receptum est: nempe, Animalium corpora ex calidi, frigidi, sicci, humidiq; mixtura constare: quod ipsum Hippocrates, & Galenus libro de Elementis, atq; temperamentis prodidere. Ex hac autem qualitatum elementarium mixtura, nouem confici temperaturarū genera. & idipsum quoq; à Galeno proditum est, atq; inter hæc unam exactè mediam quam temperatam uocant: reliquas à uincente appellationem sortitas, ut sit quædam calida tantum, frigida alia, humida, aut sicca: & per coniugationem calida & humida quædam sit, calida & sicca alia, frigida item & humida, frigida & sicca. Hæc in uniuersum temperamentorum genera atque differentiæ, quibus inter se distare corpora proditum est. Quæ calido & humido temperamento constant animalia, ea quidem & sanguine copiosiore, & quadrato magis corpore ac musculoso, probeq; compacto: molli tamen, & fœlicibus naturæ functionibus conspicua dotataq; cernuntur. quòd nimirum calido & humido præcipuis uitæ nostræ adminiculis abundent: si quidem calidum & humidum uitæ nostræ principia esse Aristoteli atque Galeno dicuntur. Quæ uerò calido & sicco temperamento prædita sunt, ea quidem sicciora euadunt, graciliora q; : multo quidem sed feruenti, acri, tenuiq; sanguine cui multa bilis sit admixta abundant: unde est illud Celsi, In crassioribus caro, in tenuioribus sanguis magis abundat: hirsuta demum, calida, & dura, pinguedineq; priuata corpora habent, & in iram prona feruntur, laboribus & citatis motionibus ualdè idonea. At uerò frigida & humida temperies, glabrum efficit corpus, album, molle, crassum, deses, nec ita obeundis actionibus aptum. Sequitur extrema omnium, eaq; principijs uitæ aduersa, frigida & sicca temperies, qua qui prædìti sunt, natura durum ac tenue, glabrumq; corpus habent, tangentibus quidem frigidum, sed modica per carnes pinguedine interlitum. Vbi uerò calida & sicca temperatura, labente & inclinata ætate in frigidum & siccum labitur habitum: tunc hi graciles fiunt, & duri, atque atra bilis in eis dominatur. & ob id nigri simul & hirsuti euadunt: atq; hi magna ex parte uenis tumidi apparent, uel Aristotelis testimonio X X X. Problematū, problemate 1. Verùm num hi sint quos uerè melancholicos dicimus, quosq; ingeniosos esse tum Plato, tum Aristoteles affirmarunt: id sanè est quod à nobis hic de Galeni mente explicandum assumitur. Sed unde tantæ explicandæ rei initia ducemus? aut quæ fulcimenta tantæ extruendæ moli subijciemus? Ab omnium certè bonorū in medicina autore & duce Galeno: qui non solùm ad fundamenta iacienda, sed & ad omnem substructionem erigendam

*Aristo. lib. de Longi. et breuit. uitæ. ca. 2. Gal. 1. Apho. cōmen. 15. & pluries alibi.*

*Plato tum in Theæteto de scientia: tum in Phædro de pulchro. Aristotel. 30. Problematū. proble. 1.*

dam copiosam nobis materiem præbebit. Duo itaque mihi penitius hæc contemplanti, Galenus melancholicorum genera cùm secundo de Temperamentis libro, tum in Arte medicinali, constituere uidetur: si quis ea quæ illis locis dicuntur rectè perpendat, nec obliquè interpretetur. Eos enim reprehendens Galenus, qui non rectè ab una quapiam particula de totius corporis temperie iudicabant, uarijs docet exemplis, neque ab una quapiam parte, neque ab excrementis in toto redundantibus, de uniuersi corporis temperatura iudicium ferri debere: cùm aliud sæpenumero excrementa in toto redundantia iudicent, aliud ipsa membrorum substantia. Siquidem senes natura sicci cùm sint, excrementis humidi habentur: perinde ac melancholici, qui natura sicci cùm sint, ab excrementis tamen pituitosi dicuntur. Neq; si cuiuspiam animantis cutis sicca sit, confestim uniuersum animantis corpus tale censeri debere, ut in ostreis, & testaceis, & malacostratis uocatis, hoc est quæ molli testa teguntur idem docet. Ostrearum enim cutis siccissima, totum corpus humidissimum est: ueluti etiam marinæ locustę, gammari, & cancri, cutem quidem siccissimam, reliquum omne corpus humidissimum habent, & succi mollisq; carnis plenum. Ex ipso itaque totius habitu iudicare, non ex partibus oportet, aut excrementis. Vnum porrò melancholicorum genus Galenus facit, quod quidem ab initio frigidum siccumq; esse uult, non utiq; ex permutatione. Aliud quod ex habitus mutatione tale sit effectum. Quod in priore ordine fuerit, ab excrementis pituitosum nec uerè melancholicum esse censendum contendit Galenus. Quod in secundo uerò ordine positum sit, hoc est ex permutatione melancholicum effectum, id uerè melancholicũ esse statuit. Eius ipsissima uerba, quæ de hac re sub finem secundi de Temperamentis scripsit appingam.

*2. de Tēper.* — *5. & 6. de Sanit. tuen.* — *Duo apud Galenũ melancholicorũ temperamentorũ genera.*

Non est (inquit) quod opinentur, tanquam corpus siccum est, itidem excrementum quoque siccum esse. Etenim si quis ab initio sicciore frigidioreq; temperamento statim fuit, is non melancholicus est, sed utique ab excrementis pituitosus. Quòd si ex habitus mutatione frigidus siccusq; est redditus, necessariò hic talis iam etiam melancholicus est. Verbi gratia: Si quis ante calidus & siccus ex sanguine urendo plurimam generauit atram bilem. Est enim is præter quàm quod siccus est & frigidus, protinus etiam melancholicus. Sin à principio frigidus & siccus fuit: habitus quidem corporis eius albus, mollis, depilis, uenis articulisq; parum expressis, gracilis & tangēti frigidus, animus uerò minimè audax & timens, & tristis, non tamen excrementa huic melancholica sunt.

*Loci Galeni explicatio.*

Ex hac docta Galeni serie uidere est, & duo ipsum fecisse melancholicorum genera, & quali habitu sint, quos ille uerè melancholicos existimarit, conceptis ipse uerbis expressit. Non enim eos qui ab initio sicciore frigidioreq; sint natura, confestim melancholicos esse dicendos censuit: sed eos magis, qui ex habitus mutatione, nempè calidi & sicci in frigidum & siccum sint deducti, & ex sanguine urendo plurimam genuerint atram bilim: hos inquam uerè melancholicos Galenus existimat: cùm eodem ipso autore melancholica temperamenta ex sanguinis adustione fiant.

*2. de Tēper. ad finem.*

Fiunt

Fiunt (inquit) melancholica temperamenta, ex sanguinis adustione. Eos autem qui statim ab initio siccius frigidiusq; temperamentum nacti sunt, habitu uerò corporis albi, molles, depiles, uenis articulisq; parum expressis, gracilesq; & frigidi apparent, cæterùm animo minimè audaces, sed timentes & tristes cernuntur: hos inquam melancholica excrementa non habere, nec uerè melancholicos esse habendos iure censet. & si quadantenus melancholici sunt quà frigido siccoq; temperamento constant: & timidi, tristes, pusillanimi cernuntur: Illos uerè melancholicos censendos affirmat, qui ex calidi & sicci temperamenti in frigidum & siccum permutatione ætatis decursu tales effecti sint, multamq; atram bilim collegerint: quos quidem ipsos non habitu corporis albos, molles, glabros, uenis articulisq; parũ expressis, neq; item animo timidos, tristesq; (quales prioris generis melancholici erant) est prorsus uidere: sed quod ad corporis quidem habitum attinet graciles, duros, nigros, & hirsutos, audaces item & magnanimos, quanquam subtristes semper ob atræ bilis uigentis exuperantiam uideantur. Mentiar ni Galenum afferam testem: is in arte medicinali cap. L I X. hæc duo melancholicorum genera suis coloribus pinxisse uidetur, signa frigidæ & siccæ temperaturæ tradens.

Si (inquit) frigiditas unà cum siccitate æqualiter augeatur, natura durum ac tenue, & glabrum corpus habent, & tangentibus frigidum, pinguedo tamen ipsis, etsi graciles sint, per carnes dispersa. Capilli autem, & color, frigiditatis modum ac proportionem sequuntur. Vbi uerò calida & sicca temperatura in tempore decrementi in frigidum & siccum labitur habitum, tunc hi graciles fiunt & duri, atq; atra bilis in eis dominatur, & ob id nigri simul & hirsuti euadunt.

An non hac serie conceptis etiam uerbis duo melancholicorum genera expressisse Galenus, & quali quodq; eorum habitu sit designasse uidetur? Constans igitur maneat illud, eos qui ab initio frigidi & sicci euaserunt, habitu uerò corporis molles, albi, glabriq; sint, ab excrementis quidem pituitosos, sed non prorsus ac uerè melancholicos esse. sic enim affirmat Galenus: Si quis (inquit) ab initio ficciore frigidioreq; tempe- *2. de Tēper. ad finem.* ramento statim fuit, is non melancholicus est, sed utiq; ab excrementis pituitosus. Illos uerò qui ex habitus mutatione tales, hoc est frigidi sicciq; sunt redditi, hos inquam iam melancholicos esse. Quòd antea, calidus & siccus cùm esset, exustioni parato sanguine plurimam generauit atram bilem. Est enim is (inquit Galenus) præterquàm quod siccus est *Vbi suprà.* & frigidus, protinus etiam melancholicus. Huius generis homines uel in studijs philosophiæ, uel in Republica administranda, uel in carmine pangendo, uel in artibus exercendis plurimùm ingenio ualere, & ingenij claritate pollere, Aristoteles in problematis affirmauit. Quod sanè de po- *30. Problematum, probl. 1.* stremo hoc melancholicorum temperamento illum astruxisse dubium non est. Nam qui in primo ordine à nobis ex Galeni sentẽtia positi sunt, ij sanè tantum abest ut ingenio ualeant, & in præclaris actionibus obeundis sese præclarè gerant, ut ad eas ueluti torpentes ineptissimi habeantur, quod paulò pòst sumus ostẽsuri. Sed cur literatos, & qui ingenio claruerunt

runt melancholicos omnes fuiſſe, Ariſtoteles aſtruat, quales Herculem, Aiacem, Bellerophontem, Lyſandrum, Empedoclem, Socratem, atque Platonem extitiſſe idem affirmat: non ſic profectò expoſita ratio eſt, cùm contrarium potius ex huiuſmodi temperamento, in quo plurima redundet atra bilis accidere iure debeat: aciem nimirum ingenij craſsicie ſua infuſcante hebetanteq́ atra bili: uel ſi paulò acrior ac feruentior fiat, ingenium peruertente: ſiquidem ea concitatius acta, furorem mentisq́ alienationem facere (ſi ſurſum in caput feratur) ſolet: interdum etiam comitialem. Si enim in corpus, Epileptici: ſi uerò in mentem irrepſerit, Melancholici fiunt, uti Hippocrates ſexto Epidemiorum ad finem, & Galenus III. de Locis aff. cap. VI. affirmarunt. Quomodo igitur melancholicos ingenio ualere dicemus, ſi ea mentis amotionem furoremq́ facit? Id autem ut pleniore tractatione diſcutiamus: in primis quid melancholia ſit, & quid ab atra bile differat perpendendum: tum quid utraq; in nobis efficiat, quid præſtet, & id quoq; proferendũ. Demum quid ingenio pollere, & ingenium ipſum quid ſit, non minus certè explicandum erit. Quibus pro uirium noſtrarum tenuitate prælibatis, docere Deo iuuante atq; monſtrante pergemus, quibus ex cauſis literarum ſtudijs addicti melancholici ſint, uel fiant: curq́ melancholici ingenioſi, & qui horum tales ſint, qui minus: & quo pacto atra uocata bilis ingenioſos efficiat.

*Melancholia quid: 2. de Facult. nat. & lib. de atra bile. Ex 4. de Vſu partiũ. cap. 3. & 2. de Facult. natur.*

Melancholia igitur eſt ſanguinis ueluti fæx, parsq́ illius terrea & denſa, ex craſsiore alimenti parte genita: hunc ſuccum melancholicum Galenus ubiq; uocat. Quemadmodum enim ex uino recens ab uuis expreſſo, & feruore alteraſcente, ex eo quem in ſe habet calore duo excremẽtorum genera proueniunt, alterum leuius magisq́ aëreum, alterum grauius ac terreum magis, quorum illud florem, hoc fæcem nominant: ſic ſanè ſecundum hanc exempli ſimilitudinem intelligendum diſtributum à uentre ad hepar χυλὸν, hoc eſt ſuccum, à uiſceris caliditate, uelut uinum ipſum muſteum, feruere, concoqui, alterari, ad ſanguinis utilis & benigni generationem. In hac autem ebullitione, hanc quidem eius ſuperfluitatum ſubſidere, quantacunq; eſt lutoſa & craſſa: hanc autem quæ eſt ſubtilis, & leuis, uelut ſpumam quandam ſupernatare ſanguini. Horum igitur alteri, ſi flauam bilem, alteri nigram aſsimiles (inquit Galenus) minimè pecces. Differt autem ab atra uocata bile, quoniam melancholicus ſuccus actione naturæ fit chylum immutantis, & in ſanis inuenitur: atra uerò bilis, & præter naturam eſt omnis, ob idq; morboſa, & nuſquam ſano degente corpore inueniri poteſt.

*Vbi ſuprà immediatè.*

*2. de Facult. natur.*

Non eandem (inquit Galenus) habent hi ſucci ſpeciem, cùm animans naturæ opera regitur, qualem cùm præter naturam ſe habet ſæpe exhibent. Quippè quæ flaua eſt, efficitur uitellina, ita enim nominant, quoniam ouorum uitellis tum colore, tum craſsitudine ſit adſimilis. Rurſus nigra longè malignior ea quoq;, quàm quæ naturalis eſt, redditur. Nomen tamen tali ſucco nullum eſt inditum: niſi quod aliqui uel radentem eum, uel acidum appellarunt: quoniam ſcilicet acris in morem aceti ſit, & corpus animalis radit: etiam terram ſi ſupra eam ſit effuſus quandamq́

cum

cum bullis ueluti fermentationem ebullitionemque excitat. ubi scilicet adscititia, putredo nigro illi succo naturaliter se habenti accessit: mihique uidentur ueterum medicorum plerique id quod è tali succo naturaliter se habet, quod & infra deijcitur, & saepe supra fluitat, atrum, uocare succum, non atram bilem. Quod uerò ex ustione quapiam ac putrescentia, in acidam migrauit qualitatem, id atram nuncupare bilem.

Ex his Galeni uerbis quò melancholicus uocatus humor (qui & ipse melancholia naturalis est) ab atra uocata bile differat, perspicuum euadit. Postrema haec, ustione quadam & putrescentia fit: ille actione naturae. Sed quonam pacto ustione atra bilis gignatur explicat memorato loco Galenus. Quòd non naturalis caloris acrimoniam sibi adsciscat, ac ueluti cinis quidam fiat. Nec solùm ater humor secundum naturam genitus, ustione in hanc degenerare potest: sed & bilis ipsa tum flaua, tum uitellina, quin & sanguis etiam ater & crassus ustione in atram conuerti bilem potest.

Maior de pituita quaestio est: asserente utique Auicenna atram bilem ex ea per incinerationem gigni posse, cùm nusquam tamen ea de re quicquam à Galeno sit proditum: qui si fieri id posse arbitratus esset, id profectò praetermissurus non fuisset: praesertim eo in libro qui de atra bile inscribitur. Quin & Moses in suis Aphorismis pituitam in atram bilem transire nullo pacto posse, etiam si calor adeo fortis insit ut urat, de Galeni sententia in commentario ad librum de spiritibus scripsit. Quanquam uerò commentarium illud nusquam habeatur, eam tamen Galeni fuisse sententiam ex eo conijci facilè potest, quòd idem 11. Praesagiorum, de pituita exassata in pectore loquens, fieri ex ea sputum album, tenax & rotundum, non nigrum affirmauit. Adde quòd cùm plurimum pituita ab atra bile & colore & substantia distet, magnas uariasque fieri ea in transmutatione alterationes, tum in colore, tum in substantia pituitae oporteret: uti enim bilis in atram bilem degenerans per uarias atque multas id nanciscitur transmutationes, ut primùm in uitellinam, deinde in porraceam, mox in aeruginosam transire ipsam priusquam in atrum colorem, atramque bilem degeneret oporteat, sic sanè & pituitam in uarios gradus uariasque substantias permutari opus esset, si in atram bilem degeneratura esset. At uerò ubi mutatus iam esset albus illius color, non iam profectò pituita amplius, sed alius quispiam humor dicenda esset. Quin nec ipsa reuera unquam, & si maximè uel per assationem, uel congelationem crassescat, à sua ipsius natura & forma degenerat, quin semper pituita & sit & dicatur: ac proinde Galenus libro de Tumoribus praeter naturam, scirrhos à crassa & tenaci pituita factos, ab ijs disiunxit qui à succo melancholico fiunt: quasi sentire id uoluisse sit uisus, à pituita quantumuis crassa, scirrhos melancholicos nunquam fieri: sed sui generis, hoc est pituitosos scirrhos. Sed quoniam rem hanc totam fusissimè Manardus epistola quadam persecutus est, in ea diutius nobis immorandum non erit, & ad propositum redeundum.

*Fen 1. primi. doct. 5. cap. 1.*

*An pituita in atram bilem uerti possit.*

*Lib. 9. Epistolarum. epistola 2.*

Diximus & de melancholico succo, & de atra bile quae dicenda erant.

Quid uerò utraque in nobis efficiat, nunc dicendum. Melancholicus ille succus ui naturæ ex crassiore alimenti parte genitus id præstat, ut sanguini permistus solidiora nostri corporis membra, qualia ossa sunt, alat: tum ut sanguinem ipsum crassicie sua densando, quasi restinguat & roboret, firmioremque faciat. Altera uerò illius portio, qua sanguis ad eos usus non eguit, in lienem trãsfunditur, eius uisceris natiua facultate humorem eum trahente. Quæ docta tum Galeni tum Auicennæ sententia fuit. *[Gal. 4. de Vsu part. & 2. de Facult. natur. Auicẽ. Fen 1. primi. doc. 5. cap. 1.]* Atra uerò bilis præter naturam ex assatione genita, innumeros, eosque exitiales morbos creare solet: elephantes, cancros, scirrhos, mentis concitationem, furorem, melancholiam, & amentiam. Putrens uerò quartanas & mala ulcera gignere solet. Quæcunque certè atra bilis adustione nascitur, iudicio & sapientiæ nocet: ardens enim accensusque humor, concitatos furentesque facit, quod uitium Græci μανίαν, nos furorem dicimus. *[Mania, seu Furor.]* Vbi uerò tenuioribus clarioribusque illius partibus resolutis, extingui iam incipit ac ueluti incinerari, sola restante fuligine tetra, stolidos reddit & stupidos: quem habitum fatuitatem, amentiam & uecordiam appellare solemus. *[Stoliditas, seu Fatuitas.]*

*[Ingeniũ unde dictum.]* Nunc uerò quod polliciti sumus, quid Ingenium sit, & quid ingenio ualere, dicamus. Porrò à gignẽdo ingenium peritiores dici uolunt, quòd aliquid ex se perpetuò proferat atque gignat, & naturam propriè significat cuique ingenitam: uti apud Terentium, Nam qui cum ingenijs conflictatur eiusmodi: id est, cum hominibus eius naturæ. Et apud Vergilium, Nunc locus aruorum ingenijs, quæ robora cuique, Quis color. Est & Ingenium uis intelligendi naturalis qua ex nobis ipsis inuenimus, quæ ab alijs non didicimus: *[Ingeniũ quid.]* Vnde Præclara ingenia, & Obtusa ingenia dicimus, hoc est, acuta, & rudia: & homines ingeniosos eos qui natiuam uim ad unum aliquid agendum & inueniendum accommodatam habent. *[Ingeniosi homines qui.]* Ingenium certè naturalem sapientiam esse diffinit libro de Proprietate sermonis Nonius Marcellus, & meritò quidem: Nam qui ex se nullo monstrante ea promit, quæ ad præclarè agendum arduaque intelligendum sint accommodata, sapientem omnino eum qui talia præstare possit esse oportet: non enim doctrina parta sapientia, sed ingenita id facit, ac proinde rerum disciplinarumque inuentores, & sapientissimos fuisse omnes, & excellenti ingenio oportuit: id nanque est Ingenio pollere, Ingenio niti, atque excellere, uim habere mentis insitam quandam adeò excellentem atque præclaram, ut ex sese inuenire omnia queat, abstrusa sine labore intelligere, implicata facilè explicare, uerum eruere, falsum discernere, quid consequens, quid repugnans, quid consentiens, dignoscere, adhæc media inuenire, quibus optatum consequaris finem: hæc sanè ingenij opera sunt. *[Ingenio pollere quid.]* Hanc uim Aristoteles, Solertiam uocare solet: quam qui exactiorem habuerit, is magis ingenio ualere dicendus erit. *[Lib. Posteriorũ 1. cap. 27.]*

Sed iam quod sequitur, quodque nos effecturos recepimus exequamur: doceamusque cur (quod uoluit Aristoteles) philosophiæ studijs addicti melancholici sint uel fiant: *[30 Problematũ, proble. 1.]* & cur melancholici ingeniosi sint, & qui horum tales: curque atra bilis ingeniosos faciat. Melancholicos esse qui in studijs excellentes sint, non Aristotelis solùm autoritate, sed & experien-

tia

tiæ constat. Cur id fiat, etsi quadantenus est ab Aristotele explicatum, plenè tamen ab eo traditum non uidetur, qui obscurè magis quàm dilucidè rem totam in Problematis explicasse uidetur. Huius porrò euentus Marsilius Ficinus hominum suæ ætatis longè doctissimus, triplicem assignat causam, Cœlestem, Naturalem, Humanam. In Mercurium & Saturnum frigidos melancholicosque Planetas, & studiorum patronos, ac ueluti tutelares quosdam deos cœlestem causam reijcit. Quoniam Mercurius, ut doctrinas inuestigemus nos inuitet: Saturnus, ut in doctrinis indagandis persistamus, inuentasque seruemus efficiat: nosque suæ amborum naturæ participes influxu suo reddant: ob id melancholicos esse qui seriam ac plenam studijs nauent operam. Sed (quod pace tanti uiri dictum uolo) in eo falli plurimum Ficinus mihi uidetur, qui delirantium Astrologorum more temperamenta astris tribuat, uimque arcanam quandam studia iuuandi ac promouendi, in ijsque persistendi Mercurio atque Saturno adscribat. Quod si ita est, sapientissimos quosque uiros & rerum scientissimos non Iouiales (ut ipsi loquuntur astrologi) non Solares ullos, sed Saturnios aut Mercuriales esse oportebit, contrà quàm exploratum experientia habeamus. Multi enim ab omni æuo fuerunt, qui nihil quicquam cum Mercurio aut Saturno commune habentes, sed cum Ioue potius aut Sole (si modò quicquam ab his dimanare in hominum mentes posſit, quod eos ad studia, quemadmodum Astrologi isti uolunt, promouere excitareque posſit) in magnos & præclaros uiros euaserunt. Qui enim pulchro quadratoque corpore, suaui & placido colore, optimoque habitu & benè carnoso constant, hos Iouiales Solaresque esse Astronomi censent. At ex istiusmodi hominibus plerosque est uidere & magno atque excellenti ingenio præditos, & ad maxima quæque obeunda fœliciterque gerenda natos: quales & olim multos extitisse, & nunc quoque esse perspicuum est. Adde quòd nullis probari rationibus, nulla demonstrationis fide constare posſit, à Saturno altitudinem mentis, profunditatem consilij, inuestigationem rerum abstrusarum, contemplationis amorem infundi: quod cùm nulla certa asseueratione constituere id astronomi posſint, desinant Musarum sacrosancta mysteria in Saturnũ Mercuriumque regerere: sed illud potius arbitrentur (quod experientia duce atque magistra uel inuiti fateri cogentur) sibi unumquenque qui modò se totum studijs addixerit, insanoque amore discendi flagrarit, & Saturnũ fieri & Mercurium. Veritatis amanti, & rerum magnarum auido, hæc inesse oportere Galenus iure existimauit. Naturam in primis perspicacem, qua promptè quiduis assequatur: in optimis disciplinis uel à teneris rectam institutionem, Excellentium præceptorum quibus sedulam operam nauet, copiam: ut laboris præterea sit patientissimus, nihilque uel die uel noctu præter disciplinas meditetur, ut ueritatem auidè expetat, eique totus incumbat: ut methodum nanciscatur, qua uerum à falso discernere queat: ut demum ademptam methodum in usum deducat, nauiterque exerceat. Si cui isthæc diuino fauore adfuerint, nõ is profectò Mercurium Saturnumue, ut sapiens fiat, requiret. Sed de his hactenus. Naturalis porrò ea ratio

*Lib. de Triplici uita.1.capite 4.*

*Ficinus notatur.*

*Lib. de constit. artis. & 2. de Facult. natur.*

eſt: quòd ardua meditantem neceſſe omnino ſit, animum ab externis ſeceſsibus ad internos reuocare ſeceſſus: hoc eſt, à circumferentia in centrum. Ad centrum uerò è circumferentia colligi ſigiq; , centro terræ maximè proprium eſſe uidetur, cui atram bilim proportione quadam reſpondere, naturæ ſcientiſsimi uolunt. Igitur atra bilis animum, ut ſe & colligat in unum & ſiſtat in uno, quo ad ueritatem meditando ſit adeptus, ſanè prouocat. Sed hæc ratio tota magis analogia quadam & recta comparatione atq; ſimilitudine, quàm proprietate conſtat. Propior illa & uerior quæ ab effectis ducitur, hoc eſt, ab his quæ in nobis ab ſtudijs proueniunt: quam ego maximè naturalem duco. Crebra mentis in ſtudijs agitatione & motu cerebrum immodicè exiccari neceſſarium omnino eſt: eo autem natiuo humore deſtituto (quod ſanè ingeniti in nobis caloris pabulum eſſe ſolet) imminui quoq; natiuum calorem fereq; extingui conſequens eſt. Exiccataq; cerebri natura atq; refrigerata, in melancholicam tranſire qualitatem neceſſe habet. Quin ob aſsiduum contemplandi & inquirendi ſtudium, quo uehementer animales ſpiritus com moueri oportet, magnam in illis fieri reſolutionem conſpicimus, à qua ſanè ſpirituum diſſolutione nimium ſtudijs addictos palleſcere, imbecillosq; fieri uidemus. Quamobrem cùm tenuioribus purioribusq; ſanguinis clari partibus ſæpe conſumptis, reliquus qui ſupereſt ſanguis neceſſariò denſus, frigidus, ater, ſiccusq; reddatur: efficitur profectò, ut totus in atrabilarium quaſi degeneret. Ad quod item facit, quòd contemplationi prorſus intenta natura, totaq; in caput rapta, reliquum omne corpus internaq; uiſcera maximè (hepar inquam & uentriculum) deſtituat, quin & externos ſæpe etiam ſenſus: unde eſt illud Ariſtotelis, Intentos fortibus imaginationibus delata ſub oculos non uidere. Quod cùm fit, & ciborum concoctionem malè procedere, & ſanguinem deteriorem gigni, in craſſumq; ac ſiccum degenerare eſt prorſus neceſſe. Adde quòd cùm in altiſsimo illo otio longaq; quiete, nec membra motu concaleſcere, nec ſuperflua excerni, neq; halituoſa & craſſa diſcuti, neq; glutinoſa attenuari queant, (quæ omnia congrua adhibita exercitatio motusq; corporis, uel autore Galeno, præſtant) efficitur ut infuſcari ſanguinem totum, tetro halitu oporteat. unde & habitus corporis melancholicus, & mœſtus ſpiritus reddatur: quod ijs maximè accidit, qui ſeſe totos philoſophiæ ſtudijs inuoluunt, neque ullum ſibi tempus ab ſtudijs uacuum ad corporis curam relinquunt: mentem utiq; à corpore rebusq; corporeis ſeuocantes, incorporeisq; applicantes. Hinc ſemianimes ipſos ac planè ſtudijs enectos ſæpe uideas. Quod intuens Diuinus in Timæo Plato dixit, animum ſæpiſsime & intentiſsimè contemplantem, alimentis eiuſmodi adeò adoleſcere potentemq; fieri, ut corpus ſuum ſupra quàm natura ipſius patiatur exuperet, ipſumq; intenta ſæpe & uehementi agitationi uel deſerere, uel nonnunquam etiam quaſi diſſoluere uideatur.

*3. de Sanitate tuenda.*

Cur ſtudijs Philoſophiæq; dediti melancholici ſint, aut ſtudio tales euadant, explicatum abundè arbitror. Cur uerò melancholici ingenioſi, & qui horum tales ſint, qui minimè, & cur atra bilis ingenioſos faciat, accur

*Cur melāncholici ingeniosi*

*30. Problemata sectione, problem. 1.*

*Vbi suprà in medio.*

accuratiore nunc contemplatione expromendum. Melancholicos ui intelligendi indagandiq; præcipuè pollere, & ad præclara obeunda munia ualere plurimùm Aristoteles testatum reliquit. Habent enim melancholici præ cæteris naturalem quandam uim ad unum aliquid agendum & inuestigandum accommodatam, quod ingeniosum esse suprà diximus. Vnde illud rectissimè dixisse Aristoteles est uisus, Homines qui in studijs philosophiæ, uel in artibus exercendis, aut republica administranda ingenio claruerint melancholicos omnes fuisse. Quod dictū non de omnibus melancholicis indistinctè accipi debet: sunt enim eorum quidam, (ut suprà etiam annotauimus) qui non ingenio clari & solertes, sed stupidi magis & obtusi sint habendi: ac proinde Aristoteles.

*Vbi suprà.*

Quibus (inquit) multa & frigida bilis est atra, hi stolidi sunt & ignaui: in quibus permulta & calida, hi perciti, ingeniosi, amantes, propensi ad omnem excandescentiam, & cupiditatem, nonnulli etiam loquaciores. At quibus (subdit) minus ille calor remissus ad mediocritatem sit, ij prorsus melancholici quidem, sed longè prudentiores: & quanquam aliqua in parte minus excedant, multis tamen in rebus cæteris sunt omnibus præstantiores: alij in studijs literarum, alij in artibus, alij in republica.

Ex hac porrò Aristotelis assertione constat, duo ipsum melancholicorum constituisse genera: alterum eorum in quibus multa, sed frigida, redundet bilis atra, non calfacta, non calore fota, aut claro sanguine biliq; attenuata & illustrata: & hoc habitu homines, non ingeniosos quidem, sed contrà stolidos & ignauos esse, uerè affirmauit. Alterum genus in quo multa, sed calida, insit bilis atra, quo temperamento præditi qui sunt, ingeniosos eos, hoc est solertes, & ad quiduis inueniendum aptos, amasios, & ad excandescentiam pronos, tum etiam prudentes excellentesq; uult esse. Quod & diuinus Plato in Theæteto, qui de scientia inscribitur, ante Aristotelem astruxisse uidetur, Ingeniosos (inquiens) plurimùm concitatos, furiososq; esse solere. Et Democriti rursus opinione testatum, qui nullos uiros ingenio magnos, præter illos qui furore quodam perciti sint, esse unquam posse affirmauit. Et in Phædro probasse Plato uidetur: Poëticas fores (inquiens) frustra absq; furore pulsari: etsi eo loci de diuino furore locutum fuisse uerisimile sit. Hoc se furore percitum & diuino afflatu inspiratum ad ueritatis studia persequenda, & uulgi famam fortiter contemnendam fuisse profitetur Galenus Meth. septimo. Itaq; cùm tam multi, ijq; excellentes uiri melancholico temperamento præditi, & furore hoc diuino perciti floruerint, inuestiganda nobis eius rei causa est. Atra igitur bilis, quæ in nobis naturæ actione gignitur, ea sola, sed probè tamen (ut postea dicetur) attemperata, iudicio, ingenio ac sapientiæ plurimùm conducit: ea uerò quæ adustione gignitur, & præter naturam est, ualde mentis actionibus aduersatur. Sed neq; tamen atram bilim naturæ ui genitam, aut nimium abundare, aut solam esse reliquisq; impermixtam oportet. Nam ea si nimium superet, mole sua & crassicie spiritus infuscat, animum terrore complet, ingeniumq; hebetat. Si uerò ea lento crassoq; humori, hoc est, pituitæ misceatur,

*Cur melancholici ingeniosi*

tur, crassa quadam frigiditate torporem, segnitiem, obtusionemq́ quandam facit. Quamobrem oportet atram bilim, eam quæ ingenio sit profutura, neq tam paucam esse ut tenues humores adeoq́ spiritus ipsi fræno careant: (est enim atra bilis, sanguinis ac flauæ bilis spirituumq́ quasi frænum quoddam, crassicie sua eorum tenuitatem facileq́ dissolubilem substantiam cohercens ac continens) quod cùm fit, nimiumq́ in corpore tenues succi difflabilesq́, & citò auolantes, spiritus uigent, instabili ingenio, labiliq́ memoria hoc statu præditos fieri uidemus. Neq item tam multam eam esse oportet, ut nimia mole pondereq́ terrestris humoris grauati torpore uideamur. Proinde consequens est, ut quæ seruitura ingenio sit atra bilis, ea & substantia (quantum quidem illius natura patitur) tenuis sit, & quãtitate moderata: ne aut deficiens instabile ingenium, uel nimium redundans obtusum & hebes faciat. Moderata igitur & tenuis sit atra bilis, nec omnino impermixta, sed modicè humore subtilioris pituitæ circunfuso madescat, ne arescens prorsus durissima siccissimaq́ euadat. Bili autem & sanguini permista ita saturetur, ut corpus unum ex hac miscella confici uideatur: in quo potiores quidem partes sanguis, secundas bilis, tertias atra bilis teneat: ut octo sanguinis, duæ bilis, duæ rursus atræ bilis portiones existant: quæ ita attemperata erit atra bilis, ea profectò à sanguine & bili accensa & illustrata fulgebit, modiceq́ accendetur: ita ut non uratur ipsa, sed accensa tamen fulgeat. Cùm enim nimis accenditur & calet, ferocitatem audaciamq́ parit: cùm extremè friget, timorem, ignauiamq́. Medijs uerò inter frigus caloremq́ gradibus constituta, affectus producit uarios, haud secus quàm uinum, quod rectè Aristoteles dixit. Nam ut merum, præcipuè potens & generosum, prout uel modicè uel intemperanter assumitur, modò iracundos homines, modò misericordes, audaces tandem, furiosos, lætos, interdum etiam mœstos, taciturnos, torpentesq́: nonnunquam contumeliosos & petulantes reddere solet. Sic sanè atra bilis uariè attemperata pares solet, in quibus ipsa dominatur, gignere affectus. Quæ cùm ita moderata, ut diximus, fuerit, probeq́ bili & sanguini modicæq́ pituitæ confusa: tum profectò quia & natura sicca est, & ea mistione satis attenuata, facilè ab illis accenditur, quia solida est & tenacissima: accensa semel, diutissimè flagrat & lucet: quia firmissimæ siccitatis unitate potentissima, uehementius incalescit: est enim siccitas lima caloris. Atqui à diuturno uehementiq́ calore fulgor ingens, motusq́ uehemens & diuturnus proficiscuntur: unde est illud Heracliti philosophi summi, Lux sicca, anima sapientissima, hoc est, humoris sicci splendore ac luce fieri animam sapientissimam: naturali quidem sapientia quam suprà ex Nonij Marcelli sententia, ingenium esse diffiniuimus. Eos itaq ex melãcholicis ingeniosos esse dicemus, in quibus atra bilis sic, uti anteà diximus, temperata: hoc est, calens & lucida, fulgoreq́ illustrata, sat multa uiguerit. Quæ enim talis est, purpureo colore nitens, & partim naturali calore, partim animi motu meditationibus concitato accensa, haud secus quàm ignitum rubensq́ aurum calet & lucet, à quo sanè calore fulgoreq́ atræ bilis admirabiles fiunt in animo motus. Qui

*Instabili ingenio qui sint*

*Ex Ficino ubi suprà.*

*Ferocitas & audacia unde.*

*30. Problematum 1.*

*Qui melancholicorũ ingeniosi dicendi.*

Qui enim ex huiusmodi humore creantur spiritus, contemplationi & ingenio seruientes, ij ex atra bile calore expressi, tenuissimi subtilissimiq; euadunt. Quemadmodum enim ex crassiore uino per eliquationem elici tenuissima aqua, eademq; potentissima solet, (quam uitæ aquam nominant) sic ex atra bile calente attenuataq;, manare tenuissimi spiritus solent: calidissimi simul & lucidissimi, angustioribus densi humoris meatibus expressi: qui tales cùm sint, necesse est & motu agiles, & actione uehementes, & stabili firmitate humoris à quo erumpunt diutinæ actioni, hoc est, perenni meditationi & inquisitioni sufficere. Tali tamq; commodo instrumento munitus animus, atq; septus, acutè solerterq; & profundè abstrusissima quæq; inquirit: indagatq; uehementer, peritaq; inuestigando diutius, spiritu illo curuli ac subtilissimo adiutus: cuius ministerio fit, ut facilè animus ad inuestigandum ducatur, & quæ inuestigauerit, inueniat, inuenta clarè perspiciat, rectè dijudicet, ac diu contineat iudicata. Hinc uiri summi ac Philosophi singulares euadunt, qui atræ bilis splendore atq; calore exagitati, animum ab externis corporeisq; motibus seuocantes, in sese totum colligunt atque reuocant, diuinitus altissima quæq; contemplantes & attingentes: ut non difficillima tantum & abstrusissima intelligere, sed in diuina attolli, futuraq; prædicere, non morbo, sed talis temperaturæ merito queant: uti Sibyllis & Bacchidibus euenisse, Maracoq; cuidam Syracusano Poëtæ, Aristoteles scribit: & uniuersim ijs, qui diuino afflatu furoreq; perciti esse creduntur. *30. Problematum 1.*

Hactenus cur melancholici ingeniosi sint à Platone, Aristotele atq; Democrito dicti, causas explicasse sufficiat. Nunc breuiter quod reliquum est attingamus. Num in reliquis hominum temperamentis ingeniosos atq; solertes, perinde uti in melancholico sit inuenire: cuius sane rei haud quaquam difficilis est explicatio. Nam in temperaturis ijs, quæ uel optimæ sunt, uel ab optima parum absunt, cùm eæ omnium præstantissimæ esse ponantur, minimè dubium, quin hisce temperaturis præditos homines, non solùm quod ad corporis actiones attinet, sed etiam animi, singulares eximijq; sint habendi. Siquidem (quod rectè affirmasse Galenus uidetur) animi mores corporis temperaturam plerunq; sequuntur: & qui bono corporis habitu sunt, hos certè operationum perfectione longè cæteris antestare cernimus: quod item uerè à Galeno in arte medicinali proditum est. Vnde plerosq; uel optima constitutione, uel calida & humida temperie affectos, ad optima quæque & præclara natos, solertes, acres, actuosos, prudentes, sapientesq; inuenias. Bilioso etiam temperamento non paucos, sensibus enim hi uigent & excrementis carent. una tantum frigida & humida temperies cæteris ad præclaras mentis actiones obeundas inferior ineptiorq; esse uidetur: ut in qua ob natiui calidi imbecillitatem, & multa gignantur in corpore excrementa, & pituita multa redundans tum mole sua, tum crassicie & lentore spiritus obturbet, crassioresq;, & ad motum tardiores efficiat: unde hebescere ingenium consequens quidem est: ac proinde ij ingenio tardi, rudes, atq; supini dici meritò possunt: nisi improbo labore rectaq; institutione hanc naturæ supinitatem

*Num in reliquis à melancholico têperamêtis ingeniosos sit inuenire:*

*Lib. Quòd animi mores corporis temperaturā sequuntur. Cap. 8.*

nitatem ineptitudinemq́ue uincere meditatò studeant. Nihil enim est quod non efficiat si sibi imperarit ut magnopere uelit animus: & ut summus Poëta dixit, Labor improbus omnia uincit. Itaque si naturæ uitium emendare quis recto studio adnitatur, efficiet profectò, ut quod illi natura negatum est, arte, peruigili cura, animíque intentione assequi possit. ut in omnibus temperaturis (si quis modò animum rectè excolat atque informet) præstantes excellentesq́ue uiros sit inuenire. & si non natura ad eam excellentiam aptos, cultu tamen, studio, atque industria tales affectos.

*

*Sexti & ultimi libri Enarrationum medicinalium finis.*

# RESPONSIONVM MEDICINALIVM LIBER VNVS.

FRANCISCO VALLERIOLA MEDICO AVTORE.

# AD MARINI LEPORAEI MEDICI ANNOTATIONES IN COMMENTARIOS DE MORbis & Symptomatis à Francisco Valleriola editos Responsio eodem

## FRANCISCO VALLERIOLA AVTORE.



IBELLVM tuum quem mihi tuo nomine Rodericus pharmacopola, utriusq; nostrum amantissimus, obtulit, perlibenter magnaq; auiditate legi. Eum ego quũ in manus sumpsissem, ut quod illius esset argumentum, quæ differendi ratio, quæ tractatio perspicerem, in magnam sum adductus spem, fore, ut magnum aliquid, & quod ad frugem faceret, is tuus libellus in se contineret. Nec sanè me mea fefellit opinio. Nam quum Annotatiunculas quasdam tuas, ut tu quidem modestè uocas: ut ego, censuram grauem & animaduersionem in meos Commentarios de Morbis & Symptomatis, quos haud ita pridem in communem studiosorum utilitatem inuulgaueram, esse uiderem, idq; magno à te studio ac diligentia effectum: omneis ut tu singillatim Commentarios meos ad Aristophanis lucernam expenderis, ac quæ minus à te probarentur ueluti in cumulum congesta, eodem libello tuo nuntio, ad me de scripto miseris: magna sum sanè ea ex re uoluptate lætitiaq; affectus. Non ob id tantum, quòd mihi de rebus meis, hoc est publicis studijs (eæ enim propriè res meæ sunt) acrius cogitandi animum adieceris, quàm quòd ea scriptorum meorum censura alacriorem me ad me ipsum tuendum, ueritatemq; proferendam effeceris. Quemadmodum enim nauis forti compage subnixa, ubi semel anchoram iecerit, quamuis

*Eurus Zephyrusq; ruant, creberq; procellis*
*Africus, & uastos tollant ad sydera fluctus:*

Contra tamen tot uentorum atq; oblatrantium impetus fluctuum stabilis inconcussaq; manet: ipseq; ductor uim suam tum maximè prudentiamq; ostentat, quum tempestatis maior uis ingruit. Sic sanè Marine constitui pro ueritate fortiter stare, ac quanto maior me uis aduersum me scribentium oppugnarit, tanto fidentius unius tantum ueritatis tuendæ causa imperterritus consistere. Præter te enim (si nescis Marine) multa etiam Ludouicus Guarinus, Leonardus Fuchsius, uiri cùm de omni philosophia, tum uerò de re medica quàm optimè meriti, ad me de meis Commentarijs, uel publicis scriptis, uel priuatis literis scripserunt. Qui-

bus ego omnibus una opera eodemq́; labore respondendum duxi: ut & tantis uiris obscurorum aliquot locorum explicationem à me postulantibus satisfacere, & me ipsum à calumnia, ueritatis ac dictorum meorum constantia ac fide tueri possim. Itaq; quum ego in mea illa ad studiosos præfatione, quam in initio meorum Commentariorum appinxi, ingenuè profitear, me eruditorum omnium iudicium uelle subire: potestatemq́; illis de meis scriptis liberè iudicandi faciam: quanto æquius ea ipsa in meis defendendis ac pro ueritate firmandis uti possim? Quare ut iam eo iure tecum agam, quo tu mecum agis, singula tuarum in meos Commentarios annotationum capita eodem ordine quo à te sunt digesta percurram, ac earum unicuiq; respondebo. Sic enim fiet ut & tibi honesta petenti satisfecisse, & scriptorum meorum constantiam ac ueritatem doctis omnibus ostendisse uideri queam. Sed iam ad rem ipsam propero.

I. QVOD de meatibus primo loco obijcis à me positū cōmento I. cap. quarti, per meatus inquam Galenum non tam externos illos, qui per cutem sternuntur, quàm etiam internos & uasa metipsa, nempe uenas & arterias, & utranq; uesicam intellexisse, excusari facillimè potest. Nam etsi de his meatibus Galenus loquitur, quos prioris sectæ autores ponebant, in quibus ut rectè sentis, uenarum & arteriarum, intestinorum & uesicæ meatus reponi minimè possunt: quum longissimè ab ijs distent quos huius sectæ homines statuerunt: ut Galenus ipsemet testatur cap. VII. huius tractationis: quem locum etiam tu citas. Tamen quoniam non solùm meatibus his, quos philosophi isti ponunt à symmetria declinantibus, ipsisq; plus iusto aut patentibus, aut constipatis, contingit ægrotum euadere animans: sed etiam meatibus alijs, de quibus Galenus cap. VII. huius tractationis, itidem ad hunc modum affectis: quid uetat Galeni sensa ad hos etiam meatus transferre? Quum illud præsertim ex eodem Galeno constet, tum VIII. tum IX. Metho. ad horum meatuum stipationem febres obstructionesq; sæpenumero sequi. Nec obstat quod affers, Intestina & uesicam utranq;, instrumentarias, non simplices esse partes: nam etsi tantum de simplicium partium morbis tractaturum se eo loco Galenus pollicetur, tamen cùm eadem in ijs ipsis harum partium meatibus ægrotatio, quæ in meatibus prioris sectæ cadere possit (nempe uel nimia laxitas, uel immodica stipatio) quid uetat dicere, de ijs etiam Galenum intellexisse? Verum nanq; illud est, patentibus plus iusto ijs meatibus, uel nimium adstrictis morbum sequi. Quamobrē quo ad hoc saltem accommodari rectè ad hos meatus Galeni sensa poterunt. Quanquam eo in loco de meatibus prioris sectæ hominū magis quàm de alijs, ab ijs longè dissimillimis, locutum credam: etsi etiam ad hos (ut probasse me existimo) aptè referri sensa Galeni possint. Hæc de primo.

II. QVOD secundo loco de calore adfers à me positum cōmentario secundo capitis eiusdem, facilem habet explicationem. Nam cùm illud dico, Calorem exuperantem unum morbi genus creare, quem febrim nominant: Galeni more id mihi dixisse uideor, qui millies in mille locis ad eundem modum loquitur: uti huius libri cap. V. Calor (inquit) totum

corpus

corpus infestans febris dicitur. Et huius tractationis libro II. cap. eodem, Calor (inquit) si in totum extendatur corpus, morbus ipse febris nominari debet. Quippe quæ totius animantis calor immodicus est. Et item IX. Metho. & pluries alibi. Vides ijs locis Galenum nullam cordis facere mentionem, febris naturam dum explicat? Quin & in Aphorismis, Febris est (ait) natiuus calor in igneum mutatus. Nec illud si non explicetur, calorem hunc à corde procedere: non propterea fit quin rectè sic dicatur. Nam illud semper intelligitur, à corde proficisci debere calorem eum, qui febris dici mereatur: uti Galenus I. de Febrium diff. Et Auicenna Fen. prima quarti, abundè explicauerunt. Quam ego rem latius explicatiusque enarrans in commentario meo primo ad caput quintum huius prioris libri de morb. diff. sic pronuntio: Qui totum corpus occupat calor, functiones impediens, febris dicitur: si modò & præter naturam sit, & à corde procedat. Qui uerò in partibus labore aliquo fatigatis suscitatur, ab spirituum nimirum & sanguinis confluxu: is sanè febris nomen non meretur. Vides Marine ut rectè hic commentario hoc meo primo ad caput quintum, capitis quarti commentarium meum explicem? Atque hæc abundè satisfacere secundæ tuæ annotationi puto.

*1. Aphorism. comment. 16.*

III. MIRARIS in tertia tua annotatione, me Galeni interpretem, difficultatem eam non dissoluisse, An Elephas morbus inter simplices, an inter instrumentarios sit reponendus: præsertim quum ea de re pugnantia dixisse Galenum existimes: qui cap. V. primi huius tractationis libri, inter simplices morbos eum annumerat: cap. uerò VII. secundi, inter eos qui ad deprauatam figuram pertinent, reponendum censuerit. Nulla hic mi Marine difficultas, nullaque controuersia in Galeni dictis inueniri usquam potest: ut qui elephantiasin perpetuò ad similares partes, non instrumentarias pertinere uoluerit. Nam tum hoc ipso de Morb. diff. libro cap. V. tum lib. de Tumo. præter nat. & lib. de Atra bile. & XIIII. Metho. & II. Therapeu. ad Glauc. uoluit morbi genus esse, eius scilicet naturæ quæ cum affluxu uitiosæ substantiæ est, cap. enim V. huius libri sic Galenus (Græca ipsa apponam fides ut maior rei sit)

Ἐπὶ δὲ τῆς δευτέρας ὑποθέσεως ἡ διαφορὰ τῶν νοσημάτων, διττὴ τυγχάνει. ποτὲ μὲν ταῖς ποιότησι μόναις ἀλλοιουμένων τῶν ὁμοιομερῶν σωμάτων, ἔστιν ὅτε ῥευσάσης εἰς αὐτά τινος οὐσίας, τὰς εἰρημένας ἐχούσης ποιότητας. ὁ μὲν δὴ δεύτερος τρόπος ὄγκον περὶ τοῖς σώμασιν ἐργαζόμενος, ὑπ' οὐδενὸς ἀγνοεῖται τῶν ἰατρῶν. ἐρυσιπέλατα γὰρ, καὶ φλεγμοναὶ, καὶ οἰδήματα, καὶ φύματα, καὶ φύγεθλα, καὶ χοιράδες, ἐλεφαντιάσεις τε, καὶ ψῶραι, καὶ λέπραι, καὶ ἄλφοι, καὶ σκίῤῥοι τούτου τοῦ γένους εἰσίν.

Quod est, Porrò altera Hypothesis, duas itidem habet morborum differentias: similaria namque corpora interdum solis qualitatibus alterantur, interdum uerò substantia quædam iam dictis qualitatibus prædita fluit ad ipsa. Atque hic secundus modus tumorem in corpore excitat, qui nullum medicorum latere potest. Etenim Erysipelata, phlegmonæ, œdemata, phymata, phygethla, strumæ, Elephantiases, psoræ, lepræ, uitiligines, tumores duri, huius sunt generis.

Vides hic inter similarium partium morbos Elephantiasin iure repo-

ni. Et merito quidem, cùm ea Galeno teste II. ad Glauc. Et lib. de Tumo. præter naturam, sanguinis crassi ac turbidi atrabilarij'que succi in totum propulsi soboles sit. Quæ etiam Pauli, & Aëtij est sententia: huius quidem sermone XIII. cap. CXX. illius, lib. IIII. cap. I. Nec obstat qui à te adducitur in contrarium locus ex II. de Morb. caus. cap. VII. Nam non aliud ibi uult Galenus, quàm figuram ab elephante morbo deprauari. Morbus (inquit eodem loco Galenus) qui Elephas nominatur, planè formam immutat. Est enim in Elephante deprauatio figuræ symptoma illius, non essentia morbi. Nam Elephantiasis essentia non in euersione figuræ, naso scilicet simo, labris crassis, acuminatis auribus, & satyrico uultu: sed in intemperie quadam totius cum affluxu substantiæ est, ad quam eiusmodi figuræ deprauatio sequitur. Est enim, ut Paulus Auicennaq; uolunt, uniuersi corporis cancer curatu contumax. Nec ex illis Galeni uerbis [Atqui in ijs omnibus figura primaria ratione deprauatur] rectè colligere uideris, (quod tamen facis) huius morbi primariam rationem in figuræ deprauatione consistere. Non enim id ullo pacto ex Galeni uerbis concludi potest, qui tantum hoc dicit, figuram in Elephantiasi primaria ratione, hoc est per se & primò deprauari, ut deprauatæ huius figuræ causa sit immediata Elephas: solumq; id inferri potest, figuram illam deprauatam quæ ad Elephantem sequitur, nullius alterius interuentu, sed ipsius morbi euenire: quod est primaria ratione deprauari. quæ tamen deprauata figura, partium quarum est, morbus instrumentarius erit: sed qui tamen alterius morbi (nempe Elephantiasis) sit symptωma. Non enim repugnat Galeno unum morbum, alterius symptωma esse. ut cap. VII. huius primi libri dum inquit: [Nam subinde morbus ex morbo nascitur, quando phlegmones, Erysipelata, herpetes, carbones, & id genus, febris comitatur] ut etiam III. de Sympt. diff. & VI. de Sympto. caus. ipsemet Galenus docet. Itaq; non ut tu sentis, Galenus Elephantiasis rationem atq; essentiam in figuræ deprauatione esse uult: Sed ad hunc morbum tanquam ad causam propriam & immediatam, figuræ deprauationem sequi. ut apertissimè ex eo loco quem adducis II. de Morbor. caus. cap. VII. colligi potest. Nam cùm nihil sui ipsius causa esse possit, deprauationis autem figuræ Elephas causa sit, uti uerba illa Galeni declarant: [Nam morbus qui Elephas nominatur figuram immutat] sequitur Elephantem non deprauatam figuram esse, sed deprauatæ figuræ causam. Sed iam de his satis.

IIII. VERISSIMVM illud est quod commentario II. cap. VI. dixi, & Galeni quem interpretor sententiæ omnino congruens, Si quid (inquam) actionis præcipuam partem offendat, atq; ea sola ratione functionem impediat, non morbum, sed morbi causam esse: sic enim eo capite Galenus [igitur (inquit) qui non per seipsos, sed quatenus primo actionis instrumento nocent, actionem impediunt, non morbi, sed morborum causa sunt] de morbis scilicet instrumentarijs loquens: de quibus etiam quod à me in Cõmentario eius partis dicitur, intelligi uolo. Nam cùm morbi ratio id potissimum habeat, ut qui lædit affectus primò & per

se

se nulliusq; interuentu actionem uitiet: consequitur, ut qui alicuius interuentu lædunt, iam non morbi sint, sed morborum causæ: uti de pterygio morbo oculi latissimè explico in meo ipso Commentario, quem tu non satis acutè (sit uenia uerbo) conuellere mihi uideris. Nec id sequitur, quod tu sequi ad id putas, unitatis solutionem in neruo, morbum nō esse: quòd ea sola ratione offendat, qua neruum præcipuam motus uoluntarij partem impedit. Nam dicere possum, non simile esse de unitatis solutione morbo communi, atq; de alijs instrumentarijs morbis, de quibus Galenus in ea parte loquitur, quorum eos tantum morborum nomine Galenus dignatur, qui nihil parti præcipuæ incommodantes, functionem tamen impedientes, morbi sunt censendi: ut unguis oculi, qui crystalloiden minimè lædens, functionem autem oculi impediens, morbus censeri debet, uti Galenus cap. VIII. huius affirmat. Sed si ab eo crystallois quadantenus in sui substantia læderetur, eaq; ratione actionem impediret: iam morbifica potius causa, quàm morbus dici deberet: tum enim non per se, & primò, sed quatenus parti præcipuæ noxam infert, actionem impediret: sicq; ei non morbi, sed causæ magis ratio conueniret. unitatis uerò solutio in neruo, non instrumentariæ partis, sed similaris potius morbus est. Itaq; tua non procedit ratio.

V. IN EXEMPLO de uenæ tunica quanquam quæ in Commentario meo ad caput VII. primi libri adducuntur uerissima sint, non tamen satis ad Galeni explicationem facere mihi sunt uisa, ut quod est ingenuè fatear: eumq; ipsum locum totum ipse dudum antea castigaueram: putoq; Galenum eo in loco [Quod si corpus quod in tumorem attollitur nullam propriam habeat functionem] de ea esse functione locutum, quæ instrumentariæ parti attribuitur, qualem esse uisionem, auditū, tactum, odoratum, gressum dicimus. Constat autem pleraſq; nostri corporis partes hac carere, quum nonnullæ usum tantū præstent, actionem ipsæ non efficiant: ut ex libris de Vsu partium, præsertim VIII. est uidere. Itaq; locum eum sic emendaui. Cùm uerò Galenus hic dixit, Si corpus quod in tumorem attollitur nullam propriam habeat actionem: non de hac scilicet propria intellexisse uidetur, cùm id esse non possit, ut nullam talem habeat, quod actionis cuiuspiam gratia creatum est: Sed de ea locutum puto, quæ instrumentariæ parti tribuitur, qua quidem functione pleraq; ex membris carere dicuntur: sunt enim quædam quæ functionem edunt, quædam quæ usum tantum præstant, ut paulò pòst cap. VIII. fiet manifestum. En appositius tractatam Galeni mentem: non enim ita mihi blandior, ut non magis semper ueritati, quàm meis aut cuiusquam scriptis tribuendū putem: quæ quidem una ratio, uiri boni disciplinarumq; studia sectantis, uel præcipua esse debet.

VI. CVM Herpetem crassæ & deurentis cutem bilis confluxum uoco, an non de exedente id planè debere intelligi sentire tibi sum uisus minimè sanè ignorans, quæ à Galeno XIIII. Metho. XI. ad Glauc. & plerisq; alijs locis eadem de re dicta sunt: Non enim te de me tam prauè sentire existimo, eos ut tu locos à me ignorari putes. Sed quando mihi de

 horum

horum tumorum (Erysipelatis nempè, & herpetis materia) in commentario esset loquendum, uellemq; ab Erysipelate herpetem interstinguere, uolui hac nota (appositissima sanè) discriminare: & si scio Galenū XIIII. Metho. humoris tenuitate hæc distinxisse. Sed de eo tum herpete locutus est, qui exedens non est, nec carnem depascitur: de quo præter Galenum, Paulus lib IIII. cap. XX. sermonem fecit: exedentem quidem herpetem à crassiore, miliarem à tenuiore bili, cui pituita (ut rectè Oribasius censebat) sit admixta, oriri pronuntians. Sed in hac re haud magna difficultas.

VII. EA DICI toto genere præter naturam, quæ nullo pacto homini secundum naturam habenti inesse possunt, rectissimè atq; uerissimè dixisse uideor: ultroq; confiteor, ac tibi dono, id ad mea dicta sequi quod tu infers, Pterygion scilicet, toto genere præter naturam esse. Nec uideo quomodo oppositum uelit Galenus, qui eum perpetuò, in alijs locis omnibus, in quibus de oculorum affectibus tractat, tum præcipuè in hoc ipso capite VIII. statuat pterygion inter morbos esse adnumerandum. Quòd si pterygion morbus est, ut Galenus & omnes uolunt: an non iure optimo toto genere præter naturam erit? Nec obstat quòd pterygion Galenus atq; polypum, sextumq; exuperantem digitum, ijs quæ naturali sunt habitu connectendum putarit: Nam etsi quatenus eorum spectatur essentia (quam quidem nostri corporis partibus quibusdam persimilem obtinent, pterygion quidem neruosæ substantiæ: polypus carnosæ) uerissimum id sit: tamen quatenus membrorum functiones lædunt, & homini secundum naturam habenti inesse nullo prorsus pacto possunt, eatenus præter naturam toto suo genere dici merentur. Id enim præter naturam propriè dicitur, quod naturali constitutioni suapte natura incommodat, & à naturæ modo recessit. Cuius sunt generis qui in libris de Tumore præter naturam describuntur tumores: morbi deniq; omnes, siue ad similares, siue instrumētarias partes pertineant. Morbificæ item causæ omnes, atq; demum symptomata quæ morbos ueluti umbra corpus sequuntur. Hæc enim est eorum quæ præter naturam sunt, à Galeno atq; Auicenna facta dinumeratio. His ego septimæ tuæ annotationi satisfactum abundè arbitror.

*Præter naturam quid dicatur.*

VIII. QVAE IN commentario quarto capitis octaui à me dicuntur, de ijs partibus quæ functionē aliquam toti utilem edunt, uel quæ usum præstant: tanquam à ueritate aliena damnas. Cùm dico, principes in nobis partes cor, cerebrum, iecur, & testes, functiones eas edere quæ ad indiuidui, uel speciei conseruationem faciunt: hæc tu si tanquam falsa reprehendis, calumnia est hæc. Qui enim falsa esse possunt, quæ communi medicorum omnium asseueratione atq; consensu, ueritatis deniq; robore constant? Si uerò tanquam à Galeni sensu (cuius ego mentem sequi debeo) alienissima esse putas: quòd non de ijs, sed de alijs instrumentarijs partibus intellexisse Galenum affirmes: quarum aliquæ actionem ipsæ perficiant, aliæ usum præstent. Hac in parte satisfacere tibi debeo, illud in primis affirmans, cùm de principibus partibus loquor in commentario meo, non eas solas me dixisse functionem edere toti utilem, ita ut alias ue-

lim

lim excludi partes quæ principes non sunt. Nam ad finem commentarij sententiam meam explicans, ac meipsum ueluti interpretans, hæc subiungo: Sunt item (inquio) in instrumentarijs partibus præcipuæ quædam, quæ actionem ipsæ efficiant, aliæ quæ actioni usum præstent: uti in oculo crystalloides uidendi actionis præcipua est pars: reliquæ in oculo, actioni huic commodum quendam usum partes præbent. Et paulò pòst, Quasdam uerò in nobis partes, non unicum tantum præstare usum, alias item multiplicem functionem habere, in confesso quidem est, uti mox ad finem commentarij de gurgulione, de uenis & arterijs probo. Vides itaq; Marine, me non solùm de principibus partibus, sed de alijs etiam, quæ functionem unam aliquam toti utilem edunt, esse locutum? Quin illud uelim scias, non mea culpa factum esse, ut hoc commentarium quartum capitis octaui meum, mancum legatur. Nam linea X. eius commentarij post dictionem illam [subsistit] hæc desunt, quæ in typographia omissa sunt: tum etiam quæ unam quampiam actionem toti utilem edunt, uti uisionem, auditum, odoratum, gressum ad hunc ordinem sunt referendæ. Vides me tecum conuenire, neque à tua, neque à Galeni sententia auersum aliena sentire? Legenda itaq; tibi erat, probeq; inspicienda uniuersa commentarij mei series, antequam eam ueluti ream capitis damnares.

IX. DE TVMORE uerò qui phlegmonem comitatur, quæ à me dicuntur commentario X I. capitis X I I. non solùm uerissima ipsa sunt, sed etiam ipsissima Galeni uerba, eo in loco, cui commentarium scripsi. Ait enim Galenus: Deniq; tumor in ipsis (de partibus phlegmone & ulcere obsessis loquens) si ad tantam magnitudinem attollatur: ut ob hanc ipsam functio impediatur, morbus censeri debet. alioqui uel symptωma, uel pathema duntaxat, quemadmodū dolor. Hæc Galenus in litera (Græca autem non apposui, ne in immensum excurrat nimia mole liber). Ego uerò in eius partis commentario hæc: Qui uerò in phlegmone subest tumor (quod mox subdit Galenus) si actionem per se ipse offendat, morbus certè erit, nempè qui uel ad figuram & conformationem, uel ad consensum partium pertinet, cùm ab eo isthæc uitiari contingat. Si uerò actionem non lædat, phlegmones symptωma erit. An non eadem ego tibi cum Galeno dixisse uideor? Videbor certè, si Galeni seriem cum meo commentario contuleris. Sed quæ tu in contrarium adducis, minimè procedunt. Nam non ut tu putas, phlegmone tumor est, neq; id uoluit Galenus in serie illa quæ proximè commentarium meum sequitur, quanquam phlegmonem, rubentem renitentemq; tumorem, & qui dolorem inferat nominandum censuerit. Non enim sequitur, phlegmone renitentem cum dolore & rubore tumorem continet, itaq; tumor est? phlegmones enim essentia non tumor ille est, sed confluxus sanguinis iustò copiosioris, qui ruborem, renixum, tumorem, doloremq; pariat: sunt enim hæc phlegmonem comitantia symptωmata, à quibus tamen in unam quandam essentiam coalitis uerè denominari phlegmonem cum Galeno censeo: multos nanque scis morborum à suis ipsorum symptωmatis nomenclaturas suas sumere, uti Galenus 14. Meth. medendi exactè docet. Itaq; & si phlegmo-

ne, rubens cum renixu & dolore tumor dicatur, non ab eo tumore morbi ratio, sed ab eo quod morbi essentiam constituit erit petenda. Quippe tumor in phlegmone non primò & per se functionem lædit, sed potius confluxus ille sanguinis parti iam impactus. Nam ab hoc ipso confluxu, partis primò læditur functio, non ab ipso tumore qui confluxum hunc continuò sequitur. Nec tua procedit ratio, si tumor phlegmones symptωma est, idem sui ipsius symptωma erit: malè siquidem colligis. Non enim ut antea dixi phlegmones essentia in tumore consistit. Neq; etiam quam tu ex Galeni libro de morborum temporibus adducis ratio, neque quam postea subnectis procedunt. Nam uerissimum illud Galeni est, initiantem phlegmonem, suam ipsius speciem, suamq; essentiam atque cùm increuit habere: ut enim phlegmone sit, sat est confluxum esse copiosi sanguinis, qui in parte ruborem, renixum, dolorem, tumoremq; faciat. Quæ quidem omnia phlegmone ab initio continet: non tamen inde sequitur, phlegmonem ipsum tumorem tantum esse, quod tu uis. Hallucinaris autem ualde tu mi Marine, in ea quam formas ratione, dum inquis, si tumor symptωma phlegmones est, ut ego quidem sentio, oportet phlegmonem morbum esse: uerissimum hoc quidem est. Sed cùm infers: At uerò quomodo morbus erit, si actionem non lædat? Iam hic falleris. Nam quod de tumore dictum oportuit, tu de phlegmone dicis. Tumor enim actionem non lædit si exiguus sit, ut Galenus in litera ait: eoq; symptωma est phlegmones, quæ tamen & ipsa perpetuò actionem lædit. Atq; his ego Marine, annotationibus tuis in primum librum meorum commentariorum factum satis esse puto: nisi tu tibi ipsi placere, quàm ueritati dare manus magis uelis: quod de te probo doctoq; homine existimare minime decet.

## AD LIBRI SECVNDI ANNOTATIONES RESPONSIO.

1 PAVCA sunt quæ in secundi libri commentarijs annotasti: illudq; in primis tibi non probatur, quòd calidum morbum dixerim omnium esse perniciosissimum, multoq; maximam inferentem noxam. Mihi uerò dictum, non quod meum sit, sed probatorum in medicina & philosophia autorum omnium ualde probatur. Nam perniciosissimum ego eum morbum unà cum Galeno dici existimo, qui & uehementissimus sit, & ualde ægrum turbet, in mortisq; discrimen celeri suo motu atq; impetu ducat: hos enim pernitiosos & graues Hippocrates & Galenus libris de Popularibus morbis uocare cõsueuerunt, qui citò hominem malignitate sua perdant: unde rectè definiunt Pestilentiam esse perniciosam Epidemiam, breui quos inuaserit rapientem: hos etiam Acutos communi appellatione nominandos censuere. Esse autem perniciosissimos calidos morbos, ex ea Hippocratis serie, quæ primo de ratione uictus in morbis acutis scripta est, patere euidentissimè potest. Acutos enim morbos enumerans, non sanè alios, quàm calidos, & qui malignitate sua secundum plurimum perdere homines soleant recenset.

*Ἔστι δὲ ταῦτα ὀξέα, ὁκοῖα ὠνόμασαν οἱ ἀρχαῖοι, πλευρίτιν, καὶ περιπλευμονίην, καὶ φρενίτιν,*

καὶ

καὶ λήθαργον, καὶ καῦσον. καὶ τ' ἄλλα νοσήματα, ὁκόσα τουτέων ἐχόμενά ἐστιν. ὧν οἱ πυρετοὶ τὸ ἐπίπαν ξυνεχέες ὄντες, κτείνουσιν.

Sunt autem (inquit) ij morbi acuti quos ueteres uocauerunt, pleuritim, peripneumoniam, insaniam, lethargum, ardentem febrem, & si qui alij illos sequantur: inter quos omnino febres cōtinuæ ægrum perimunt. An non hic conceptis uerbis Hippocrates acutos morbos, qui & perniciosissimi ipsi sunt, enumerans, calidos esse omnes uoluit? Pleuritis enim, peripneumonia, furor, lethargus, ardens febris è calidorum morborum ordine esse censentur. Vt autem indicaret calidum morbum pernitiosissimum esse solere, meritò addidit ardentem febrem, seu continentē, ægrum perdere. Quod fortasse animaduertens Isaac summus inter Pœnos medicus, libro qui de Febribus inscribitur, febrim morborum omnium pessimum uocandum censuit: quòd & suapte natura magnus sit morbus, & ad principem partem præcipuè, nempe cor attineat, & impetu suo, si grauis sit febris, citò hominem tollat. Quosnam tu quæso alios, quàm calidos morbos sæua creare symptωmata, delyria, uigilias, animi deliquia, syncopas, cardiogmos, agitationes, inquietudines & mille id genus uideas? Siccitatis morbos tu cum calidis conferes? minimè puto. Nam etsi (ut ais) ad curandum sit sicca & marasmodea intemperies difficillima, (quod VII. X. Metho. uult Galenus) non tamen æquè, ac quæ calore immodico lædit, ad nocendum est efficax, non tam citò perdens, non tam ualida creans symptωmata: quòd lenta sit eius actio, nec impetum, celerem'ue motum, uti calor habeat. Quæ enim ab humido & sicco alterationes fiunt, pigræ sunt, tardæ, parum'q; efficaces, si ad calidas conferantur: quòd scilicet à qualitatibus fiant ad agendum parum idoneis: uti Galenus libro de Constit. artis medi. & Aristoteles IIII. Metheororum & XI. de Gener. & corr. abundè testantur. Maneat itaq; constans Marine, quod à me dictum est, calidum morbum esse omnium qui à qualitatibus fiunt perniciosissimum, hoc est, grauissimum, & maximam inferentem noxam: ut qui à qualitate fiat omnium maximè efficaci, & ad agendum prompta.

II. ACRIOREM esse in Erysipelate putredinem, mitiorem in phlegmone (si putrescere in utroq; humorem contingat) ex Galeni sententia atq; monumentis dixisse mihi uideor. Galenus nanq; eum explicans Hippocratis aphorismum, qui septimæ sectionis uigesimus est, Ab Erysipelate putredo aut suppuratio (inquit) in malignis Erysipelatis, putredinem suppurationem'ue euenire. Id uidelicet subindicans, eam quæ in erysipelate nascitur putredinem, non nisi malignam esse posse, quòd acris sit & mordax qui eam parit humor. Vti enim bilis sanguine acutior est, sic quæ in ea accenditur putredo acrior erit: hoc est, acutior, maligníor, ac qualitate uehementior. Ob id nanq; Galenus, tum XIII. tum XIIII. Meth. refrigerationis indicationem uincere eam quæ à uacuatione petitur in erysipelate optima certè ratione uoluit: quòd calidior sit, acutior, acrior'q; qui ipsum excitat humor. Erysipelas enim, herpes, atq; carbo, uitiosi & maximè calidi excrementi germina sunt: uti XI. ad Glauc.

Glauc. & libro de Tumo. præter natur. & XIII. & XIIII. Meth. legi poteſt. Quam etiam rurſus meam ſententiam idem Galenus XI. Therap. ad Glauc. confirmat, cùm Eryſipelas morbum eſſe inflammatione multò calidiorem aſſerit. Quod uerò Galenus eodem libro, Eryſipelas non tantum inferre dolorem atque phlegmonem aſſeuerat: ſi de tenſiuo id intellexit, ueriſsimum id eſſe nemo ambigit: quantò enim bili craſsior ſanguis, tantò certè tenſionem maiorem infert. At ſi de ea quæ ab humoris influxu fit acrimonia, maior certè in Eryſipelate, quàm in phlegmone concitatur dolor: acrior enim, moleſtior ac planè feruentior eſt in eo ſenſus, ut uri membrum uideatur. Quin neque etiam diſtenſionis ſenſu carent, qui Eryſipelate præhenduntur: inquiente Galeno XIIII. Metho. non uehementi tantum inflammatione, ſed etiam quantitate Eryſipelas affligere. Nec procedit tua ratio quam cõtra Galenum adfers, in phlegmone enim plus eſt caloris, ſi abundantiam & molem ſpectes: in Eryſipelate amplius, ſi mordicationem & acrimoniam. Itaque non perpetuò ſequitur ubi plus caloris, amplius ibi ſubeſſe doloris, ſi qualitatem attendas. plus enim mordentis qualitatis ineſt Eryſipelati, quàm phlegmoni: minus tamen doloris pulſatiui & tenſionis ſenſum inferentis. Atque hæc ad ea quæ in ſecundo meorum commentariorum libro annotaſti ſufficere arbitror.

## AD LIBRI TERTII ANNOTATIONES RESPONSIO.

1 CVM dolorem rei contriſtantis & in contrarium naturæ habitum mutantis repentinam perceptionem eſſe dico, cum Galeno & medicis omnibus, atque adeò ipſo Platone dixiſſe uideor: ſic enim ille in Timæo, Triſtis (inquit) ſenſus affatim uiolenterque incidens dolor eſt. Atque id quum dico, eam minimè excludo, qua in naturalem habitum de repente mutatio fit: dolorifica enim & hæc eſt, ut rectè tu ex Galeno XII. Metho. medendi colligis: qui ſanè locus meo commentario nullatenus aduerſatur. Nam eo quem tu citas loco, id tantum uult Galenus, non ſolùm mutationem eam qua in non naturalem habitum corpora deducuntur: ſi confertim id fiat, dolorificam eſſe: ſed eam etiam qua ad naturalem ſuum ſtatum redeunt, ſi id modò affatim ſubitòque fiat. Quo quidem in loco, etſi uideri cuipiam poſsit ſui oblitum Galenum, quòd pugnantia ijs quæ in quarto de Symptωmatum cauſis ſcripſerat, dixiſſe ſit uiſus (uti ea tota de re longiore oratione: & Galenum ab controuerſia uindicare, & illius aduerſarios locos conciliare libro mearum Enarrationum ſategi) non aliud tamen uoluiſſe eundem XII. Metho. exiſtimo, quàm eam mutationem quæ ſubitò fit, etiam ſi per eam ad naturalem habitum regreſſus fiat: ea tantum ratione qua ſubitò fit, dolorificam eſſe. Non enim dolorem parit quà naturalis per eam ipſam habitus reſtituitur: ſed per id, quòd immodicè, affatim, uiolenter, confertimque id fit. quod autem eiuſmodi, id & præter naturam eſt omne, & dolorificum: eaque ratione fieri dixit Galenus, ut quæ perfrigerata eſſent corpora, ſemel calfacta dolorem uehementem ſentirent, quòd uidelicet ſeſe contrario quodam naturæ

*Loci Galeni explanatio.*

modo

modo ad naturalem habitum conuertere uoluerint, hoc est, uiolenter, properè, cōfertimq́; cùm naturæ peculiare sit atq; propriū, conuersiones has statas, quietas, sedatasq́; facere, non præcipites, uiolentas, confertasq; ut Aphorismorum II. & in Epidemijs Hippocrates testatur, & Galenus in arte medicinali, eo quem tu citas loco, Quæ ego & obiectionibus tuis, & locorum Galeni, qui sibi pugnare uidentur, conciliatione satisfacere abundè puto.

II. PALPITATIONIS quam tu à me datam definitionem damnas, cōmentario penultimo cap. II. non ita mihi omnifariam damnanda uidetur: nam cùm eam dico immodicam esse musculorum distensionem & dilatationem, non'ne uerum tibi dixisse uideor? At non solis musculis palpitatio conuenit, sed alijs omnibus partibus quæ distingui attolliq; possunt, uti utero, uesicæ, intestinis, arterijs, cordi, conuenire Galenus quinto huius tractationis libro dixit. Non itaq; congruè (à te Valleriola) palpitationis definitio tradita est. Respondeo, non me palpitationem eo loco exactè definire uoluisse, (non enim eius symptωmatis ad seuerum unguem examinandi locus tum commodus erat) sed tantum per id quod notius est quodammodo adumbrare eam uoluisse. Fit autem magis nobis per musculorum distinctionem, quàm per alterius cuiusuis membri, palpitationis natura notior: ut quæ frequentius musculis quàm cæteris partibus obueniat. Tu uerò si scripta mea quæ ad caput secundum quinti libri, eiusq; commentario sexto appinxi, attentius perlegisses, non sic criticè nimium explicationem meam reiecisses. Eo enim loco ingenuè cum Galeno confiteor, palpitationem membris omnibus conuenire quæ distingui attolliq; possunt: eiusq; symptωmatis rationem omnem, naturamq́; abundè trado: ut me tu non tam inscientem existimare possis, ut credam solis musculis palpitationem conuenire.

III. TVSSIM & sternutamentum ad animæ functionum genus pertinere cùm dico: etsi cum Galeno id astruo, quod & tu minimè negas: uis tamen quæ in contrarium sunt eiusdem Galeni sententiæ, ut à me tibi explicentur, ne sibijpsi pugnare Galenus uideatur. Itaq; non uereor quin tibi in hoc cumulatè satisfaciam. Esse autem utraque hæc, tussim & sternutamentum, animæ opera, locus ille Galeni V. huius tractationis libro, cap. IIII. indicat. Qui uerò à te adducitur locus V. eiusdem cap. VI. non facit, quo minus non ad animam hæc pertineant. Nam etsi facultatis expultricis sternutamentum & tussis ualidi uiolentiq; sunt motus: non tamen ob id consequens est, eos à natura motus, non ab anima fieri. Nam cùm musculorum thoracis & intercostalium ope motus ij fiant, (ut bellè Galenus eodem cap. IIII. quinti libri deducit: inquiens, tussim ab ijs instrumētis perfici, quæ uehementes perficiunt respirationes, quum in asperis arterijs molestum quippiam constiterit: sternutamentum uerò, spiritu à cerebro uiolenter emisso, eaq; in emissione utroq; expirationis meatu utente, (nempe thorace & ethmoideis ossibus) fit necessariò, ut ad facultatem animæ, non naturæ motus ij pertineant. Neq; enim hoc satis est ipsos ab expultrice facultate fieri, ut à natura fieri dicantur: sed re-

quiritur expultricem facultatem ipsam, in ijs motibus perficiendis nullo uti musculorum ministerio: uti in uomitu fit, quem cùm natura mouet, nullo utitur musculorum præsidio, sed sola uentriculi euersione atq; contra naturam motu. Quamobrem meritò hunc ad naturalem facultatem, non animalem pertinere idem Galenus dixit eodem ipso capite. Qui uerò à te adducitur ex cap. III. eiusdem libri locus, ad diluendum facilis est. Nam cùm uult Galenus talem esse per tusses in pectore & pulmonibus facultatis expultricis actionem, qualis per uomitiones in uentriculo: id tantum uult, similem quidem esse facultatis actionem in utriusque partibus, quod ad expulsionem excrementorum pertinet: utrobiq; enim irritata à nocente natura, ad propellendum quod infestat insurgit, sed non eodem modo: nam quæ uentriculo nocent, nullo membrorum quæ uoluntatis imperio reguntur ministerio, nempè musculorũ, explodit: contrà uerò quæ thoraci & cerebri uentribus inhæserunt, musculorum ministerio obit. Malè itaq; colligis sic dicens, Qualis est per uomitiones facultatis expultricis actio, talis est per tusses: sed in illa est merè naturalis, ergo in hac. Non enim procedit similitudo, ut dixi: id enim perinde est, ac si sic argumenteris, Qualis est intestinorum in pellendis excrementis actio, talis & thoracis: (cùm utrobique à facultate expultrice motus fiat, excernanturq; quæ nocent excrementa) sed intestinorum naturalis est, ergo & thoracis. Quis hoc dixerit? Quod uerò paulò pòst ex eodem Galeno affers, inquiente isthæc naturæ opera esse. Respondeo: *Natura Galeno quid.* Naturæ nomine eo loco Galenum intellexisse eam qua regitur animal facultatem. hanc enim Galenus V. huius tractationis libro, cap. I. naturam uocare solet. Per naturæ uocabulum (inquit) intelligas uelim omnem qua regitur animal facultatem, siue illa à uoluntatis nostræ imperio pendeat, siue secus. Non autem intellexit facultatem eam, quæ peculiari nomine naturalis dicitur: ut eam contra animalem & uitalem distinguamus. Quæ ego adductis à te in contrarium sententijs sufficere abundè arbitror.

IIII. QVOD in dubium reuocas de sede in lethargo affecta, cùm medicinam factitantibus omnibus uideatur posterior cerebri esse sedes, posteriusq; uocatum cerebrum: Paulo uerò & Galeno (ut tu putas) media cerebri pars: perfacile est hæc dissoluere. non enim Galenus XIII. Metho. medium cerebri uentrem in lethargo affici dicit: sed id tantum, lethargum capitis esse affectum, in quo princeps animi pars residet: sic enim ait, Gignitur autem in capite (de lethargo loquens) in quo scilicet princeps animi pars residet. Id inquam ex Platonis dogmate mutuatus, qui principem animi partem, quæ rationis est particeps, in capite ceu arce locauit, ut latissimè in Timæo docet. Nec aliud à Galeno Paulus dixisse uidetur cap. IX. tertij, cùm ait, Lethargum noxam quandam esse rationalis potestatis: nam per lethargum non memoriæ solùm, sed & aliarum principum facultatũ functiones malè fiunt: memoratiuæ quidem omnino auferuntur, ratiocinatricis uerò & imaginatiuæ, uel deprauantur, uel certè debiliter fiunt, ut apertè in sic affectis est uidere. Sed cùm non longiori ad hanc rem probandam sermone opus sit, quæ tota experimento constat,

conſtat, finem facio.

V. AD VITIATAM nutritionem atrophiam ſequi nõ eſt quod alienum à ueritate exiſtimare poſsis: uerißimum ſiquidem eſt, læſa quomodolibet ea actione quam nutritionem dicimus, atrophia animans laborare. Quippe ſiue non apponitur, ſiue non unitur, ſiue non aſsimilatur corpori alimentum, nutriri deſinit corpus. Quanquam enim ad hæc ipſa munia, ſi læſa ſint, uaria atq; diuerſa ſequantur ſymptomata: nempe ad aſsimilationis defectum, uitiligo & elephas: ad unitionis uerò, anaſarca: ad appoſitionis inopiam, atrophia. Tamen quæcunq; harum actionum lædatur, (ſi modò perſtet) in atrophiam deducit animans. Perinde enim ali deſinit corpus, (quanquam alio atq; alio modo) ſiue elephante aut uitiligine, ſiue anaſarca laboret. Itaq; uerißimum eſt quod à me dicitur, Viciata nutritione, hoc eſt quomodolibet læſa, atrophia laborare animans oportere. Si enim uitiatur ea actio, cuius beneficio corpus ex alimento fructum ſentit: neceſſarium tandem eſt contabeſcere corpus, atq; ſiccitate languere. Siquidem tabes Galeno eſt uiuentis corporis ex ſiccitate conſumptio. *Lib. de Tabe.* Sed hæc tibi notiora ſunt, quàm ut multis à me uerbis explicari oporteat. Tempus uerò eſt ut ad ea quæ in quarto mearum commentationum libro, tanquam tibi non probata adnotaſti ueniam, ſcrupoſq; eximam omnes.

## AD LIBRI QVARTI ANNOTATIONES RESPONSIO.

A REI diſtantioris ſimulacro fortem & ualidum fieri motum in oculo, uerum eſſe poteſt, niſi ita intelligas, ut in re longinquius poſita diſcernenda ualidiorem fieri in oculo motum, uiſiuamq; facultatem plus laborare, quàm in re propius ſita oporteat. 1
Cùm enim diſtans ſit interuallum inter uiſibile ipſum, & oculum: fit, ut in eo diſcernendo multos & bene temperatos, atq; lucidos ſpiritus confluere in oculum oporteat, quo rem ipſam eminus poſitam intueatur: ſicq; ualidiorem fieri in oculo motum. Quanquam (fateor) non ab ipſo rei diſtantis ſimulacro, ut quod imbecillius in oculum agat, quod tu doctè probas. Illud enim ab Ariſtotele proditum ſcio, Omne agens fortius in propinquum, quàm remotum agere. Sed quod ueritati magnam in hac parte inuſsit notam, eſt typographi erratum, qui ſic ſcripſit: A rei diſtantis ſimulacro fortem & ualidum in oculo fieri oporteat motum: quum in exemplari mea manu ſcripto, ſic eſſet: Quinetiam cùm ad rei diſtantioris perceptionem, fortem & ualidum in oculo motum fieri oporteat, &c. quod uerißimum eſt, & nullam calumniæ cauſam præbere poteſt. Atq; hæc de primo.

II. IN naribus perfici olfactum omnes aſſerere, rectè à me dictum uidetur, ſiue Peripateticorum dogma, ſeu etiam Galeni ſequi uelimus, ſiue etiam Arabum. Peripateticorum principem Ariſtotelem id ſenſiſſe dubium non eſt: nec tu negas, ſiquidem I. de Natura animalium cap. XI. ſic ait, de naſo loquens: Aërem (inquit) ea parte reddimus & accipimus. Paucisq; interpoſitis ſubdit, Olfactus quoq;, id eſt, ſenſus odoris, hac ea-

dem parte sumministratur. Huius uerò præceptor diuinus Plato, in eo quem de Vniuerso conscripsit, ad nares odorandi munus refert: cùm id quod spirare uaporē aliquem potest, in nares inciderit, animansq; ipsum unà cum spiritu (quem intrò harum partium adminiculo trahit) odorem quoque ipsum inspirando percipit. Themistius Aristotelis discipulus II. de Anima, cap. XXIIII. & Alexander Peripateticus libro item de Anima, idem censent. Atq; Auerrous fidus Aristotelis interpres commento C. secundi de Anima libri. Quid uerò Galenus? non'ne VIII. de Vsu partium id apertissimè est testatus? Sic enim ait cap. VI. eius libri ad finem, Foris (inquit, de naribus loquens) intrò sensibilia & obiecta uirtutis odoratiuæ: intus autem foras per narium meatus excrementa efferuntur. Quid his uerbis apertius dici excogitari'q; potest? Et paulò antè eodem ipso capite, Obstructis (inquit) ab aliquo naribus, (sicut & alicubi Plato ait) odor quidem nullus pertransit. Et rursus: Ita organum unicum (de naribus loquens) duabus his utilitatibus famulatur, quarum una quidem ad ipsam uitam, altera uerò ad uiuendum melius, est necessaria. Quid Paulus Galeni simia? ho cinquam, horum meatuum obstructione aut uitio aliquo, odoratum maximè lædi. Id minimè dicturus, ni ad hanc partem pertinere odoratum plenè agnouisset. Aëtius uerò libro VI. cap. XCVII. respirandi & odorandi gratia meatus eos productos esse qui à cerebro ad nares deueniunt exactissimè docuit. Nec obstat quod ab eodem autore eo ipso loco dicitur, uaporum sensorium intra caluam esse: sunt enim nammillares illæ partes, ad summum atque intimum narium positæ, quæ odorandi organum proprium dici merētur. & ad nares pertinere anatomici omnes uolunt. Sed quid in re manifestissima moror? Ex classicis autoribus omnes idem quod ego sentiunt, idem practici, idem anatomici omnes. Siquidem Alexander Benedictus lib. IIII. suæ de partibus corporis humani historiæ, cap. XXXIX. nasum ob id in edita atq; eminentiore faciei parte positum putat, quòd odoris percipiendi ratio eum situm exposcat. Odor (inquit) omnis ad superiora fertur: rectè itaq; in superiori parte nasus constituitur. Georgius Valla in eiusdem argumenti libro, Nares (inquit) quod humore natent à Græcis etiam myxæ nominantur. Vnde muccum dici reor. Et paucis interpositis, inde sensus olfactus &c. Guinterius lib. III. oculos nasus interiacet odoratus instrumentum. siquidem eo restricto, per os inspirantes nullum odorem percipimus: adaperto autem, statim de odore iudicamus. Quid quæso explicatius, apertius, clarius dici, excogitari'ue potest? Eadem Carpus Mundimus, & in summa omnes qui de humani corporis sedibus atque anatome doctè sciteq; scripserunt. Qui uerò à te in contrarium ex Galeno adducuntur loci, tantum id probant in intimum & reconditum locum, summasq; narium partes, qua se cerebro committunt odoratus sensorium esse: quod & uerum est, & ingenuè proiecta hasta fateor. Atq; hæc satis.

*Nares unde dictæ.*

III. FIERI non posse, ut seruato motu pereat in parte sensus: quod à me in commentario ultimo cap. V. dictum est, Galenus in hæc uerba confirmat: Neq; aliter (inquit) unquam accidere deprehendes, ut moueatur

tur quidem nudus muſculus, ſed non ſentiat &c. Quod uerò in contrarium adfers Elephantiaſi laborantium experimentum, qui mouendi functionem integram habent, uitiata ſentiendi functione, Galeni ſententiæ non repugnat. Nam Galenus cùm illud uult, fieri non poſſe, ut ſeruato motu pereat in membro ſenſus, de ijs membris intelligit, ad quæ ſenſus & motus eiuſdem nerui præſidio ueniunt: cùm maior facultas ad motum, quàm ad ſenſum præſtandum requiratur: uerùm in elephanticis, qui ad cutem deducuntur nerui obſtructi ſunt, craſſo & atrabilario ſucco obſtructionem faciente: unde illis ſtupor & ſentiendi noxa aduenit: non ſic uerò qui ad muſculos internè deducuntur. Quamobrem nihil mirum, ſi ſeruato in eis motu pereat ſenſus: ſic enim ea de re Galenus, Fieri (inquit) poteſt, ut neruus per cutem diſperſus offendatur: qui uerò per muſculum ſpargitur, noxa uacet. Sic è contrario fit, ut illæſo cutis neruo, lædatur neruus muſculi, III. de Sympt. cau. cap. V. ad finem. Itaq; non amplius in his morandum mihi uidetur.

III. CALOREM & frigiditatem ſi modum ſuperent, ex æquo mordacia fieri, & illatiua doloris: non ſic perinde accipi uelim, ut eas æquatis uiribus id præſtare poſſe intelligamus: cùm caliditas maiorem multò quàm frigiditas, tum dolorem, tum mordicationem inferat. Sed perinde intelligendum id erit, ut per illa duo uerba (ex æquo) non æqualitatem potentiæ & uirium, ſed ſimilitudinem quandam & paritatem in agendo intelligamus. Ex æquo enim apud Grammaticos, pro pariter, ſimiliter, eodem modo poni ſolet: ut cùm dicimus, Tu & ego ex æquo pugnamus, ualemus, aut quippiam facimus: id eſt, pariter idem efficimus, etſi unus altero in eodem effectionis genere præſtet. Tamen Ex æquo ab utroq; id fieri rectè dicimus, ut ſit ſenſus, Quod ille facit, tu quoq; facis. Sic cùm dico, Caliditas & frigiditas ex æquo mordacia ſunt: non intelligo, æqualiter mordacia eſſe, & illatiua doloris: ſed utrunq; ab utroq; fieri, tam à calido, quàm frigido mordicationem & dolorem inferri: etſi non paribus interuallis, neq; potentijs, Miror'q; uehementer te, qui in primis illis diſciplinis uocum & orationis ſtruendæ, non infimas partes teneas, ſignificationem complexi huius (Ex æquo) ad mea ſcripa modeſtius interpretanda accomodare noluiſſe. At de his ſatis.

V. IN PROFVNDO ſomno nihil omnino facultatis animalis ad ſenſuum inſtrumenta mitti, ueriſsimè mihi dixiſſe uideor. Cùm enim ſit ſomnus quies facultatis animalis, quãtò altior & profundior erit ſomnus, tantò ceſſationem hanc & quietem maiorem eſſe oportebit. Quomodo enim in altiſsimo ſomno facultas mitti poterit, cùm ita tum ligati ſenſus ſint, ut nec uocati dormiẽtes, nec ualidè etiam pulſati quicquam ſentiant? Ob id enim altum dormire quenquam dicimus, quòd magna ſit in inſtrumentis ſenſuum obſtructio, magna caloris intrò reuocatio, magna functionum omnium animalium (reſpiratione una tantum excepta) ceſſatio. Quamobrem neque pulſati ſentiunt, nec uocati reſpondent, nec ſe plus loco mouent quàm ſi dura ſilex aut ſtet marpeſia cautes. Nec quæ ex Galeni libro de motu muſculorum adfers, huic meæ ſententiæ aduerſantur.

*Somnus quid.*

*Altum dormire quid.*

ſantur. Nam etſi muſculorum per ſomnos actio non omnino ocioſa eſt, quum ſeſe dormientes & moueant, & iactent: non tamen qui altum dormiunt,& profundo ſe crediderunt ſomno,muſculorum actione utuntur, aut illa indigent:nec credendũ, eos qui muſculorum per ſomnos functione utuntur,profundum dormire. Quemadmodum & illud pro confeſſo habendum, in remiſsiore ſomno, nonnihil eius facultatis ad membra mitti.ut Galenus illo ipſo de muſculorum motu libro adfert: & ego ingenuè id ipſum affirmo in meis ſcriptis cùm hæc dico: Quòd ſi profundus ſit ſomnus,nihil omnino mittitur:ſi remiſſus,nonnihil,&c.

VI. FALLI me ais Marine, quòd excretionis & reddendæ urinæ functionẽ ad uoluntarium quadãtenus motum pertinere dixerim: fieriq́; eas ipſas ani & ueſicæ muſculorũ adminiculo.Mirari hac parte ſubit, Marine,talia à te docto homine dicta eſſe. Quis enim neſcit, functiones has, mictionẽ dico & excretionẽ,uoluntatis ductu atq; imperio quadantenus fieri? cùm pro huius arbitrio ad excrementorum, urinæ'ue expulſionem, incitatis nobis, & urinam reddere, aut detinere, & alui retrimenta poſsimus.Niſi enim hæc pro uoluntatis arbitrio fierent,qui quæſo contingere poſſet,ut ui retentis alui recrementis (cùm ſcilicet in honorato quopiam loco exiſtẽtibus,coram'ue magiſtratu reddere excrementa ueremur) uolvuli,& tormina,coliciq; dolores fierent? quod fieri tamen Galenus lib. VI. de Sympt. cau. ingenuè eſt profeſſus. Minimè autem hæc euenirent, ſi ut primum ad hæc foras pellenda excitamur,ea mox redderemus. Sic interdum ui retenta urina, iſchuriam fieri ſæpe uidemus: ut reddere urinã cùm uelimus,impleta nimiũ ueſica,nec ſeſe conſtringere potente,ægrè urinam dimittamus.An non hæc experimẽto maximè cõſtant? quòd ſi conſtant, quid requirendum amplius exiſtimas? Sed age id ex Galeno probemus: is VI. Locorum affectorum ex profeſſo inteſtinorũ & ueſicæ munia enarrans,eaq́; ab inuicem diſtinguens, eos carpit qui ueſicæ officiũ à conſilio & electione pendere arbitrarentur: ob id,quòd lotium retinere quoad uoluerimus,& rurſus id pro uoluntatis arbitrio excernere poſſemus: cùm tantum ueſicæ officiũ unicum ſit,nempe urinam cõprehendere, atq; complecti: meiendi uerò, aut deijciendi actio, non ad inteſtina, ueſicam'ue ipſam, ſed ad muſculos uenit referenda: ſic enim ea de re citato nunc loco Galeni.Quod ut manifeſtius fiat,parteſq́; ipſe meas ex Galeno tuear,uniuerſam ſeriem ſuppingere non pigebit.

Neq; neruorum (inquit) à ſpinali medulla exortorum, neq; etiam ſpinæ ipſius affectus,ueſicæ tantam imbecillitatem afferre poſſunt, ut urina propterea ſupprimatur: quemadmodũ nõnulli putauerunt,credentes ueſicæ officium à conſilio & electione procedere,quòd ſcilicet urinã retineamus quoad uoluerimus, atq; eam pro uoluntatis imperio excernimus. Verùm (ſubdit) ſatius fuiſſet,noſſe non ueſicæ, ſed meiendi officiũ,ueluti etiam deijciendi,non inteſtinorũ munus ab electione conſilioq; pendere.

Quid apertius ijs uerbis dici, quid in meam ſententiam appoſitius aut congruentius poteſt? cùm dicat Galenus, meiendi atq; deijciendi munus ab electione conſilioq; pendere, non autem ueſicæ inteſtinorum'ue officium?

cium? Ego uerò in commentarijs meis dixi, Egerere, & mingere (sic enim ipse loquor) quadantenus ad uoluntarium motum pertinent. Particula autem quadantenus, non temerè hoc loco à me posita est: quòd reddendi lotij, uel retrimentorum alui ratio, non omnino uoluntaria sit, ut rectè Galenus eodem ipso loco sexti de Locis affectis testatur: eos arguens, qui cibi, excrementorũ, atq; urinarum deiectionem, totam ab electione procedere existimauerunt. Vti etiam eos longissimè à ueritate aberrasse affirmat, qui totum hoc opus naturale esse, & absq; ullo uoluntatis imperio fieri putauerunt. Vides igitur, Marine, uerissima me & Galeni sententiæ maximè congruentia dixisse, cùm mingendi & egerendi munus quadantenus à uoluntate fieri pronuntiaui? Quòd uerò isthæc opera musculorum ani & uesicæ ceruicem ambientis adminiculo fieri dixerim, affirmat idipsum Galenus præcitato à me loco, atq; V. de Vsu partium cap. XVI. quod eius libri ultimum est: item & cap. XV. Quanquam enim musculorum ani & uesicæ peculiare munus sit, adstringere meatum, & ne proprerè reddantur alui aut uesicæ excrementa præstare: tamen ad excretionem ijdem secundum quosdam in eis contentos uillos cooperantur, remissis nonnullis musculorum ipsorum uillis, alijsq; intentis: ut bellissimè Galenus cap. illo XVI. quinti de Vsu part. mira quadam enarratione demonstrat: dum functionum harum (reddendæ inquam urinæ, & alui excrementorum) rationem omnẽ, modumq; tradit. Sed iam uereor ne in re manifestissima probanda nimiũ operæ me posuisse dicere meritò possis.

VII. QVOD DE cibi nocturni ratione à me commentario II. capitis octaui positũ non probas, tanquam à Galeni doctrina alienum: qui VII. Metho. Valentiora in cœna cibaria quàm in prandio sumenda iussit, cum ego quàm minimum nocturni cibi sumendum eo loci consulam. Eius mei dicti in eo ipso cõmentario rationem apertissimam affero, quòd gulæ & uentri ceu abdomini nati uiuamus, uaria atq; multa nullo seruato ordine, nulla concoctionis habita ratione, cibaria sumamus, bisq; in die saturi effici conemur: adducoq; etiam quæ Galenus in contrarium VII. Methodi senserit, & quomodo id intelligendũ sit, quod ab eo ibi dicitur. Quare te ad meum commentarium remitto, si id tantum adiecero, me uniuersam Odi de Odis de prandio & cœna tractationem diligenter perlegisse, annotasseq; exactè omnia, qui & ipse cùm ita statuat iuxta Galeni præscripta, ut cœnam ampliorem esse debere prandio uelit: eos tamen excipit, qui plus prandere quàm cœnare consueuerint: in quorum albo cùm magna hodie hominum pars reponi possit, excrementisq; abundemus, nec pro seruandæ ualetudinis modo exerceamur: fit, ut hoc uiuendi more nostro, parca cœna uti salutare existimem: cùm tamen ueriorem Galeni mentem putem, si ad illius temporis ritum, sumendi cibi modum seruaremus: in somnoq; meliorem fieri concoctionem, atq; id temporis & ob somni in concoquendo cibo præsidium, & ob temporis interuallum, ualentiora tutò sumi cibaria posse. si modò exiguum in prandio cibũ probè exercitati sumeremus. Sed quando omni ciborũ genere, ut nunc fit, in prandio uiscera distendimus: quis quæso ciborum copiam cœnæ

tempore est consulturus? Sed in ijs non diutius immorandum, quæ nullo negotio cõponi, & extra controuersiam relegari recta methodo possunt. Sic nunc bona hominum pars assueuimus, multum quidem prandere, parcè cœnare. Scis autem non temerè nec de repente assuetudines esse mutandas: quod uetustissimus autor Hippocrates rectè consuluit, & post eum Galenus, qui naturam repentinas mutationes minimè tolerare affirmauit. Itaq; potius in hac persistendum, quàm ad contrariam temerè permutandum. Sed iam satis.

*2. Aphorism. textu 51. In arte medicinali.*

## AD LIBRI QVINTI ANNOTATIONES RESPONSIO.

QVAE de pandiculatione & oscitatione, rigore item & horrore commentario primo libri quinti dicta à me sunt, ea tu si rectè æstimas, ipsissima esse Galeni uerba reperies. Nam cùm dico, Pandiculationem & oscitationẽ, naturæ, sed ui coactæ opera esse: rigorem, horrorem, & tremorẽ ex morbi & naturæ coitu nasci: congruentissima Galeni sententiæ dixisse mihi uideor, qui eodem ipso capite deprauatorũ horum motuum naturam pertractans, eosq; ab inuicẽ distinguens, hæc subiunxit, dum de ea facultate, quæ regendo corpori præficitur mentionẽ facit.

Huius (inquit) facultatis opera sunt, sternutamentum, tussis, oscitatio, pandiculatio, singultus: solius morbi palpitatio, conuulsio amborum simul coeuntium, omnes motus torpidi ac alij quoq; quibus ij qui resoluuntur sed nondum resoluti sunt mouentur, præterea tremor.

Quid ijs uerbis expressius, quid meæ sententiæ congruentius dici excogitariq; potest? Nec obstant quas tu rationes in cõtrarium affers, cùm ais, eodem argumento quo pandiculatio facultatis naturalis motus esse conuincitur, posse & rigorem ab eadem fieri facultate conuinci: quòd sicut in illa ad flatuosorum excrementorum expulsionem in musculis contentorum nititur: sic in rigore ad bilis per musculos delatæ discussionem.

Respondeo, minimè procedere in utroq; rationem. Nam in pandiculatione, oscitatione, sternutamento, quæ excrementa facultatem expultricem ad sui excretionem concitant: non eius generis sunt, ut quanquam uim naturæ & negotium faciant, morbum tamen inferant. Quis enim oscitans, sternutans, membra distendens, hæc dum per secundam ualetudinem facit, ægrotare dicetur? At qui rigorem tremoremq; patiuntur, cùm à causa præter naturam symptomata hæc pariente concitentur, necessum est ex amborum coitu (morbi inquam & naturæ: huius quidem uincere satagentis, illius autem excitantis) isthæc nasci. In tremore enim manifestam inter morbificam causam naturamq; pugnam intueri licet, tremente membro ui morbi atque inuita facultate deorsum lapso, eodemq; rursus facultatis opera atque præsidio erecto: ut bellè Galenus cap. II. huius quinti libri, & lib. de Tremore, atq; Aphorismorum VII. sectione, Commento illius aphorismi, In lethargo tremor malum, deduxisse est uisus. In rigore uerò, bilis præter naturam in musculos delapsa, facultatem excitat ad huius excrementi discussionẽ, tumq; rigorem maximè fieri uidemus.

uidemus. Fateor autem ingenue, motus hos omnes (conuulſione & palpitatione exceptis) quadantenus à facultate fieri, eoq; potiſsimum differre, quòd eorum quidam à natura fiant, morbifica quapiam cauſa excitata, ut tremor & rigor: nonnulli ſolius morbi impetu, natura non concurrente, uti conuulſio, & palpitatio: alij à natura concitata quidem, ſed non à morbifica cauſa, ut ſternutamentum, pandiculatio, & oſcitatio. Atque hæc abundè & rationi tuæ, & interpretationi eorum locorum Galeni, quos tu in contrarium affers, ſatisfacere poſſe confido.

II. IN INVOLVNTARIO mictu, urinam deprauatè retineri (quod à me dictum eſt) damnas: ob id quòd ablata eius partis, cui munus hoc retinendi lotij incumbit, functio non deprauata uideatur: ipſo utique reſoluto ueſicæ ceruicem ambientis muſculo. Videris mi Marine, (quid enim aſtutè agam, ac non potius tecum quæ de te exiſtimo apertè promam?) uideris inquam, nimio calumniandi ſtudio, potius quàm indagandæ ueritatis in ſcripta mea ſtylum acuiſſe, qui malis minutiſsima quæq; in ſiniſtrum detorquere ſenſum, quàm ea benignius interpretari: præſertim cùm quæ hoc loco à me adducuntur, tam uera ſint, tamq; Galeni ſententiæ congruentia, ut nihil congruentius dici excogitarí'ue poſſit. Nam cùm deprauatā eſſe in inuoluntario mictu actionem dico, non'ne ueriſsima tibi dixiſſe uideor? cùm in tali mictione aliorſum quàm pro naturæ modo urina retineatur? nam non de ea intelligo in qua omnifariam reſolutus muſculus actione uacat: tunc enim non deprauata, ſed ablata fuerit eius actio. Cùm uerò uel ob lotij acrimoniam, aut aliam quampiam cauſam ab inuito excernitur lotium, tum deprauatam eſſe muſculi huius actionem dicere rectè ualemus: quòd ſecus, quàm pro naturæ modo urinam contineat, nempe cum quodam quaſi conuulſiuo motu: perinde atq; in ſingultu uentriculus deprauatè cibos & quodam cum ſaltu continere uidetur. Inuoluntarij enim mictus duæ præcipuæ ſunt differentiæ: altera cùm omnino reſolutus eſt muſculus: tumq; ſtranguria fit, id eſt urinæ ſtillicidium, ut libro de Sympto. differ. cap. VI. interpretatur Galenus. Altera cùm non reſolutus, ſed quodammodo malè affectus, uel ab ipſius ueſicæ uitio aliquo, uel à contenti lotij acrimonia, indebitè urinam retinet: uti in dyſuria, id eſt urinæ difficultate, euenit. Per huiuſmodi autem pathemata, indebitè hoc eſt deprauatè lotium retineri declarat abundè Galenus cap. VI. libri de Sympto. differ. & libro de Locis affec. VI. cap. IIII. Itaq; non ineptè, aut falsò, ſed uerè & appoſitè dixi, In inuoluntario mictu deprauatam fieri retinendæ urinæ actionem. Expreſsè enim idipſum Galenus dicit citato à me libro de Sympto. diff. cap. VI. Ita ſudores (inquit) uel excernuntur immodicè, uel indebitè retinentur. Et paucis interpoſitis ſubdit, Manifeſtum eſt ſub hoc ſymptomatum genere contineri & dyſuriam, id eſt urinæ difficultatem: & iſchuriam, id eſt urinæ ſuppreſsionem: & ſtranguriam, id eſt urinæ ſtillicidium. Quaſi uelit per iſthæc omnia ſymptomata indebitè, hoc eſt deprauatè, ſeu non pro naturæ modo urinam retineri. Atque in horum enumeratione etiam iſchuriam ponit, in qua omnimoda eſt urinæ ſuppreſsio: & ſtillicidium, in quo

quo ablata omnino est urinæ retentio. Sed iam nimis multa.

III. FACVLTATEM, uitiatæ actionis non semper causam esse, cõmentario primo ad caput secundum libri quinti constantissimè affirmaui: atque interdum etiam culpandam facultatem ipsam esse, quominus functio rectè procedat. Id tu magnis conatibus, magnis uiribus, robustissimis (ut tibi quidem uidetur rationibus: ut mihi uerò, infirmissimis) euertere studes: inductis in id ueluti de composito exclamationibus, & etiam admirationibus: sic enim dicta inchoas tua, Quid illud est Valleriola? Facultas non semper uitiatæ actionis causa est? imò uerò nunquam: aliàs euadere non possemus, quin facultatem ipsam morbum esse concedere cogeremur: quandoquidem non semel dictum est à Galeno, Morbum nihil aliud esse, quàm uitiatæ actionis causam. Hic tuam ego Marine egregiam rerum cognitionem atq; præstantiam, & in æstimandis censendisq;, iudicij & ingenij magnitudinem requiro. Illud tu Marine nescis, doctus homo, & in Galeni doctrina uersatus, facultatem uitiatæ interdum actionis causam esse? At hoc totum Galenicum est: uerissimum quoq;, ac omnium sententijs receptissimum. Quæ ut planius monstrem, quid facultatis nomine in præsens intelligendum ueniat, primum omnium explicandũ: & in quo potissimùm sita ipsa sit, quæ illius opera, actiones & causæ: ea inquam omnia, ex Galeni mente declaranda. Quibus cognitis, nullo negotio facultatem interdum uitiatæ actionis causam esse euincemus. Facultatem igitur Galenus actionis causam esse I. de Facul. natur. definiuit. Quæ uerò facultatum esset essentia omnium, I. & II. de præsagitione ex pulsibus, in hæc uerba expressit. Facultatis (inquit) essentia singularum partium, in singularum illarum posita commodo temperamento est. Nam tum demum suum quæq; munus obit strenuè, ubi sit temperatissima: contrà malè fungitur, si intemperata sit: atque hactenus malè, quatenus sit intemperata. Secundo uerò eius tractationis libro, de caprizante & dicroto pulsu agens, id ipsum rursus ijs uerbis confirmauit: Nunc quando essentiam facultatum adducti sumus nihil esse præter qualitatem temperamenti, & cætera.

Multò autem explicatius facultatum substantiam libro de plenitudine tradidisse est uisus, cùm inquit, In opere de Elementis secundum Hippocratem demonstraui, substantiam generationi internicioniq; obnoxiam, per totam ipsam pro quatuor qualitatibus alterari, humiditate & siccitate, caliditate & frigiditate: corporisq; cuiuslibet propriam substãtiam, in tali quadam esse temperie. Proinde & substantiam facultatum quibus ea reguntur, proprietatem esse temperamenti. Et V. de Locis affectis, cap. VII. Porrò omnium facultatum essentiam (ait) in peculiaribus partium temperatĳs consistere didicistis. Quæ rursus eadem tum I. de Simp. facul. cap. I. tum III. de temperamentis, pluribusq; alĳs locis ab eodem autore repetuntur. Ex ĳs sanè à me adductis locis, abundè facultas ipsa quid sit, & in quo potissimùm sita (est enim potentia quædam actionis opifex, in proba elementorum commoderatione posita) demonstratum arbitror. Quæ uerò facultatis actiones, opera, causæ, mox explicandum.

Facultas quid.

dum. Actionem facultatis Galenus, ipsum eius ipsius actiuum motum appellat, opus uerò: id quod iam factum atque completum per actionem est, ueluti sanguinem, carnem, neruum. Causam porrò facultatum omnium. III. de Temperamentis Galenus corporum substantiam ex calido, frigido, humido, & sicco constantem esse statuit. Illud (inquit) potius definiamus, cuius utique demonstratio cùm de naturalibus potentijs agemus tradetur. Ex hypothesi nunc quoque propositorum causa eo utemur: quatuor nimirum dicentes totius corporis proprias facultates esse, unam idoneorum tractricem, alteram eorum omnium retentricem, tertiam alteratricem, & quartam quæ alieni sit segregatrix. Easdemque facultates effectus esse totius in quouis corpore substantiæ, quam etiam constare ex calido, frigido, humido & sicco inter se mixtis, dicimus. An non hac serie Galenus facultatum nostri corporis omnium causam esse ipsam totius corporis substantiam, ex elementorum commoderatione constantem apertissimè affirmauit? dum facultates effectus quosdam esse, totius in quouis corpore substantiæ astruxit? Si enim facultates, substantiæ corporis (hoc est, probæ elementorum commoderationis, quam corporum substantiam esse perpetuò uult Galenus) effectus sunt: erit igitur commoderatio ipsa seu temperies, facultatum causa: id ut intelligamus, hæc se quatuor mutuo complexu coniungere, nempe temperiem, facultatem, actionem, & opus. Temperies facultatem parit. facultas actionem, actio opus. Vt primum enim probè ex elementorum commoderatione temperata pars est, mox in ea facultas innascitur quædam, qua partis rectè munia obeantur: Ea porrò actiuo suo motu (quæ illius actio est) opus facit: ut in exemplo, Si probè temperatus uentriculus fuerit, mox & in illo alterandi cibi potentia quædam erit, qua rectè cibus conficiatur: quam quidem cibi concoctionem, facultatis illius opus dicemus: effectiuum uerò facultatis eiusdem motum, quo id muneris obit, actionem. Sicque in singulis quoque partibus euenire planè adhibita mente cernemus.

*1. de Facult. natur.*

*Facultatum causa.*

*3. de Temperamentis.*

Nunc uerò ex Galeni sensis (quod tu minimè fieri posse putas) facultatem uitiatæ interdum actionis causam esse posse ostendamus: nec tamen propterea sequi, eam morbum dici debere. In quo unus mihi sit Galenus satis, cuius unius testimonio atque præsidio munitus, & te à sententia auertere, & meam firmare ualidè possim: quod ubi perfectum à me erit, mox rationes tuas diluam. Galenus itaque symptomatum differentias tractans lib. III. cap. eiusdem numeri, posteaquam de symptomatis quæ ad sensuum instrumenta pertinent egisset, de ijs ordine agere cœpit, quæ ad facultatem propriè pertinent. De cogitatiuæ itaque noxa loquens, deprauatæ ratiocinationis causam in cogitatiuam facultatem affectam refert. Sunt (inquit) alij quibus nulla apparent uisa, sed non rectè ratiocinantur, cogitandi facultate in ipsis affecta. Quid hic Galenus? non'ne & cogitandi facultatem malè interdum affici, & ad ipsam sic affectam ratiocinandi noxam referri? Quid ijs apertius dici potest? Sed rursus eodem libro cap. IIII. manifestius hæc explicantem Galenum audiamus, dum de symptomatis ad naturalem facultatem pertinentibus, ex professo tractat: Methodus

*Loci Galeni explicatio.*

thodus (ait) id est, uia, & ratio qua hoc in loco omnia inueniri poßint est, ut naturales facultates agnoscamus. Atq; circa ipsarum singulas (subdit) duplex est symptomatum species: altera cùm malè procedit actio, altera cùm omnino non fit. Hic tu Marine animum attende, si facultates

*Loci itē Galeni explicatio.*

uitiatæ actionis causa non sunt, quorsum agnoscendas proposuit Galenus, ut illis cognitis actionum noxas agnosceremus? Præterea quid sibi ea uerba uolunt [circa ipsarum facultatum singulas duplicem inueniri symptomatum speciem, nempe uel cùm malè procedit actio, uel cùm omnino non fit?] non aliud certè, quàm deprauatam & ablatam actionem in singulis naturalium facultatum (de quibus eo loco agit) inueniri: ad easq; referendas esse. Quod tu maius testimonium, quam firmiorem ad mea probanda rationem exigis? Verùm rursus, quasi de integro redintegrata pugna, fortiores machinas admoueamus, ducem Galenum secuti. Is initio libri quarti de Symptomatum causis inscripto, symptomatum omnium causas inuestigans, sic exorditur. In sensili actione (ait) triplex symptomatum genus deprehenditur: unum, cùm primum sensus instrumentum quippiam perpessum est; alterum, cùm sentiendi potentia: tertium, cùm ministrantium primo sensus instrumento pars aliqua fuerit affecta. Vides Galenum unum symptomatum genus ad ipsam potentiam referentem? symptomatis hoc loco nomine, uitiatam quandam functionem intelligens, quæ interdũ facultatis uitio uel pereat, uel malè edatur. uti paulò pòst eiusdem libri cap. 11. explicatißimè in oculo docet, indicans, uidendi actionem deprauari, aut omnino non fieri, uel ob crystalloidis uitium, (principis utiq; in oculo partis) uel ob uisiuam potentiam: uel tandem ob partium aliquam, usum aliquem probæ uisioni præstantem. An non hæc Galeni sunt? an potius à me conficta? Plenius uis testimonium? affero. Lege caput primum sexti de Sympto.cau. ea ibi uerba reperies: Duo (inquit) sunt aberrationis prima genera: unum, cùm potentia ipsa affecta est: alterũ, ab externo quopiam errore nascitur. Non'ne hac serie aberrationis unum genus ad potentiam seu facultatem refert?

*Explicatio loci Galeni.*

Quid uero aliud aberratio censeri debet, quàm functionis mala æditio? tum enim aberratum est, cùm functio malè procedit: ut eodem ipso capite fusißimè Galenus docet, aberrantis facultatis concoctricis noxas enumerans. Quin eodem ipso loco, cùm concoctionis noxas ueluti compendio percurrisset Galenus, harum communem causam alteratricis potentiæ ab scopo aberrationem facit. Sic enim loquitur: Atq; huiusmodi (inquit) sunt concoctionis noxæ, quarum causa communis quidem est, alteratricis potentiæ à scopo aberratio. Quid quæso Marine his uerbis ad mea munienda fortius, congruentius, appositius? Si enim noxarum quæ concoctioni obueniunt causa communis, facultatis concoctricis à scopo aberratio à Galeno ponitur: non'ne facultas deprauatæ actionis causa statuenda à nobis erit? Hoc ipsum uerò enucleatius explicans eodem loco Galenus, quomodo potentia affici posit, planißimè docet. Potentia (inquit) bifariam læditur, aut per suam ipsius essentiam, aut per aliquem instrumentorum morbum, iam in propria essentia noxæ, intemperies

*Aberratio quid.*

*6. de Sympt. cau.cap.1.*

*Vbi suprà.*

peries quędam agentium qualitatum sunt. Ab instrumentis uerò pendent Erysipelata, œdemata, Phlegmones, Scirrhi, abscessus, & alij quidam huiusmodi morbi. Atq; horū alij simplices alij compositi in uentriculo consistunt: propter quos omnes uentriculus male concoquit, ipsius potentia qua concoquit noxam sustinēte, per intemperies quidem, in sua ipsius essentia: per alios uerò morbos, qui instrumētales sunt, impedita dūtaxat.

Hactenus Galenus, qui profectò malæ concoctionis potentiam ipsam uel in sua ipsius essentia affectam, uel à morbis instrumentarijs impeditam causam statuit. Neq; enim, Marine, ita à meo sum sensu alienus, ut cùm facultatem dico uitiosæ functionis causam esse, eam dum probè ualet, dum obeundo muneri suo sufficit, ab hac malam edi functionem intelligam: quis enim nisi planè insanus id dicat? Perpetuò enim facultas quæ corpori tutando præest, nisi aut in sua ipsius essentia affecta sit, aut alioqui impedita, probæ ipsa functionis atq; adeò sanitatis causa est. Sed cùm aut ipsa afficitur, aut alioqui impeditur, huic uni (interuentu tamen affectus alicuius) actionis noxa adscribi sæpenumero debet. Poteram ijs esse contentus, ni me finem iam facere meditantem (citando enim locos Marine defatigor) Galenus ueluti classicum canens ad pugnam denuò inuitasset. Lege quæ mox ab initio prioris libri de pulsuū causis ab eo de pulsuum uariatione scripta sunt: Variant (inquit) pulsus partim usus cuius gratia, partim facultas, partim instrumentum. An non hic immutationis pulsuum, hoc est deprauatæ pulsuum motionis, causam, in facultatem reijcit? quod ex ijs quæ mox sequuntur manifestissimum facit, dum paruitatis, crebritatis, uelocitatis, tarditatis, ac raritatis pulsuum causas prosequitur. Crebritatis quidem & uelocitatis, in potentiæ imbecillitatem cum calore: Tarditatis & raritatis, cum paruitate, ad eandem facultatem ex frigoris excessu deiectam referens. Quid eius tractationis libro secundo? inæqualitatis certè pulsuum, facultatem uariè affectam, causam statuit. In quam herclè sententiā ex Græcis Paulus, ex Pœnis Auicenna atq; Auerrous ultrò pedibus eunt. Sed ad Galeni senta, ea adijciamus, quæ hisce certissimam fidem præbent. In ἀμαυρώσει, quam guttam serenam uocant, atq; in ἀπορρήξει, hoc est meatuum à cerebro in oculos descendentium ex ictu uel casu disruptione, cæcitas oritur, nullo in crystalloide, aut reliquarum oculi partium ulla, affectu consistente: sed sola, facultatis culpa, quæ per hos affectus id non mittit, quod secundum naturam ad uisionem obeundam mittere debebat: (uisorios inquam spiritus) aut si mittit, quò minus tamen ad oculos perferantur obstructione meatuum impeditur. In his inquam affectibus, cùm ablata sit prorsus uidendi functio, non'ne ablatæ huius actionis noxam in facultatem meritò reijciemus? præsertim cùm nulla in oculis intemperies, nullum in ipsis aliud malum subesse, cui ea noxa adscribi iure posit, cernatur: sed sola facultatis à suo munere obeundo aberratio, aut certè defectio. Quid? eam tu si noxam spectes, quæ in hac ipsa uidendi actione ualde senibus, ætatis decursu accidit, cùm illos cæcutientes, ac nihil planè prospicientes uideas, non'ne id uitij, in facultatem ipsam iam deficientem, atq; prorsus deiectam, meritò referas? Cur?

*Paul. libro 2. cap. 12. Auicē. Fen 2. primi doct. 3. cap. 6. Auerr. 4. collectionum. capite 18.*

*Actionum uitia quæ senibus accidūt à facultate prouenire plerunq;.*

Quòd si firma esset in sene facultas, probè prospiceret oculi: ut rectissimè illud ab Aristotele dictum uideatur, Si senex iuuenis oculum haberet (hoc est, probè temperatum oculum, facultatemq; pro iuuenis ratione ualentem) uideret sanè ut iuuenis. In hac itaq;, quæ senibus accidit uidendi deprauata actione, ac non rarò etiam ablatione, facultas ipsa accusanda, quæ natiui caloris iam fatiscentis ac collabentis inopia (in quo uno facultatum robur positum esse maximè constat) munere suo amplius fungi nequit: ac proinde malè edi quæ ab ipsa prouenit actionem consequens quidem est.

*Ad Marini rationes Responsio.*

Rationes tuas dissoluere iam ingredior. Dicis, Si facultas uitiatæ actionis causa est, itaq; ipsa morbus erit: cùm sit morbus uitiatæ actionis causa. Hic profectò Marine (quod pace tua dictum uelim) hallucinaris: nam non id sequitur, quod consequi putas. Siquidem quanquam sit facultas uitiatæ interdum actionis causa, non id tamen primaria ratione, nec per se, (quod ad morbum requiritur) sed alicuius interuentu, nempe, uel intemperaturæ, uel obstructionis, uel abscessuum, uel solutæ unitatis, ut bellè Galenus citatis à me antea locis docet. Nam cùm concoctrix facultas (ut in exemplo deducam) improbæ concoctionis cibi causa est, id nunquam præstat, ni intemperatus sit uentriculus, aut uno aliquo affectu eorum, qui ad instrumenta pertinent, corripiatur: aut communi morbo, soluta scilicet unitate. Quibus sanè affectibus primò & per se actionis noxa adscribi debet: sed per hos quoq; ipsi facultati, ut fusissimè Galenus capite primo sexti libri de Sympto. cau. docet. Ei uerò Galeni autoritati quam ex secundo Methodi medendi affers, inquientis, Propriũ esse morbi, actioni incommodare, itaq; si facultas (ut ego uolo) actioni incommodat, ipsa morbus erit. Respondeo, me unà cum Galeno ingenuè confiteri, proprium esse morbi actioni incommodare: sed primò & per se, ac nullius interuentu: ut idemmet Galenus millies in mille locis testatur. Facultas uero cum actioni incommodat, non id per se, sed morbi alicuius occasione incommodat: itaq; illi morbi ratio non conueniet. Facultas enim: etsi ipsa regundo corpori tanquam dux præficitur, morbo tamen aliquo irritata, male munia sua obit, officia inuertit, & aliorsum quàm pro naturæ modo operatur. An non & illud scis, excretoriam in nobis facultatem per morborum decretoria sæpenumero aut multo, aut malo & pernicioso humore exagitatam, pessima gignere symptomata? dum immodicè utilia simul & inutilia magno cum laborantis incommodo excernit? Harum igitur functionum malarum, lacessita facultas, causa procul dubio erit: ut dubitandum tibi non amplius sit, ab ea interdum actiones improbe fieri, si irritata ipsa fuerit. Hic iam commentari desino, si modo id à te prius impetrauero, ut attentione maiore atque iudicio mea legas: & quæ tibi maximè non probabuntur, ea modestia commonstres quæ & professioni & uirtuti tuæ congruere uidetur.

*Lib. de Sympto. diff. cap. 1. et 2. Meth. & 1. de Sanit. tuen.*

IIII. OMNES conuulsiuos motus in duo genera diduci, plenitatis & inanitionis, quod à me ex Galeni & Hippocratis sensis dictum est minimè probas: putans aliam aliquam conuulsionis differentiam inueniri,

niri, quæ ad neutrum prædictorum generum referatur: eam scilicet, quæ per sympathiam fieri dicitur, seu consensum, qualis illa esse solet, quæ ex punctura nerui prouenit. Respondeo, tantum duo illa inueniri præcipua conuulsionum genera, quæ ab Hippocrate enumerata sunt, aphorismo XXXIX. sextæ sectionis, cùm ait, Conuulsio fit ex plenitate, uel inanitione: Sic uerò & singultus, nec credendum est, ullum conuulsionis genus Hippocratem latuisse: eumq́ eius generis conuulsionem sæpe uidisse, quæ per consensum fit, dubitare non debemus: quam ille si separatum omnino à prædictis genus putasset, minimè silentio præterijsset: quod quando ab eo factum est, existimare nos oportebit id conuulsionis genus Hippocratem sub altero dictorum generum rectè posuisse. Nam quæ ad puncturam nerui conuulsio sequitur, ea cùm ob sensus in ea parte acrimoniam, & eius partis ad principium (nempe cerebrum ipsum) continuationem nascatur, uel Galeni testimonio in arte medicinali, maximum in ea parte tum nasci doloris sensum necessariò concludere oportebit: ut Galenus VI. Meth. med. docet. Dolor autẽ omnis si uehemens sit, fluxionem excitat, ita tradente Galeno cap. XCV. Artis medicinalis. Existimare omnino oportebit, quæ fit in punctura nerui cõuulsionem, ad fluxionem esse referendam, atq; ex consequenti ad plenitudinis illud genus ab Hippocrate positum. Fieri autem maximè conuulsionem illam ex fluxione, illa Galeni uerba apertissimè indicare uidentur, quæ ad caput XCII. artis medicinalis posita sunt. Tum inquit præsertim nerui punctura conuulsionem excitat, cùm nihil extrorsum expirat, obcæcato cutis uulnere. Aperiendum est igitur (subdit) atq; exiccandum substantia tenui, quæ usq; ad ima nerui offensi possit penetrare. Vides igitur ex hac uerborum Galeni serie, tum præsertim conuulsionem in nerui punctura nasci, cùm nihil foras expirat? hoc est, cùm uitiosus humor nerui substantiam lædens atq; implens, uel mordicans, intus constiterit, nec foras transpirarit? alioqui nisi ab hac fluxione conuulsio fiat, quorsum attinet uulnus (quod iubet Galenus) tum aperire, tum exiccare, substantia tenui quæ ad ima usq; puncti nerui permeet? Vulneris enim apertio & exiccatio (quæ fieri iubet eo loco Galenus) non aliò certè pertinent, quàm ut effluet contentus intrò humor medicamentiq; exiccantis ope omnifariam exiccetur ac dissipetur. Quæ rursus omnia bellissimè ab eodem Galeno sexto Medendi metho. recensentur, dum curationẽ puncti nerui ex professo tractat: affectum quidem ipsum docens & dolorem uehementem ob sensus, qui in parte est, acrimoniam excitare, & phlegmonem accersere, nisi quis rectè medeatur. Illud ut intelligamus, conuulsionem eam quæ ad nerui puncturam consequitur, ad phlegmonem ex dolore nimio excitatum: uel alioqui ad humorem phlegmonem facere properantem, necessariò esse referendam. Vides (opinor) Marine, hanc quam tu diuersam conuulsionis diff. putas, ad eam esse referendam quæ plenitati adscribitur. Vnde meritò dixisse Galenum VIII. de Compositione medicamentorum secundum locos cap. III. existimo, in conuulsione tertiam aliquam causam supra euacuationẽ & repletionem se nondum reperisse.

Miror autem maximè diuersas ab ijs te existimare conuulsiones, quæ uel ex mordenti & tenui humore, neruosa corpora rodente, uel ex frigore congelante nascantur: (de quibus Galenus extremo cap. XII. Metho. med. loquutus est) nam eæ omnes ad prædicta genera referuntur. Conuulsio enim ex mordente humore facta, ad eam quæ à plenitate fit omnino reducitur, uitioso utiq; humore neruosis partibus negotium facessente: ea uerò quæ à frigore congelante fit, ad eam quæ inanitionis, frigore scilicet uehementi ob immodicam quam facit in parte constrictionem, succos exprimente, neruiq; substantiam hac expressione contrahente, unde conuulsio nascitur. Itaq; species eæ seu differentiæ conuulsionis, quas tu ex Galeno citas, diuersæ non sunt à prædictis, quas Hippocrates in plenitatis & inanitionis diff. diduxit. Constantissimum igitur maneat, duo tantum conuulsionum præcipua esse genera, ad quæ reliqua omnia deducantur, plenitudinis scilicet, & inanitionis: ut ex illo Hippocratis Aphorismo qui XXXIX. est sextæ sectionis, & illo Galeni textu qui octauo de Compositione medicamentorum secundum locos scribitur, probasse me adamantinis rationibus puto.

V. QVAE DE psora & lepra à me dicũtur cap. VI. cõmentario primo, eos inquam qui hæc mala faciunt succos, non in cute tantum, sed & in carne quoque consistere, uerissima planè sunt. Nam qui pruritum faciunt humores, eò ab ijs differunt qui lepram & psoram faciunt, quòd sua tenuitate cuti tantum hæreant: ij uerò non cuti solùm, sed & carni quoq;, ut ipsa experientia docet. Nam & si hæc, cutis uitia esse statuuntur, non ob id tamen negandũ, quin subditæ carnis aliquid uitia hæc contingant. Quod in lepra dubitari minimè potest, cùm se ipsa profundius in cutem agat, nonnihil subditam carnem uitians, ut quæ nimirum squammis tota scatet, pustulis, ac uarij generis excoriationibus. Sed in ijs non diutius immorandum utpote leuioribus, quàm ut pleniorem operam desiderent.

## AD LIBRI SEXTI ANNOTATIONES RESPONSIO.

1 LIBRO sexto id in primis tibi non placet, quod à me commentario secundo capitis primi dictum est, Facultatem (inquam) tum per essentiam lædi, cùm illius instrumentum primigenia quapiam affectione laborat: nempe intemperie una quapiam ex ijs, quæ præter naturam dici solent. Ego uerò Marine, Galeni sententiæ adeoq; contextus eius, quem interpretor conuenientissima dixisse me arbitror. Quod ut ostendam, illud tibi mecum conuenire prius uelim, Facultatis uocabulo id intelligi, quod actionum sit effectrix causa, quod nobis illius definitio primo de Natur. facul. posita abundè demonstrat. Quumq; natura ipsa actionum omnium, uel teste Galeno, in nobis sit opifex: consequitur, ut facultatis nomine idem quod naturæ intelligamus. Facultas enim atq; natura & si uocibus diuersa sunt, re tamen, eadem esse Galeno perhibentur: ita utiq; V. de Sympt. cau. scribente. Per naturæ (inquit) uocabulum intelligas uelim omnem qua regitur animal facultatem: siue illa à uoluntatis nostræ imperio

*Facultas quid*

*In Arte medicinali. Natura et Facultas idem.*

imperio pendeat, siue secus. Itaq; facultas omnis in nobis natura dicitur: ex eo autem facultas seu potentia dicta est, quod agere possit, ut primo de Facult. natur. exactè monstratur. Quin idem ipse Galenus, facultates ipsas naturales, naturæ uocabulo dignatur. lib. de Facult. natur. substantia. Facultatibus (inquit) quas nuper recensuimus, attractrice uidelicet, expulsoria, retentrice, & alteratrice, naturæ uocabulo non animæ indito. Cùm igitur illud constet, naturam & facultatem re quidem ipsa eadem esse: consequens illud certè erit, ut quæcunq; earum uni conueniunt, (quatenus illius essentiam atq; substantiam expendimus) idipsum & alteri conueniat. Quamobrem cùm natura Hippocrati atque Galeno nihil planè sit aliud, quàm elementorum in nobis symmetria atque temperies, qua functiones probè obimus: erit itidem facultas in nobis ea ipsa temperies ac commoderatio, qua functiones rectè edere ualemus. Quod ostendere uolens Galenus, libro de Pulsuum præsagitione primo, facultatis essentiam inuestigans, hæc scripsit:

*2. Aphorism. cõmen. 34. & 3. Aphorism. comment. 2.*

Facultatis (inquit) essentia singularum partium, in singularum illarum posita commodo temperamento est. Nam tum demum suum quæq; munus obit strenuè, ubi sit temperatissima: contrà malè fungitur, si intemperata sit: atq; hactenus malè, quatenus sit intemperata. Hæc eo loco Galenus. Secundo uerò eius tractationis libro, Essentiam (inquit) facultatum adducti sumus credere, nihil esse præter qualitatem temperamenti, omniaq; & in dignoscendo, & prædicendo, & curando, conuenire cum hoc decreto animaduertimus, &c.

Ex his (puto) satis constat, facultatum essentiam secundum Galenum in temperie ipsa partium consistere: imò potius ipsammet facultatem nihil esse aliud quicquam, præter ipsam temperiem. Quæ cùm ita sint (uti reuera sunt) non'ne uerissimum illud quoq; erit, tum facultatis essentiam lædi, cùm pars cuius est, intemperata fuerit? An non id ipsum apertissimè Galenus dicit in eo contextu libri sexti de Sympt. cau. cuius tu commentarium damnas? sic enim textus habet:

Duo (inquit) sunt prima genera aberrationis: unum, cùm potentia ipsa affecta est: alterum ab externo quopiam errore nascitur. Atq; utrunque rursus diuiditur, nam potentia bifariam læditur: aut per suam ipsius essentiam, aut per aliquem instrumentorum morbum.

Et paulò post explicans, quid sit in propria facultatis essentia nocumentum, hæc addit: Iam in propria essentia noxæ, intemperies quædam agentium qualitatum sunt.

Vides hic apertissimè pronuntiantem Galenum facultatis noxas in sua ipsius essentia, nihil planè esse aliud, quàm intemperies agentium qualitatum? Idem uerò Galenus, eodem ipso contextu fusius se explicans, indicat à quibus morbis facultas per sui essentiam lædi, & à quibus impediri dicatur, id'q; sub hac uerborum serie:

Ab instrumentis (inquit) pendent Erysipelata, œdemata, phlegmones, scirrhi, abscessus, & alij quidam huiusmodi morbi. Atq; horum (subdit) alij simplices, alij compositi in uentriculo cõsistunt: propter quos omnes

uentriculus malè concoquit, ipsius potentia qua concoquit noxam sustinente, per intemperies quidem, in sua ipsius essentia: per alios uerò morbos, qui instrumentales sunt, impedita duntaxat. Hactenus Galenus.

Ex cuius uerbis euidentissimè illud constat, facultatem partis, tum secundum suam ipsius essentiam lædi, cùm per intemperiem noxam sustinet: tum uerò impediri, cùm per instrumentarios morbos pars ipsa à suo munere obeundo deficit: tum enim nulla existente in parte intemperie, sed tantum instrnmentario morbo, facultas in sui quidem essentia non læditur: impeditur tamen quominus proprium possit exercere munus. Quas uerò tu in contrarium affers rationes, haud magno negotio dissolui possunt. Siquidem in neruorum opticorum obstructione, facultas non per sui essentiam læditur, nulla existente in parte intemperatura, sed sola obstructione, ut supponitur: impeditur ipsa tamen, quò minus in suum ipsius munus exire ipsa possit. Reliqui uerò ex Galeno loci quos adfers, tum ex hoc ipso textu, tum ex commentarijs eiusdem in Hippocratis prognostica, nihil aliud certè probant, quàm facultatem interdum per sui essentiam, interdum per instrumentorum morbos laborare, quod ego ingenuè cum Galeno confiteor: uti & illud, tum facultatis essentiam per se lædi, cùm intemperies aliqua adfuerit noxam adferens: quæ certissima Galeni est hoc loco sententia. Verùm scrupus ex ijs quæ paulò antè dicta à nobis sunt oriri uidetur: quòd facultatem corporis, re quidem ipsa, idem cùm natura esse de Galeni sententia dixerimus: cùm tamen idem autor ea de re uarius, nec sibi perpetuò cõstans fuisse uideatur, cùm libro de Naturalium facultatum substantia, & V. de Sympto. cau. & I. atq; II. de Præsagitione ex pul. facultatem naturæ uocabulo atq; temperaturæ dignetur, III. uerò de temperamentis, facultatem eam ipsam naturæ effectum quendam esse ijs uerbis affirmet:

Quatuor dicimus totius corporis proprias facultates esse: unam idoneorum tractricem, alteram eorum omnium retentricem, tertiam alteratricem, & quartam quæ alieni sit segregatrix: easdemq; facultates, effectus esse totius in quouis corpore substantiæ: quam etiam constare ex calido, frigido, humido & sicco inter se mixtis dicimus. Si itaq; hoc loco facultates effectus esse totius corporis substantiæ, hoc est, temperaturæ in nobis, ex calido, frigido, humido, & sicco constantis, ipsemet Galenus asserit: quonam pacto idem cum natura erunt? cùm facultates, naturæ effectus esse quosdam astruat: nihil autem & effectus & causa simul dici possit, ad id repugnante natura. Sed ab oscitantiæ crimine uindicari tamen hoc pacto Galenus potest, si dicamus, uariè ipsum facultatis uocabulo tum hoc loco, tum alijs præcitatis usum. Cùm enim facultatem idem cum natura esse affirmat, uti V. de Sympt. cau. & de Natu. facul. substantia, facultatis seu potentiæ nomine propriè usus est, ut est ipsa principium quoddam motus, & transmutationis, quæ prima Aristoteli V. Metaph. cap. XII. potentiæ significatio est. Tale autem principium in nobis natura est, quæ quòd agere ea omnia quæ ad corporis tutelam pertinent possit, facultas meritò seu potentia dicitur. Cùm uerò effectum esse totius

*Galenus à repugnãtia uindicatus.*

*Quomodo natura in nobis facultas dicatur.*

substantiæ

substantiæ nostræ dixit, libro de Temperamentis, ad operandi uim & qualitatem, qua naturalem dicimur habere potentiam, seu ad dispositionem ipsam respexisse uidetur: nam & hæc in nobis facultas dicitur: quæ quidem ipsa profectò, & effectus quidam est à natura profluens nostra, & in qualitatis genere reponenda. Naturalis enim potentia aliquid agendi, & dispositio item ipsa, qua unum aliquid possumus præstare, qualitatis species Aristoteli libro Prædicamentorum capite octauo esse iure statuuntur. Itaq; duo sunt quæ facultatis nomine appellari in nobis meritò possunt, Principium inquam illud motionum in nobis omnium, quod quidem uerè & propriè tum Natura tum Facultas, seu Potentia dicitur: de quo appositissimè illud dixisse Galenus uidetur, Per naturæ uocabulum intelligas uelim omnem qua regitur animal facultatem. Et illud item in Arte medicinali, Omnium horum (scilicet operum) natura opifex. & libro de Naturalium facultatum substantia, facultatibus ipsis naturæ nomen congruentissimè indidit: atq; hæc uera est & germana facultatis essentia, quæ & ipsa ceu causa quædam aptitudinem illam ad functiones rectè & ex usu obeundas parit: quam Naturalem potentiam, hoc est, pronitatem ad agendum quandam dicimus. Et hæc sanè facultas seu potentia est, hoc est, qualitas quædam in nobis, qua agendi potentes dicimur: attribui enim facultatis nomen & substantiæ, & qualitati, pro diuersa ipsius ratione potest. Illam, si ut principium est effectiuum spectes, substantia profectò ipsa erit, nempe natura nostra quæ omnium est operatrix, & agendi principium: Sin uerò ut pronitas quædam & naturalis agendi potestas, ab principio illo manans, ad secundam qualitatis speciem erit referenda, quæ & ipsa effectio est alterius quę uerè & propriè facultas dicitur. Vt primùm enim probè temperata pars quæpiam est, mox ea in parte qualitas quædam rectè operandi innascitur, ab ipsa partis temperatura profluens, quæ pronitas seu potestas operandi dicitur. Atque hoc pacto conciliari pugnantes eadem de re hac Galeni loci possunt, ipséq; Galenus à supinitatis & obliuionis dictorum alibi suorum crimine uindicari.

*Facultatis nomine quæ ueniant appellanda.*

*5. de Sympt. cau.*

II. FACVLTATEM ipsam minimè lædi, parte functionis principe non læsa, uerissimè dixisse mihi uideor: idq; Galeni sensis congruere testatissimum facere possum. Siquidem cùm facultas ipsa tum maximè lædi dicatur, cùm pars quæ ab ipsa regitur, uno aliquo intemperamenti genere laborat: uti in annotatione præcedente à nobis monstratum est, ex Galeni utique libro de Pulsuum præsagitione primo, atque secundo. Consequens certè est, ut si pars ipsa quæ functionis est opifex, non lædatur, facultas ipsa tum minimè lædi dicetur. Nam & si facultas toti organico adscribatur, uti uisoria oculo, auditoria auri, gustatoria linguæ: inest tamen (uti scis) ijs partibus una quæpiam simplex pars, quæ functionis sit effectrix: nempe in oculo crystallois, in aure neruus auditorius, in lingua nerui ea propago quæ à tertia coniugatione à cerebro ortorum nascitur. Itaq; in oculo si crystallois laboret, uisoria tum facultas lædi dicetur: quòd in ea præcipuè facultas consistere atq; huius munere functionem exercere suam in oculo possit. Vbi uerò reliquarũ partium aliqua,

*Facultas quando maximè lædi dicatur.*

quæ uisioni usum aliquem præstant læditur, id'q; instrumentario quopiam morbo. tum ab ea impediri quidem rectè facultas dicetur, non sic lædi. Quæ docta Galeni I. cap. V I. de Symptomatum causis est sententia. At de ijs iam satis.

III. DE VOMITV rectè sentire mihi uideris, non in omni corruptum esse cibum succum'ue aliquem, sed interdum solam cibi copiam uomitum inferre, ut euidentissimis autorum testimonijs constat, nec ego hac in re à te dissentire possum: quod & ego in margine libri mei ad contextum certè apposueram, sed incuria operarum prætermissum id fuit.

IIII. NON PROBAS lienteriam ad expultricis facultatis symptomata esse referendam: at illud maximè Galenus probat, eo ipso contextu capitis secundi quem interpretor, inquiens:

Atq; in hoc symptomatum genere (de deprauatis expultricis facultatis motibus loquens) haud absurdè numeratur lienteria, id est, intestinorum leuitas, &c.

Quid ijs uerbis apertius? quod si Galenus lienteriam ad facultatis expultricis motus refert, cur mihi ad eosdem ipsos motus non sit referenda? præsertim cùm & Pœni medici omnes, & Paulus atq; Aëtius id ipsum asserant. Nec obstat, quòd uentriculi uitio sæpenumero symptoma hoc accidat: nam etsi uentriculus interdum symptomatis huius causa est, facultas tamen expultrix deprauatè tum munus suum obit, ad eamq; symptoma hoc perpetuò referre oportet, ut eodem ipso quem interpretor loco bellè docet Galenus. Itaq; non est quod aliena me à ueritate dixisse putes, cùm dixi Nauseam, & leuitatem intestinorum ad hoc symptomatum genus esse referenda: nempe facultatis expultricis malè suo munere fungentis. Sic enim de eadem re Galenus statuit, Auicenna, Paulus, deniq; omnes.

V. SOLAM interdum plenitatem, uasorum rupturam facere posse, minimè probas, cùm id etiam dicere uideatur Galenus paulò pòst meam ea de re commentationem. parum utiq; memor eorum quæ in commento illius aphorismi, Habitus exercitatorum, dixit, sic inquiens:

Cùm (inquit) uasa cibis ac potibus fuerint supra modum repleta, periculum est ne dirumpantur. Et paulò pòst eodem loco. Cùm uenæ amplius conceptaculum non habent in quod alimentum distributum recipiatur, tunc periculum imminet aut diruptionis, aut mortis repentinæ.

Vides hic Galenum ex plenitate rupturam uasorum metuere? Quæ etiam libro de Bono corporis habitu, ueluti confirmantur: etsi hæc tu in alienum quendam transfers sensum: ut uelis, non à multitudine, sed feruore disruptionem hanc fieri: cùm Galenus feruorem hunc, quo sanguis instar musti ebullit, non tam uasorum caliditati, quàm impletioni tunicas disrūpenti adscribat. Qui uerò à te locus ex quinto Methodi medendi aduersum me citatur, is certè pro me facit: cùm dicat eo loco Galenus, multa ob id perrumpi quòd quem in se continent sanguinem præ copia cōtinere non possint. Cùm uerò Galenus dicit, sanguinem adeò auctum, ut in uasis contineri non possit, rupturam facere non posse: ita intelligendus

*Loci Galeni explicatio.*

dus

dus erit, ut uoluerit, sanguinis copiam apertionem uasis, potius quàm rupturam facere solere: non tamen omnino id efficere non posse, ut præadductis locis ex eodem Galeno est probatum. Quinimo (ut mihi quidem rem paulò altius contemplanti uidetur) interpres hic Galeni mentem minimè est assequutus: cùm literam hanc, negandi nota ab ipso explicatam, alieniorem à Galeni mente faciat. siquidem Linacer locum hunc [atque hic ut uas ipsum rumpere non potest ita uasorum ora apeire potest] sic uertit:

Sanguinem quidem uitiosè affici dico: & cùm adeò uitiosi est succi ut erodat ea quibus continetur. Et cùm ita est immodicus, ut intra uas suum non contineatur. Quippe id quoque quod sanguinis uas rumpat, uel recludat est satis.

Vides hic Marine sensa Galeni à Linacro quàm Copo fidelius interpretata: cùm Galenus hic conformia atque consentanea ijs quæ quinto Methodi medendi, & in commentario illius aphorismi, Habitus exercitatorum, dixit, tradiderit? nempe à plenitate uasorum ipsa non tam aperiri, quàm rumpi posse. Non enim Galeno dignum esset pugnantia hic dixisse ijs, quæ tam multis locis de re eadem dicta sunt: ni Galenum oscitantiæ & obliuionis arguere (quod nephas duco) uelimus. Græcus itidem codex, cui uni insistendum, ita habet. *Copus notatur.*

Ἅπαντα δὲ τὰ τοιαῦτα ἐμπίπτει διὰ τρεῖς αἰτίας, ἤτοι διὰ δυνάμεως ἀναστομωσάσης ἀγγεῖον, ὡς ἐν ταῖς ἐκ ῥινῶν αἱμοῤῥαγίαις, ἢ δι' αὐτὸ τὸ αἷμα μοχθηρῶς διακείμενον, ἢ τῶν ἀγγείων τι. τὸ μὲν οὖν αἷμα μοχθηρῶς διακεῖσθαι λέγω τὸ, τι κακόχυμον ἐς τοσοῦτον γιγνόμενον, ὡς διαβιβρώσκειν τὰ περιέχοντα, τὸ, θ' οὕτω πλέον, ὡς μὴ στεγάσθαι. Καὶ γὰρ καὶ τοῦτο ῥήσσειν ἢ ἀναστομοῦν ἀγγεῖον, ἱκανὸν ἐστίν.

Quod est: Omnia uerò hæc tribus ex causis eueniunt: aut facultate ipsa uasorum ora aperiente, ueluti in sanguinis è naribus profusione, aut sanguine ipso uase'ue eius aliquo uitiato. Sanguinem uerò ipsum uitiosè tum affici dico, cùm adeò uitiosi est succi, ut ea erodat in quibus continetur. Et cùm ita est copiosus, ut intra uas suum contineri non possit: quod quidem tale est, tum ruptionem uasis, tum reclusionem facere potest.

Vides Marine apertissimè Galenum sua lingua loquentem, uelle copiosum sanguinem uas ipsum tum rumpere tum aperire posse: ut intelligas plus autori ipsi Galeno, quàm illius interpreti esse fidendum. Tu itaq; uersionem Copi tuam castigato.

VI. EXPVLTRICEM facultatem humido, retentricem sicco magis operari, tam manifestum esse puto, ut probatione non indigeat. Nam si uerum illud est, quod omnibus ex æquo medicis in confesso est, retentricem facultatem sicco operari: consequens certè est, ut expultrix, quæ illi contraria est, contraria itidem operetur qualitate, nempè humido: quod declarant ea quæ facultatem hanc ad suum ipsius munus excitant. Cùm enim sæpenumero accidat, ut facultas hæc parum probè suo munere fungatur: tum ut illam ad sui muneris obitionem excitemus, humectantia omnia, & mollientia, lubricumq; corpus reddentia,

tia, exhibere solemus. Quæ fermè omnia temperamento esse humido, abundè constat. Quorsum enim quæso attinet, tali temperamento præditis medicamentis, aut cibis iuuari facultatem propultricem, ni ipsa humido operetur? Inde fit, ut olerum pleraque, & fructus ij qui lubricam & fluxilem in se substantiam habent, uentrem moueant, & facultatem propultricem ad suum ipsius munus excitent. Tum etiam qui humido sunt temperamento, felicius munus hoc obeunt: qui sicco, infelicius. Nec obstat quòd facultas hæc motu operetur, qui firmitudinem aliquam requirat. Nam motus hic, quo expultrix facultas ad suum ipsius munus mouetur, humido potius quàm sicco iuuatur, atque perficitur: sicco utique motum hunc impediente, quod maximè uidere est in ijs, qui macilento & sicco corporis habitu cùm sint, uix nisi summa difficultate excernere possunt: siccitate scilicet motum hunc impediente: quem cùm iuuare methodo medica uolumus, omni ratione humectare tum cibis ac potibus, tum medicamentis, & forinsecus admotis contendimus. Auicennæ uerò sententiæ non accedo, qui uoluit, siccitatē expultrici potentiæ necessariam esse. Qui enim fieri potest, ut id quod facultatem à suo ipsius munere impedit ac remoratur, ad illius facultatis munus obeundum necessarium sit? Cumq; siccitas facultatis expultricis munus obtundat, non excitet: (ut suprà probatum) sequitur siccitatem potius illi obesse, quàm prodesse: tantum abest ut illi necessaria sit, ut uoluit Auicennas. Galeni uerò locus ille, in hoc ipso capite à te adductus, non aliud probat, quàm humiditatē non tam reliquis operationibus quàm nutritioni esse necessariam: etsi quadantenus, si superflua ea sit, cæteris cunctis aduersetur.

*Auicennæ error.*

VII. COMMENTARIO sexto capitis tertij, id quod à me dictum est non probas, Actiones eas practicas dici, quæ in agendo & aliquid efficiendo totæ sunt: cùm ex hoc sequi uideatur, concoctionem practicam esse actionem quandam: ut quæ nimirum tota in agendo sit, hoc est in cibo concoquendo. Malè mi Marine practicæ nomen accipere uideris, siquidem Galeno & Aristoteli in more est, actiones eas practicas uocare, quæ actuosæ sunt, quarumq; finis est, operatio & actio, seu effectio, non contemplatio: ut cùm disciplinas interstinguimus, contemplatrices alias, alias uerò actiuas uocamus. Sic Galenus libro de Facult. natur. substantia, partem philosophiæ practicem, actiuam nominat. Est nanque quædam philosophiæ pars, cuius finis est actio: uti ea quæ de moribus, quæ de ciuili gubernatione, quæ de priuata tractat. Partes enim eæ omnes, non aliud certè docent, quàm quomodo benè moratum hominem uiuere oporteat: quonam pacto rempublicam, aut priuatam regere conueniat: quæ omnia ad congruas actiones referuntur. Itaque cùm Galenus ad functiones practicas durum & calidum instrumentum magis idoneum esse dixit: de ijs intellexisse eum puto, quæ in operando, laborando, & agendo, non in contemplando consistunt. Vt enim quis agat, & agendo operetur, calore indiget, & uario ad efficiendum motu atque conatu. Quapropter instrumento indiget forti & ualido, quale calidum

lidum & durum est, quod laborando minimè fatigatur & dissolutu contumax est. Ac proinde quos calore multo natiuo & uiribus abundare uidemus, hos maximè actuosos esse deprehendimus: qui & ipsi solida habent membra, duram carnem atq; robustam. Contrà uerò, qui ad contemplandum apti sunt, & ingenio ualent, molles carne esse uidemus: ut etiam philosophorum maximus Aristoteles dixit libro de Anima. In quem sensum actionis nomen sumendo, nulla naturalium functionum practica dici poterit, cùm electiuè in opus non ducatur: ni uelimus lato quodam modo Actionis uocem accipere pro omni motu operis alicuius effectiuo. Si uerò propriè & appositè loqui uolumus, id cum Galeno libro de Natu. facult. 1. Opus uocabimus, quod iam factum atq; com- *Opus.* pletum per actionem est: ueluti sanguinem, carnem, neruum: Actionem *Actio.* uerò ipsum actiuum motum: causam uerò à qua hæc procedit, Facultatem. *Causa.* Sic ista distinguit citato loco Galenus. Igitur concoctio, etsi quodammodo practica functio dici possit, quòd chylum operetur: non propterea sequitur falsum esse, calidum & durum instrumentum ad actiones practicas magis idoneum esse. Siquidem uentriculus qui calido multo abundat, & bene compactam habet substantiam, felicius concoquit eo in quo contraria subsunt. At de ijs abundè iam satis.

VIII. QVOD PRO constanti id habendum ex Galeni doctrina dixerim, partem eam quæ cruditatem ipsa fecerit, noxam sentire: id minimè probas, in id capitis dolorem adducens, qui à uentriculi cruditate ortus sit: cùm pars quæ cruditatem facit uentriculus sit: pars quæ noxam sentit, caput. Hæc tua ratio Marine. At tibi cogitandum illud in primis erat, fieri nullo pacto posse, ut pars aliqua cruditatem faceret, quin eadem ipsa (quatenus iam à suo munere rectè obeūdo deflectit) noxam sentiret: siquidē primo huius tractationis, mox ab initio. Quisq; se sanum esse arbitratur, cùm partium corporis adminiculo munijs ad uitam necessarijs citra noxam fungi potest. Partem uerò illam ægrotare, quæ suum munus obire nequit. Itaq; cùm pars cruditatem facit, iam non rectè munus suum obit: ut omnibus est in cōfesso. Si uerò munus suum rectè non obeat, iam ægrotare dicetur: atq; ex consequenti noxam sentiet. cùm eadem Galeno sint, Noxā sentire, & Aegrotare. Non'ne igitur quæ pars cruditatē facit, noxā ipsa sentiet? Nec obstat quod de dolore capitis adduxisti. Nam etsi caput noxam sentiat, per consensum à uentriculo cruditatē faciente: non tamen fit, quin & uentriculus ipse non itidem, & multò equidem magis noxam sentiat: ipso utiq; per proprietatē & propriam essentiā, cerebro uerò per consensum laborātē. Maiorem autem esse noxam, quæ per protopathiam fit, ea quæ per sympathiā, apud omnes testatissimum est: uti & illud uerissimum est, partem imbecillam noxam hanc plurimum sentire. Quod & ego conceptis uerbis in eius cōmentarij quem tu damnas initio intrepidè affirmaui hac uerborum serie: Quæ causa est, cur per cruditates nonnullis renū dolor, quibusdam uentriculi, alijs lienis, iocinoris, thoracis reliquorumq; membrorū pathemata oriantur: prout in alijs alia pars imbecil


imbecillior aut acutiore sensu prædita, aut alioqui naturæ ratione, aut situs, noxam suscipere apta. Vides Marine, Valleriolam ingenuè confitentem ac prædicantem, imbecillitatem partium in causa esse, cur aliæ alijs partibus magis per cruditates afficiantur. Hæc habui quæ ad tuas in meos commentarios annotationes dicerem: non tam mei tuendi, quàm ueritatis asserendæ causa. Quæ si à te probabuntur, erit ut uolumus: sin minus, meliora afferens tibi assentiemur.

*

*Responsionum medicinalium finis.*



# INDEX LOCVPLETISSI-MVS EORVM QVAE TOTO HOC OPERE NOTATV DIGNA HABEN-TVR.



*Cuius prior numerus paginam, posterior eius paginæ uersum indicat.*

Chald

Fine

Habitu

Locum

 & Gal

Sanguinem

actum

INDICIS ENARRATIONVM MEDICINALIUM FINIS.

# IN LIBRVM RESPONSIO-NVM MEDICINALIVM INDEX.



maio

INDICIS LIBRI RESPONSIONVM MEDICINALIVM FINIS.

